D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA

IN HOC TOMO XXXVIII CONTINENTUR :

1° Distinctiones in Sacramentum Eucharistiæ;

2° Enarrationes in Apocalypsim S. Joannis.

B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUETIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

AUGUSTI ET ÆMILII BORGNET,

Sacerdotum diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN TRICESIMUM OCTAVUM



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCIC

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

Liber de sacrificio Missæ.

PROLOGUS.

Isaiæ, LXVI, 12 : *Dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.* 1.

In quo verbo duo promittit Dominus, in quibus abundantiam bonitatis ostendit. Quorum primum est perceptio suæ bonitatis secundum perfectionem gratiæ. Secundum est gustus suæ dulcedinis secundum prægustationem gloriæ.

In primo quinque notantur, scilicet suæ perceptionis evidens certitudo. Secundum autem, percepti immensa, et cui nihil addi potest, perfectio. Tertium autem, immensæ suæ perfectionis ad nostram capacitatem condescensio. Quartum vero est affluentissima suæ bonitatis in nos influxio. Quintum autem est omnis nostri desiderii in influxu illo quietatio.

Primum horum notatur in adverbio demonstrationis, cum dicit : *Ecce.* Ac si dicat : In evidenti est et omni certo certius ad oculum demonstratum Isa. LII, 8 : *Oculo ad oculum videbunt cum converterit Dominus Sion.* Genes. XLV, 12 : *En oculi vestri, et oculi fratris mei Benjamin, vident quod os meum loquatur ad vos.* Psal. XCVII, 2 : *In conspectu gentium revelavit justitiam suam.* Oculis enim cordis in lumine manifestavit consolationem Patriarchis et Prophetis, ut viderent in claro lumine, et Benjamin, hoc est, filium dexteræ Dei testem haberent, qui est candor lucis æternæ [1], in quo omnia hæc ab æterno prædestinavit.

[1] Sapient. VII, 26.

Unde etiam eos qui hanc certitudinem suæ consolationis videre meruerunt, beatos habere oculos dicit, Luc. x, 23 et 24 : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt.* Vidit tamen ista in spiritu senex, et jam corpore non spiritu cæcutiens Simeon, Luc. II, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.*

In adverbio ergo demonstrationis notatur suæ participationis certitudo fidelibus oculis demonstrata.

2. In hoc autem quod dicit : *Ego*, quod significantiam et discretionem notat, notatur illius participationis immensa, et cui nihil addi potest, perfectio. Ac si dicat : De cætero non minus aliquid quam bonum, quod ego ipse sum, influam vobis, quod et est omne bonum, et est omnis boni bonum. Unde dixit Dominus Moysi, Exod. XXXIII, 19 : *Ego ostendam omne bonum tibi.* Isa. LII, 6 : *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Ac si dicat : Jam de cætero non loquar multifariam, sicut locutus sum patribus in Prophetis [1] : quia forte imperfecta sunt quæ homo dicere potest, sed potius ego ipse adero in vobis. Propter quod unus eorum in seipso sentiens Christum, dixit : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* [2]. Et alter, II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Et, Isa. LXVI, 13 et 14 : *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum.*

In hoc ergo quod dicit : *Ego*, signanter et discrete immensam suæ bonitatis perfectam copiam nobis instuendam promittit.

3. Tertium autem est immensæ suæ perfectionis ad nostram capacitatem condescensio, sive commensuratio : et hoc notatur in hoc quod dicit : *Declinabo in vos.* Ac si dicat : Altitudinem meæ divinitatis quam cœli cœlorum capere non poterant, in nullo deponens, assumam inferiorem naturam, in qua ad vos declinabo, ut mei possitis esse participes sicut petit Psalmista, Psal. CXLIII, 5 : *Domine, inclina cœlos tuos, et descende.* Et, Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes.* Sic enim nobis condescenderes, et nos tui faceres participes. Sic enim sui participationem dedit unicuique servorum suorum fidelium et prudentium secundum propriam virtutem. Matth. XXV, 15 : *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum : unicuique secundum propriam virtutem.* Sic declinavit ad nos misericors et miserator Dominus complens illud quod dicitur, ad Roman. IX, 28 : *Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram* [3]. Quæ consummatio abbreviata nobis inundavit gratiam et justitiam, qua nos justificavit, et gratificavit Christus Deus noster, et plus quam brevis factus est

[1] Cf. ad Hebr. I, 1.
[2] Psal. LXXXIV, 9.
[3] Cf. Isa. X, 22 et 23.

in sacramento, in quo totus in parvo percipitur ad justitiæ et gratiæ complementum.

Sic ergo in nos declinans coaptat et commensurat se Dominus immensus in seipso.

Quartum vero est affluentissima suæ bonitatis in nos influxio. Et hoc notatur in hoc quod dicit : *Quasi fluvium*, quod a fluendo jugiter derivatur, et *flumen* dicitur : sicut enim dicit Psalmista, Psal. LXIV, 10 : *Flumen Dei repletum est aquis*, scilicet gratiarum : et non est factus fons arens sine aqua, sicut sunt fluxus creaturarum, sed ipse omni fluxu gratiæ, ut dicit Chrysostomus, non deficit, sed proficit, et continue in nos fluit, et ad Patris copiam refluit. Hic est fluvius de quo dicitur, Psal. XLV, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, hoc est, sanctam Ecclesiam Catholicam. Psal. LXIV, 11 : *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in stillicidiis ejus lætabitur germinans.* Omnes enim sancti rivi sunt hujus fluminis, qui omnes ab ipso inebriantur, in quorum stillicidiis tota lætabitur germinans mater Ecclesia. Eccli. XXIV, 12 : *Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum : et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus ad mare appropinquavit.* Abundans igitur et semper affluens, in hoc notatur copia suæ gratiosæ bonitatis. 4.

Quintum tandem est omnis nostri desiderii in influxu illo quietatio. Et hoc notatur per hoc quod dicit : *Pacis :* pacificati enim erimus percepto illo bono perfecto, nihil amplius extra ipsum requirentes : et hæc tranquilla desiderii pax nobis influxa notatur : quia sicut dicit Augustinus : « Pax cordis non nisi in summo bono reperitur. » Et hæc est pax de qua dicitur, ad Philip. IV, 7 : *Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum* : quia de illo bono dicit Apostolus, I ad Corinth. II, 9, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Et quia tam altum et magnum est illud nostrum desiderium quietans bonum, ideo nulla est pax cordis, nisi cor ad ipsum deveniat et percipiat bonum illud. Unde Augustinus in libro I *Confessionum* : « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te [1]. » Unde, Psal. LXXV, 3 : *In pace factus est locus ejus.* Isa. XXVI, 12 : *Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Et de hoc bono quod sic influitur nobis ad pacis illius tranquillitatem, dicit Augustinus in libro X *Confessionum* : « In omnibus quæ mente percurro, non invenio tutum et quietum locum animæ meæ, præter te in quo colliguntur sparsa mea : quia quidquid bonorum in creaturis est sparsum, invenitur in æterno bono collectum. » 5.

In his ergo quinque percipitur bonum divinum in gratia.

[1] S AUGUSTINUS, Lib. I Confessionum, cap. 1.

6. Horum autem primum excitat fidem, quæ sicut dicit Augustinus, certitudo est invisibilium. Secundum accendit desiderium : quia semper desideratur id quod in bonitate est perfectum. Tertium sublevat ad spem : quia id speratur quod nobis est commensuratum et proportionatum : quia spes, ut dicit Augustinus, est certa exspectatio boni ex meritis et gratia proveniens. Quartum adampliat mentem, et totius intentionis expandit sinum. Quintum autem incitat ad clamandum et invocandum.

De primo horum dicitur, ad Hebr. XI, 1 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum: argumentum non apparentium.* Argumentum enim ex certitudine arguit mentem, et convincit de fidei veritate et certitudine.

De secundo autem dicitur in Psalmo XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Et hoc facit fervens desiderium.

De tertio dicitur, I Petri, I, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam.* Ad Hebr. VI, 18 et 19 : *Confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam et firmam.* Et hæc spes in exspectando ex tædio affligitur. Proverb. XIII, 12 : *Spes quæ differtur, affligit animam : lignum vitæ desiderium veniens.*

De quarto dicitur, II ad Corinth. VI, 11 et 12 : *Cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in vobis.* Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Isa. LX, 5 : *Tunc videbis, et affluES, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum.*

De quinto dicitur, Jerem. XXXIII, 3 : *Clama ad me, et exaudiam te, et annuntiabo tibi grandia et firma quæ nescis.* Sic igitur et talibus stimulis incitata Ecclesia clamat magnis clamoribus, ut bonum illud in gratia percipiat.

7. Amplius autem incitatur ex prægustatione dulcedinis et beatitudinis gloriæ divinæ, quæ sequenti parte auctoritatis denotatur, cum dicit : *Quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.* In his enim verbis tria notantur, scilicet firmitas boni divini, et admirabilitas, et puritas : quia enim firmum et potens est in afficiendo, ideo irrumpit in affectum penetrando et afficiendo per delectationem. Quia autem admirabile est in altitudine, ideo est illud quod est gloria omnium gentium, et in quo gloriantur omnes gentes, et sine ipso nihil est gloriosum. Quia vero purum est, ideo sugitur, ut nihil a masticato vel digesto quasi impurum abjiciatur. Quod enim dentibus dividitur et atteritur, ut undique id quod purissimum est, ab eo sugatur : quod etiam in stomacho digeritur, et in hepate separatur, vel in venis eliquatur, ut ad puritatem omnimodam deducatur. Quod autem ultimo a membris sugitur, ita est purum, quod nihil abjicitur. Est igitur firmitate bonum divinum penetrans et afficiendo devincens affectum : admiratione et altitudine in se tenens intellectum : puritate autem totum delectans hominem.

De primo horum dicitur in Psalmo XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate do-*

mus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Torrens enim fortissime irrumpit et affluit.

De admiratione et gloriositate dicit Psalmista, Psal. LXVII, 36 : *Mirabilis Deus in sanctis suis*, etc.

De puritate delectante dicitur, Isa. LXVI, 11 : *Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* Et ideo dicit Psalmista, Psal. XV, 11 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem.* Delectatio enim sicut dicit Philosophus in libro X *Ethicorum*, est operatio proprii et connaturalis habitus non impedita : quia delectatio est non sicut somnus, sed sicut vigilia : et quando potentia vel virtus est in operatione secundum naturalem habitum, tota natura in hanc operationem diffunditur : et quando est secundum proprium habitum, tunc natura illa singulariter in eam diffunditur, et nihil habet commune cum ea natura communis in genere vel specie sua sive aliena : quando autem non impedita est, tunc diffunditur non retracta ab aliquo, et tunc tota floret, et diffunditur sicut oculus in videndo, et intellectus intelligendo et delectando in bono divino. Hoc autem sentientes aliqui Patres et Prophetæ tam in gratia quam in gloria, hoc est, gloriæ prægustatione, totum cor elevantes in perceptionem boni divini fide vera, desiderio accenso, spe alta, corde dilatato, clamores magnos extulerunt ad vocandum in se illud bonum divinum, quod sic perfecte percipitur in gratia, et sic dulciter et firmiter et mirabiliter prægustatur in gloriæ prægustatione, et clamabant omnes affici dulcedine boni illius.

Talis autem perfecta perceptio boni et prægustatio gloriæ importatur in Missa : et ideo propter preces multorum suscipimus pertractanda mysteria Missæ, quæ secundum inducta in tres partes dividitur, scilicet in Introitum, in quo est istius boni per magnos clamores advocatio et invitatio : in Instructionem, in qua de hoc bono perfecta ponitur illuminatio : et in Oblationem, in qua est istius boni adeptio et distributio et communicatio. 8.

Introitus in voce clamoris desiderium significat Patrum ad istius boni invitationem et vocationem : quia ex his quæ dicta sunt in participatione gloriæ et gratiæ ad clamandum sunt incitati.

Instructio autem ad perfectam hujus boni pertinet revelationem.

Oblatio autem pertinet ad perceptionem quantum de eo possibile est percipi. Sicut enim bonum illud exspectabatur et invocabatur ad adventum in mundum, et veniens mundum illuminavit, et illuminatio ad sui cognitionem mundo seipsum participandum præbuit, ita adventus ejus exspectatur in sacramento, et de adventu ipsius populi fit illuminatio, et post illuminationem perfectio gratiæ ipsius est sua in sacramento oblatio et communicatio, et in hoc est perfectum Missæ mysterium.

Recta ergo fide accensi desiderio adventus ipsius, spe alta et protensa ad ipsum, corde dilatato, clamore valido clamamus primo in Missa in desiderio Pa-

trum. Secundo repræsentamus illuminationem populorum. Et tertio, oblationem et communicationem omnium suarum gratiarum.

Et hæc sunt quæ in Missa Ecclesia repræsentat : Deus igitur quem vocamus ut veniat, cujus illuminationibus perfruimur, ut sciamus quid secundum veritatem quilibet in ipso inveniat, et in cujus oblatione percepimus quantum in ipso fidelis populus habeat, sic excitat ad clamandum corde et ore, quod in ipso mens nostra experiatur omne quod desiderat, ipso præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS I.

DE PRIMA PARTE MISSÆ.

CAPUT I.

De boni divini per magnos clamores advocatione. Et primo, de Introitu.

1. Patres Christi præsentiam suspirantes.

Isaiæ, XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Hæc verba dicit Isaias in desiderio Patrum suspirantium in carne Christi præsentiam. Omne tempus quod fuit a tenebris primi peccati parentum usque ad lucem qua est in tenebris exortum lumen rectis corde in ortu Salvatoris, quando, sicut dicitur, Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus* : vocatur tam densarum tenebrarum, quod lumen veritatis Evangelicæ non luxit nisi in umbris figurarum legis, et lumen gratiæ et bonitatis in virtute caliginis peccati fuit obnubilatum, ita ut omnes sederent in tenebris et in umbra primæ mortis, sicut dicitur, Sap. XVII, 17 : *Una catena tenebrarum omnes erant colligati*, vinculis longæ noctis compediti nullam penitus habebant consolationem, nisi in spe futuri et orituri solis, qui, sicut dicitur, Joan. I, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et ideo longæ noctis tetras umbras sustinentes omnes desiderio lucis, cum quadam a Prophetis quærebant impatientia, dicentes illud Isaiæ, XXI, 11 et 12 : *Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Dixit custos : Venit mane, et nox : si quæritis, quærite : convertimini et venite.* Prophetam enim quemlibet custodem appellabant Domini, et ob hoc quærebant tædio affecti quantum de nocte transierit, et quantum usque ad ortum veræ lucis restaret de eadem. Respondit custos verba simul consolationis et desolationis. Consolationis quidem : quia *venit mane*, hoc est, in veniendo est mane surgentis auroræ in novæ lucis exortu. Verba autem desolationis in hoc quod addit custos : *Et nox* est adhuc longius protelanda : et ideo *si* lucem *quæritis*, vere *quærite* eam corde et ore et opere : quia tunc citius orietur : et hoc ut facere congruenter possitis, *convertimini* ad ortum, *et venite* per devotionem ad lucem, abjectis operibus tenebrarum, sicut dicitur, ad Ro-

man. XIII, 12 et 13 : *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.*

In hac ergo nocte in desiderio dixit Isaias : *Anima mea desideravit te in nocte.* Nec mirum : quia noctis illius tenebras, nec lux quæ interdum in verbis et exemplis santorum emicuit, nec frigus ejus aliqua charitate sanctorum consolari potuit. Unde, Sapient. XVII, 5 dicitur : *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ poterant illuminare noctam illam horrendam :* quia etiam illa scintilla sanctorum post mortem in tenebris limbi infernalis absorpta fuit. Et ideo suspirans anima Isaiæ et sanctorum, Christum lucem veram, qui tenebras fugaret, desideravit. Et hoc est quod dicit : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo*, qui est spiritus creatus, quem alloquitur in revelatione spiritus increatus, et hic est spiritus qui est animæ pars purior et simplicior et superior, in qua imago Dei dicitur descripta, digito Dei depicta in præcordiis pectoris mei, *de mane* juventutis meæ, quando lux intelligentiæ primæ oritur, quando *vigilabo ad te* desiderans et clamans ad te, ut venias et nobis salutare tuum ostendas. Psal. LXII, 1 et 2 : *Deus, Deus meus, ad te luce vigilo. Sitivit in te anima mea.* Sic enim dicitur, Eccli. XXXIX, 6 : *Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.*

2. Suspiria Patrum in introitu Missæ repræsentantur.

Horum igitur Patrum clamorem affectantium Christi adventum Ecclesia Spiritu sancto afflata, repræsentat in eo cantu, qui dicitur *Missæ introitus*, quando subito affectu interiori victa, vocem extollit a clamore inchoans Missam, in qua celebratur Christi adventus in sacramento. Dicitur autem *introitus*, non tam ab introitu celebrationis Missæ, quæ in hoc cantu inchoatur, quam ab introitu salutis et gratiæ, cujus initium in clamore sanctorum commemoratur et repræsentatur. Unde, ad Hebr. x, 19 et seq., dicitur : *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis vitam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei : accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda.* Dicitur etiam hic introitus ab antiquis *antiphona*, quod est verbum Græcum, et est idem quod reciprocus sonus, et componitur ab ἀντὶ Græco quod est *circa*, et φωνή quod est *vox* sive *sonus* : quia est sonus circuiens geminatus ad versus Psalmi, et Gloria Patri, quod post illum cantatur. Et fuit in antiquis Ecclesiis aliquando consuetum, quod totus Psalmus per singulos versus cantabatur, et ad quemlibet versum ille sonus geminabatur, quod modo propter prolixitatem est dimissum, sed semel reciprocatur adhuc, ut ingeminatio et reciprocatio sæpius repetiti clamoris Patrum et commemoretur et repræsentetur ab Ecclesia, sicut dicitur, Isa. LXII, 6 et 7 : *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis ei silentium.* Et quia ardor suspirantium compulit ad clamorem potius quam ad orationem, ideo Missa non incipit a precibus sicut aliæ horæ canonicæ, ut dicatur : *Domine, labia mea aperies*, vel, *Deus in adjutorium*, vel, *Converte nos, Deus, salutaris noster :* sed subito totus chorus prorumpit in clamorem ad desiderium adventus Domini.

3. Sex præcipuæ causæ cur Patres clamaverunt in desiderio adventus Domini.

Excitantia autem et incitantia Patres ad sic clamandum, sex fuerunt præcipuæ. Primum quidem est miseria conditionis. Secundum autem instantia hostis. Tertium, certitudo promissionis. Quartum, tædium longæ exspectationis. Quintum, imperfectio interdum consolantis. Sextum autem ardor suspirii ad præsentiam liberatoris. Primum horum pungit, secundum stimulat, tertium trahit, quartum angit: quintum ab his quæ conso-

lari videntur, avertit : sextum ad clamandum fortiter ignit et accendit.

Prima causa. De primo dicitur in Psalmo LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.* Pauper quidem : quia sibi homo ex suis non sufficit. In laboribus autem hujus vitæ non proficit, sed deficit. Exaltatus autem phantastica mundi exaltatione, statim cadens humiliatus, ut vile lutum colliditur, et a miseriis præsentibus conturbatur. Psal. XXXVII, 11 : *Cor meum conturbatum est,* et inde dolor : *dereliquit me virtus mea,* et inde deficiendi timor : *et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum,* et inde cæcitatis error. Job, XIV, 1 et 2 : *Homo natus de muliere,* et inde plenus verecundia : *brevi vivens tempore,* et inde vitæ deficientia : *repletur multis miseriis,* et inde infelicitas et angustia : *qui quasi flos egreditur,* et inde efficitur vana omnis gloria ejus : *et conteritur,* et inde luctuosa et omnis defectus ærumna : *et numquam in eodem statu permanet,* et inde miserrima inconstantia. Quis hoc attendat, et non clamet, et dicat? *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo* [1], Domine, suspirans continue ad præsentiam liberatoris nostræ naturæ. Et consideratio hujus movet Patres ad clamandum, et nos hujus clamoris memores puncti cogimur clamare ad Redemptorem : sicut enim dicit Apostolus, ad Philip. III, 20 et 21 : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Et tunc finem habebit omnis humanæ conditionis miseria.

1. Secunda causa. De secundo, scilicet de instantia hostis dicitur, Job, XLI, 10 et seq. : *Do ore ejus lapades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis. Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. In collo ejus morabitur fortitudo, et faciem ejus præcedet egestas. Membra carnium ejus cohærentia sibi.*

Os quidem hostis verba sunt tentatoris impugnantis, et hæc quia de cupiditate sunt mundi et concupiscentia, succedunt sicut lampades : quia delectabilia promittit, et caro corrupta candet sicut æda succensa.

Nares autem astutiam persuasioris significant, quæ persuasio fomitem carnis tetrum fumum facit emittere, sicut fumat olla succensa et fervens, quæ olla corpus significat igne fomitis succensum.

Halitus autem ejus sive sufflatio significat incendium quod immiscens se sanguini excitat. Ille enim halitus calores nocivos jam aliquando sopitos recalescere facit ad illicita. Dicit enim Beda, quod incensores sunt dæmones malarum cogitationum, et concupiscentiarum, non immissores. De ore autem adspirationis ejus dum in quo tentat corda, occulte suggerit, egreditur flamma libidinis, et in collo cervicoso superbiæ suæ, quæ facit quod nihil sibi in malis nostris sufficit, moratur, quæ numquam transit formido malis : quia hoc est valde formidandum de ejus fortitudine : quia non sufficit persuasio nisi ducat ad delectationem, et delectationem producat in moram, et morosam delectationem protrahat ad consensum, et consensum ad voluntatem, et voluntatem ad impetum, et impetum ad opus, et opus ad consuetudinem, et consuetudinem ad contemptum et gloriam in peccato, et contemptum ad desperationem, et sic nudam ac ream animam in æternam præcipitet inferni pœnam.

Facies autem est notitia dæmonis in malis, quam semper omnis boni præcedit egestas : etenim gratuita tollit, et naturalia corrumpit, et ab æternis avertit, et temporalia ad inutilitatem convertit.

Membra autem hostis omnes iniqui

[1] Psal. CXLI, 8.

sunt, qui licet divisi sunt voluntate et opere, tamen intentione nocendi fortiter cohærent, dum omnium una est sententia Dei honorem exstinguere et sanctum semen de terra tollere. Psal. LXXXII, 6 : *Cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum disposuerunt : tabernacula Idumæorum*, scilicet in concupiscentia carnis, *et Ismaelitæ*, scilicet in tyramide oppressionis. Idumæus quippe sanguineus, carnis luxuriam : Ismael autem ferus, feritatem signat oppressorum. Habacuc clamavit Propheta dicens, I, 13 et seq. : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se ? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. Totum in hamo suo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur et exsultabit.* Ita instans est hostis, sicut dicit Gregorius, quod insidiando circumvolat, quod promittendo decipit, quod suadendo blanditur, quod minando terret, quod opprimendo rapit, quod omnibus sanctis fuerunt lacrymæ suæ panes die ac nocte, dum ab insultante hoste dicitur eis quotidie : *Ubi est Deus tuus* [1] ? Ita quod quasi desperantes dixerunt illud Isaiæ, XLIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda, aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit ?* Et ideo omnes una voce clamabant ad fortiorem, ut veniret et alligaret fortem, et diriperet in partem Dei vasa quæ ipse ante rapuerat : et hunc clamorem Patrum commemoramus in Introitu, scilicet vocando fortiorem qui nos a potestate tyranni redimat et liberet, dicendo illud Isaiæ, XXVI, 13 : *Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te : tantum in te recordemur nominis tui.* Dominos autem vocat crudeles tyrannos dæmones, qui nos injuste culpis nostris exigentibus oppresserunt, et ideo isti Domini in duro suo dominio absque Domino, in cujus dominio benignissimo de jure sumus, esse dicuntur.

5. Tertia causa.

De tertio scilicet de certitudine promissionis qua promisit venire, dicitur, Deuter. XXXII, 4 : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus.* Proverb. VIII, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum.* Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur.* Tamen tot erant peccata hominum, quod multi dixerunt, quod propter peccata differret promissa. Quidam etiam fidem non habentes, dixerunt quod non esset nisi temporalibus intendendum : quia adventus Redemptoris nullus esset exspectandus : quia Prophetæ essent locuti spiritu suo, quando adventum Domini promiserunt, et quod non essent locuti Spiritu sancto, sicut et multi dicunt quod non erit secundus adventus, de quibus dicitur, II Petri, III, 3 et 4 : *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes : Ubi est promissio, aut adventus ejus ? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.* Contra quos et propter quos uno ore Patres clamaverunt ad Dominum, dicentes in desiderio spiritus illud Ecclesiastici, XXXVI, 18 : *Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur*, hoc est, veraces, qui in spiritu tuo tuum promiserunt adventum. Et illud Psalmi L, 6 : *Justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris*, hoc est, verax, Domine, in promissis ostendaris : quia tunc sermones tui justi apparebunt, et judicium humanum quod judicat propter peccata promissa non impleturum, vincas, cum te humanum judicium judicat dilaturum : implendo enim quod promisisti, vincis judicium eorum. Jacobi, II, 13 : *Superexaltat autem misericordia judicium.*

Hac igitur de causa fortiter clama-

[1] Psal. XLI, 4 et 11.

bant Patres, ut promissa sua compleret.

6. Quarta causa fuit tædium longissimæ exspectationis. Unde, Psal. CXIX, 5 et 6 : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea.* Cedar *tenebræ* interpretatur : quia tenebrosos in tenebris diu exspectare valde tædiosum est. Psal. XII, 1 et seq. : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me? Quamdiu ponam consilia in anima mea, et dolorem in corde meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice et exaudi me, Domine, Deus meus, illumina oculos meos* lumine præsentiæ tuæ, *ne umquam obdormiam in morte.* Hæc igitur longa exspectatio fecit clamoribus interpellare Dominum ut acceleraret : et si quando Propheta missus est ad consolandum, tædia affecti dicebant alii illud Ezechielis, XII, 22 : *In longum differuntur dies, et peribit omnis visio.* Alii autem irridentes, illud dixerunt quod dicit Isaias, XXVIII, 13 : *Manda, remanda : manda, remanda : exspecta, reexspecta : exspecta, reexspecta : modicum ibi, modicum ibi.* Ac si dicant : Nihil est quod dicunt Prophetæ tota die ingeminantes ex parte Domini : *Manda, remanda,* hoc est, hoc mandat Deus et remandat : et quando non fit sicut dicunt, tunc Prophetæ dicunt : *Exspecta, reexspecta : exspecta, reexspecta,* sicut dicitur. Habacuc, II, 3 : *Quia adhuc visus procul : et apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit.* Unde tantum exspectamus et sic exspectavimus, quod tædio victi quasi desperamus : et ideo festina, Domine, et ne tardaveris, et magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gratiæ tuæ quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Et illud Psalmi. LXXIX, 3 : *Excita potentiam tuam, et veni.*

7. Quinta causa. Quinta causa est imperfectio consolatorum, qui interdum ad consolandum populum mittebantur, quorum nullus efficaciter consolari potuit : sed verba dixit, et consolationem in futuro promisit : et ideo ipsi consolatores onerosi facti sunt populo Dei : quia in eis quod quærebatur, non est inventum. Job, XVI, 21 : *Verbosi amici mei : ad Deum stillat oculus meus.* Quia ille solus consolari potest. Et illud Job, XVI, 2 : *Audivi frequenter talia : consolatores onerosi omnes vos estis.* Et paulo post, ℣. 4 et seq. : *Atque utinam esset anima vestra pro anima mea! Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo, et moverem labia mea, quasi parcens vobis.* Quid enim in Abraham consolationis esse poterit, quia ipse dicit, Genes. XVIII, 27 : *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis?* Quid in Jacob, qui, Genes. XXXII, 10, dicit : *Minor sum cunctis miserationibus tuis?* Moyses fuit *impeditioris linguæ, non eloquens ab heri et nudiustertius* [1]. Isaias *vir pollutus labiis* est, et in medio populi polluta labia habentis habitat [2]. Jeremias nescit loqui, quia puer est [3]. Et sic omnes subjacent defectibus, et perfectio consolationis in eis non invenitur. Sed si consolari debeo, dixit quilibet consolationem exspectans, ipse veniat in quo non est defectus, et nos consoletur : quia sine ipso et non nisi per ipsum consolationem accipio, et aliter *consolatio abscondita est ab oculis meis,* sicut dicitur, Osee, XIII, 14. Et ideo omnis qui in spiritu erat, dicebat : Si cura est illi de me, non amplius mittat nuntios, sed ipse veniat, et salvet me, qui salvare poterit. Sic dixit Jacob, Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* In hoc

[1] Cf. Exod. IV, 10.
[2] Cf. Isa. VI, 5.
[3] Cf. Jerem. I, 6.

affectu dictum est: *Osculetur me osculo ori sui* [1]. Ac si dicat: Si amicitias quærit, et reconciliationem, sicut ipse dicit per Prophetas, jam non mittat nuntios, sed osculum imprimat per susceptionem, et spiritum suum in eo misceat per oris sui et mei conjunctionem: quia sicut dicitur, I ad Corinth. VI, 17: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Hæc ergo fuit quinta causa clamoris.

8. Sexta causa.

Sexta autem fuit ardor clamoris ad præsentiam Christi redemptoris, quem similem sibi in carne desideraverunt Patres adspicere: in quo affectu hoc dictum est, Cantic. VIII, 1: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat?* Frater enim in eadem carne circumdatus, eadem sugit ubera matris sapientiæ: quia ipse, ut dicit Augustinus, est sapientia genita de Patre sapientia ingenita. Foris autem desiderat eum invenire Ecclesia, extra occultum divinitatis, in manifesto humanitatis. Deosculari autem petit, ut os imprimat ori per naturæ conformitatem, et spiritum misceat spiritui per cordium consensionem spiritus creati cum increato: quia ex tunc scit Ecclesia se esse susceptam, et numquam amplius despiciendam. Unde dicit B. Bernardus: « Ardorem desiderii Patrum suspirantium in carne Christi præsentiam sæpe recogitans, compungor, et confundor in memetipso, et nunc vix contineo lacrymas, ita pudet teporis torporisque miserabilium temporum horum. Cuinam nostrum tantum ingerat gaudium hujus gratiæ exhibitio, quantum veteribus sanctis accenderat desiderium promissio? Omnis enim qui tunc in spiritu esse poterat, dicebat, putas videbo, putas durabo, putas quod credo ex Scripturis videam oculis meis? Sciebant enim omnes, quod nec vir ineloquens esset, nec vir polluti labii, nec puer nesciens loqui, sed quod gratia esse diffundenda in labiis illius, et quod mel et lac sub lingua ejus futura esset, et vox sua futura dulcis, et facies sua foret decora, utpote speciosus præ filiis hominum et præ vultibus Angelorum, *in quem*, ut dicit Petrus, I Petri, I, 12: *desiderant Angeli prospicere:* et ideo omnes ejus desiderant videre faciem, et audire vocem. Et dicentes illud Canticorum, II, 14: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Et illud Psalmi XLIV, 3: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Et ideo nullus consolari potest nisi tu, nec in aliquo quiescit cor nostrum nisi in te: sic enim dicitur, Aggæi, II, 8: *Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria,* hoc est, familia Domini, quæ modo repleta est miseria [2]. »

In hoc ergo affectu clamans Ecclesia petit adventum Domini per Introitum, commemorationem faciens desiderii Patrum suspirantium ad Christi in carne adventum.

9. Clamoris Patrum septem utilitates.

Clamor enim ille septem et in nobis et in Patribus facit utilitates, quarum prima est, quod facit intentionis intensionem. Secunda, quod facit devotionis fervorem. Tertia facit anxietatis relevationem. Quarta, a debito oris nostri deobligationem. Quinta, cordis dulcedinem. Sexta, proximi ædificationem. Septima laudis cœlestis in tetra ponit similitudinem.

Prima utilitas.

Prima igitur utilitas est intentionis intensio, qua sicut dicit Augustinus, in Deum tenditur, per cultum et sacrificium intenditur, ut velocius ad Deum perveniatur: quia dum ad Deum clamatur, cordis desiderium velocius tendit, et hoc clamor ostendit, et hoc est quod dicitur, Isa. XL, 31: *Current, et non laborabunt: ambulabunt, et non deficient.* Psal. LII, 7: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?*

[1] Cantic. I, 1.

[2] S. Bernardus, Serm. 2 super Cantica.

hoc est, ad Deum elevatus pennis desiderii volabo, in quo quies est secura sine labore. In hujus rei significationem animalia Dei quorum capitibus cœlum imminet, alata et volantia describuntur, Ezechiel. I, 12 : et dicitur de eis, quod *ubi erat spiritus impetus, illuc gradiebantur cum ambularent :* spiritus autem impetus in Deum per clamorem ostenditur.

Secundo, facit fervorem devotionis : quia numquam clamor ad Deum nisi de fervore devotionis exsurgit. Et hoc figuratum est, Isa. VI, 3, ubi dicit, quod *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Seraphim enim incendentes vel ardentes interpretantur. Hinc est, quod animalia, Ezechiel. I, 13, in medio ignis apparuerunt. Unde ibidem dicitur : *Hæc erat visio discurrens in medio* quatuor *animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens*, ita quod ignis devotionis indicet fervorem, et tonitruum clamorem designet. Et ideo ibidem, ℣. 24, dicit, quod audivit sonum *quasi sonum sublimis Dei*, qui est sonus Deum laudantium. Hinc est, quod, Act. II, 2, dicitur, quod *subito factus est sonus de cœlo.* Et sequitur, ℣. 3, quod in igne sedit Spiritus sanctus *supra singulos eorum.*

Tertio, facit anxietatis relevationem : quia sæpissime qui ad laudem anxius pro peccatis suis accedit, in ipsius Dei laude concipit gaudium et præsumere incipit de venia. Unde etiam ipsa angustia quæ clamare facit, relevatur quando attente ad Deum clamatur. Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te. Audi, Domine, et miserere, quia Deus es misericors.* Daniel. XIII, 22, dicitur de Susanna : *Angustiæ mihi sunt undique. Si enim hoc egero, mors mihi est : si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Et post pauca, ℣. 24, *exclamavit voce magna Susanna* : et ideo Dominus ab omni angustia eam liberavit. Unde etiam de martyribus cantatur Introitus : « Exclamaverunt ad te, Domine, in tempore tribulationis suæ : et tu de cœlo exaudisti eos. » Et hoc sumitur, Nehemiæ, seu II Esdræ, IX, 28.

Quarto, facit a debito oris deobligationem : quia omnis homo et maxime clericus laudare debet ex debito oris sui. Unde, Osee, XIV, 3 : *Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Vituli autem labiorum jucundum significant laudis divinæ sonum, qui exaltando neumata, deprimendo et acuendo et gravando, et morulis silentiorum interpositis, quasi dat saltus vitulorum. Ad Hebr. XIII, 15 : *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Psal. XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me, illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Super quod verbum dicit Gregorius, quod devote psallentibus, aut datur in laude Dei spiritus prophetiæ, aut quod utilius est, spiritus compunctionis. 12. Quarta utilitas.

Quinto facit cordis dulcedinem. Unde Augustinus in libro I *Confessionum :* « Non satiabor dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii divini super salutem generis humani. Auditu enim patulo recepi modulos in hymnis et canticis suave sonantis Ecclesiæ. Voces enim illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et fluebant lacrymæ ab oculis meis, et bene erat mihi cum illis[1]. » Hinc est quod dicit Psalmista, Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Super mel ori meo.* Eccli. XLVII, 11 : *Stare fecit cantores super altare, et in sono eorum dulces fecit modos, et dedit in celebrationibus decus.* 13. Quinta utilitas.

[1] S. Augustinus, Lib. I Confessionum, cap. 6.

14. Sexta utilitas. Sexto, facit proximi ædificationem : quia populus audiens hoc, ædificatur ad omne bonum. Unde, Psal. xxvi, 6 : *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo et psalmum dicam Domino.* Circuit enim omnes, quando omnium infert auribus laudem divinam. Isa. xii, 4 : *Notas facite in populis adinventiones ejus, mementote, quoniam excelsum est nomen ejus.* Psal. xxi, 23 : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Sic enim fratribus omnibus narratur, quando in medio Ecclesiæ laudatur, ut ab omnibus æqualiter percipiatur.

15. Septima utilitas. Septimo, facit etiam in terris cœlestis jucunditatis similitudinem. Unde beatus Bernardus : « Nihil est quod adeo repræsentat cœlestis curiæ similitudinem, sicut alacritas laudantium Deum. » Psal. lxxxiii, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et ideo etiam Angeli laudem Dei diligentes, leguntur se immiscuisse choro laudantium. Psal. lxvii, 26 : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.* Principes sunt Angeli, qui sæpe in locum sicut in chorum ante laudantes Deum præveniunt, ut ibidem laudantibus ad devotionem excitandam misceantur. Juvenculæ autem tympanistriæ sunt clerici, aut laici mortificatione carnis et voce modulationis Angelis concinentes. Juvenculæ autem in sexu dicuntur propter bonorum affectuum, et operis fœcunditatem, et in ætate dicuntur *juvenculæ* propter ætatis teneritudinem et amoris delicationem. Unde etiam quidam arguuntur, Matth. xi, 17, ubi dicit Dominus : *Cecinimus vobis, et non saltastis : lamentavimus, et non planxistis.* Quia quidam inertes homines nec jubilant ad Dei laudem, nec compunguntur ad Ecclesiæ planctum et lamentationem. Psal. cxlvi, 7 : *Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.* Hæc igitur et multa plura bona clamor ad Deum operatur.

Et hic Introitus est repræsentatio et commemoratio clamoris Patrum, cum hic Introitus, sicut dictum est, geminatur, ut geminatio clamoris Patrum commemoretur.

16 Versus autem Psalmi aliquis consonans cum *Gloria Patri* interponitur, et ipse quidem versus profectum signat virtutis in merito : quia Psalmus bonam signat operationem, sicut dicit Cassianus : *Gloria Patri* autem, quod interponitur, gloriam dandam Deo de profectibus nostris signat, et hoc *Gloria Patri* beatus Hieronymus fecit, et Damaso Papæ misit, ut singulis Psalmis faceret annecti, cui Papa ipse Damasus addidit : *Sicut erat*, etc. : ut æternitas in præteritum et futurum æqualis gloriæ esse crederetur, contra Arium qui Filium ponebat inglorium, et contra Nestorium et Eutichetem et Paulum Saviosacensem, qui Spiritum sanctum dixerunt esse Patris et Filii servum, et nullam habuisse gloriam in præterito, sed in futuro consecuturos esse gloriam quam serviendo Patri promeruerunt.

Gloria tri, et cur si lis Psa anne tur

17 Hic forte objiciet aliquis, quod non omnis anni Introitus in verbis Patrum desiderium repræsentat, sed solum illi Introitus qui sunt in Adventu, sicut, *Ad te levavi :* et, *Populus Sion*, et alii significant desiderium Patrum. In aliis autem Missis, tam de tempore quam de Festis sanctorum nullum signatur Patrum ad Christi adventum desiderium.

Sed ad hoc dicendum, quod Christus a Patribus non exspectabatur ut homo privatus, sed potius ut Christus omnibus promissus, qui in seipso gratias infinitas afferret, et omnium cœtu sanctorum vallatus, veniret ut rex, in cujus curia omnes sancti facerent curiæ regalis frequentiam, sicut in epistola sua Judas dicit septimum ab Adam Enoch prophetasse, sic dicentem : *Ecce venit Dominus in*

sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes impios, et arguere omnes impios de operibus impietatis eorum[1]. Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.* Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et deciet millies centena millia assistebant ei.* Propter hoc dicitur *Dominus sabaoth*, hoc est, exercituum : et hoc modo suspiraverunt Patres ad ipsum, ut in omni veniret decore regio et decore frequentiæ curiæ regalis : et quando sic venit, suspiramus ut veniat, et gaudeamus eum in bonis et gratiis, quæ per totum annum celebrantur, venisse. Sic in eo auctoritas resultat Apostolorum, et cantamus : *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Sic coram eo extollimus victorias martyrum et cantamus : *In virtute tua lætabitur justus.* Sic in eo resultat sanctitas Confessorum et cantamus : *Sacerdotes tui induantur justitia, et sancti tui exsultent.* Sic etiam coram eo exsultat chorus virginum, et cantamus : *Adducentur regi virgines.* Sic ad salutem electorum ministrat chorus Angelorum, et cantamus : *Benedicite Domino, omnes Angeli.* Sic in eo requiem recipiunt animæ post virtutis et meritorum laborem, et cantamus : *Requiem æternam.* Sic enim rex venit in decore suo. Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Sic Ecclesia adstitit ei omni decore varietatis sanctorum adornata, Psal. XLIV, 9 : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Et sic omnis de toto anno Introitus clamorem Patrum denotat Christi adventum.

CAPUT II.

In commemorationem devoti populi ad misericordiam desiderio Patrum acclamantis cantatur Kyrie, eleison.

1. Diximus autem in præhabitis, quod *Kyrie, eleison*, populi repræsentat acclamationem, cum clerus desiderium Patrum in Introitu repræsentat. Unde etiam Petrus, beati Gregorii diaconus, in benedictione cerei dicit : « Lætetur et mater Ecclesia tanti luminis adornata fulgoribus, et magnis populorum vocibus hæc aula resultet. » Quia sicut dicitur, Job, I, 14 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos* : quia dum clericus, qui per bovem signatur, arat, corda vomere prædicationis et laudis præciduntur, statim laicus populus genus onoriferum et simplex pascitur ad obediendum. Et ideo *Kyrie, eleison*, est introductum ad repræsentandum quomodo populus simplex clero per acclamationem obedientiæ facit consonantiam. Unde Hieronymus dicit in quadam epistola de editione Psalmorum, quia quando David Psalmos faciebat, quatuor cantores, scilicet Chore et Idithum et Asaph et Caath, hos Psalmos editos cantoribus aliis præcinebant, quibus quatuor millia cantorum succinebant, quos totus populus in voce laudis

[1] Epist. Judæ, ŷŷ. 14 et 15.

subsequebatur. Et ideo in hoc ordine Episcopus vel sacerdos est in loco regis David. Quatuor autem cantores, duo scilicet in dextero choro, primus cantor et succentor, et duo in sinistro choro, scilicet secundus cantor et succentor, sunt in loco quatuor cantorum. Quatuor autem millia sunt sicut chorus totus clericorum, et hoc totum in Introitu repræsentatur. Populus autem repræsentatur ut acclamans *Kyrie, eleison,* et adhuc populus acclamat clero in Romana Ecclesia *Kyrie, eleison.* Et ideo in commemorationem boni et devoti populi desiderio Patrum acclamantis, *Kyrie, eleison,* est inductum in Missa post Introitum.

2. Hoc autem novies dicitur, ut quidam dicunt, propter novem choros Angelorum. Hujus autem signum dicunt esse, quod ter ternis cantibus formatur: quia primo ter dicitur *Kyrie, eleison.* Et secundo ter dicitur *Christe, eleison.* Et tertio iterum ter *Kyrie, eleison.* Quod quidam dicunt fieri propter tres hierarchias Angelorum, in quarum qualibet sunt tres ordines Angelorum. Hujus etiam signum esse dicunt, quia in solemnibus diebus quando non est tempus luctus, statim post acclamationem *Kyrie, eleison,* inducitur hymnus Angelorum qui est: *Gloria in excelsis Deo.* Sed hoc valde mirabile est quod dicunt, quia in veritate non est ista acclamatio ad Angelos, sed ad Dominum. Et quod novies clametur ad Dominum, quia novem sunt ordines Angelorum, non videtur aliquam habere rationem: quia secundum eamdem rationem septies cantaretur propter septem ordines beatorum, qui sunt Patriarchæ et Prophetæ et Domini præcursores, sicut Joannes Baptista, et Zacharias et Elizabeth, et beata Virgo, pastores et reges, et alii qui nobis Christum exhibuerunt et demonstraverunt. Iterum sunt Apostoli, Martyres, Confessores, et Virgines. Quare enim propter istas beatorum distinctiones non multo magis septies clamaretur, vel propter septem dona quibus juvamur ex Domini misericordia, vel cantarentur octies propter octo beatitudines, quæ, Matth. v, 3-11, enumerantur, vel sexies propter opera sex dierum, ut sic daremus magnificentiam Domino nostro Deo: quia Dei perfecta sunt opera. Unde hujusmodi adaptationes quæ non nisi in numero concordant, pro certo parum valent et multum sunt derisibiles.

3. Nos igitur dicimus beatos Dionysium et Ambrosium sequentes, quod in ista acclamatione quatuor sunt notanda, propter quæ et ista acclamatio instituta esse dignoscitur. Unum quidem, quare ter *Kyrie, eleison,* primo cantatur? Secundum, quare ter *Christe, eleison,* subjungitur? Tertium, quare iterum ter *Kyrie, eleison,* in fine subnectitur? Quartum, quare in voce Græca non Latina cantatur?

Quare Kyrie, e son, pri cantatu

Ad primum horum dicimus, quod sicut dicit Dionysius, Dominus nomen est superpositionis, et ideo est in genere relativorum. Ambrosius autem dicit, quod est nomen potestatis, et secundum hoc non est in genere relationis: quia sic correlativum ad quod dicatur, non haberet, unde secundum primum nominis intellectum est nomen superpositionis, quia a superpositione est impositum, secundum consequentem intellectum est nomen potestatis, quia hoc nomen habentibus potestatem est datum. In omni enim nomine ista duo considerantur, et ideo significat substantiam cum qualitate: qualitas autem est illud a quo nomen impositum est. Et substantia illud cui est impositum: et quia qualitas finit substantiam, ideo primus intellectus nominis est sumendus a qualitate a qua impositum est nomen.

Et hoc egregius doctor consideravit Dionysius, qui dicit ipsum esse nomen superpositionis. Superpositio autem perfecta, ut idem dicit, consistit ex tribus, scilicet quod superpositum excedat inferiora, a nullo depressum, et quod per-

Domin est non superp tionis q perfici ex trib

fectam in se habeat superpositionis causam, et quod perfectam in se habeat in altis continentem se virtutem, ne ad infima possit deflecti vel inclinari. Primum horum est honoris et honestatis. Secundum, ditissimæ possessionis. Tertium autem fortitudinis et virtutis, et ideo dignitatem suam et honorem advertens, superpositionis et dominationis verus Dominus, ut dicit Dionysius, incessanter est appetitivus, et indignum est ei, quod aliquid sit super ipsum sic quod sibi dominetur, et sic solus Dominus Deus est, de quo dicitur, Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ*, de quo dicit Apostolus, ad Hebræos, II, 8, quod *Pater omnia subjecit sub pedibus ejus.* Psal. CIX, 1 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Genes. XXVII, 37 : *Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi.* Sic dicitur Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus : et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus, sicut dicitur, Exod. VI, 2 et 3 : *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente : et nomen magnum Adonai non indicavi eis :* quia verum Dominum apparens Patribus non exhibuit, sed nobis Dominum dominorum exhibuit : quia sicut dicitur, ad Hebr. I, 1 et 2 : *Multifariam multisque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem* (ut Dominum omnibus præpositum esse probaret et ostenderet) *constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula*, omnibus eum præponens et omnia sibi subjiciens.

Pulchrum et bonum quid ?

Hunc exaltant omnes divitiæ veræ pulchrorum et bonorum. Pulchra enim, ut ait Tullius, sunt quæ omni notitiæ accedunt cum decora laude. Bona autem vera sunt, quæ, ut dicit Anselmus omnibus est esse, et Deo et Angelis, et omnibus creaturis. Quicumque igitur perfectam et omnimodam pulchrorum et bonorum habet ditissimam et splendissimam possessionem ad copiam, ut ab ipso omnes ditentur, ille perfectam habet causam suæ superpositionis, et hanc non habet nisi Filius de quo dicitur, Joan. III, 34 : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, supple, Filio. Cæteris autem dividit spiritus Patris, dans singulis prout vult, sicut dicitur, I ad Corinth. XII, 11 : *Dividens singulis prout vult*, et, Matth. XXV, 15 : *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Ipse autem omnes simul possedit pulchrorum et bonorum divitias, de quo dicitur, Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Unde, ad Coloss. II, 3 : *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi.* Genes. XXIV, 36 : *Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque ei omnia quæ habuerat.* Sara uxor domini nostri Patris est Ecclesia, quam signat beata Virgo Maria, quæ casta concepit et virgo peperit Filium, non habens maculam concupiscentiæ in conceptu, neque rugam pœnæ in partu : et huic Filio omnia data sunt in possessionem. Hic ergo est verus Dominus, sicut dicitur, ad Galat. IV, 1, quod licet humanitatis susceptione parvulus sit, et nihil differens *a servo, cum sit* tamen *dominus omnium.* Hic etiam veram virtutem habet se in altis continentem, qui ad ima et vilia numquam deflexus, et ideo numquam scabellaribus et conculcandis per appetitum vel opus appropinquavit. Unde dicitur, Eccli. XXIV, 7 : *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.* Sedens in nube assumptæ carnis ut Dominus, quæ caro et columna est non inclinabilis ad aliquid conculcandum. Propter quod dicitur, Isa. XIV, 6 : *Ego Dominus, et non est alter.* Psal. CXII, 5 et 6 : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cælo et in terra ?*

4. Hæc autem tria in hoc nomine, *Domi-*

nus, comprehendit beatus Dionysius his verbis : « Dominatio vero est non pejorum sive inferiorum excessus tantum, sed omnis pulchrorum et bonorum perfecta et omnimoda possessio, et vera et non cadere valens fortitudo [1]. » Nos autem per peccatum in triplicem incidimus miseriam, scilicet subjectionem servitutis peccati : quia sicut dicitur, Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Secundo, in paupertatem boni gratuiti : quia gratuitis sumus spoliati, unde dicitur, Apocal. III, 17 : *Et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Tertio, in conculcationem incidimus a dæmonibus vilissimis, qui potius erant conculcandi, quia ipsi servi sunt. Thren. V, 8, in oratione Jeremiæ : *Servi dominati sunt nostri : non fuit qui redimeret de manu eorum.*

Per peccatum in triplicem incidimus miseriam, oppositam triplici bono quod continet nomen Dominus.

De primo horum dicitur, Isaiæ, XLIX, 7 : *Hæc dicit Dominus, redemptor Israel, Sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum.* Genes. IX, 25 : *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.*

De secundo dicitur, Threnorum, III, 1 : *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.* Eccle. V, 13 : *Generavit filium qui in summa egestate erit :* hoc enim maxime dicitur de Adam, qui dives creatus fuit, et in extrema paupertate genuit filios. Job, I, 21 : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* Ezechiel. XVI, 7 : *Eras nuda, et confusione plena.*

De tertio dicitur, Isa. LI, 23 : *Qui te humiliaverunt, et dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* Thren. V, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* Psal. LV, 3 : *Conculcaverunt me inimici mei tota die : quoniam multi bellantes adversum me.* Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier quæ est fornicaria quasi stercus in via conculcabitur.* Mulier emollita, anima fornicata, a Deo suo data dæmonibus in conculcationem.

Quid ergo mirum si fidelis populus audiens clerum in desiderio Patrum advocantem ad nos Dominum, sentiens nihilominus triplicem suum defectum, conclamat et acclamat clero invocans veræ superpositionis et ditissimæ possessionis dominum, et tantæ fortitudinis, ut non solum se contineat in altis, verum sicut dicitur, I Regum, II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat,* dicendo : *Kyrie, eleison,* tribus vicibus, ut ab hoc triplici defectu per misericordiam ad se clamantes sublevet. Hæc est ergo causa, quod primo dicitur ter, *Kyrie, eleison,* quod sonat : Domine, miserere. Undé ordo beati Ambrosii habet, quod in principio Missæ dicatur ter, *Kyrie, eleison.*

5. Quare Christ eleiso subjun tur?

Statim autem post istam Domini interpellationem fit ad mediatorem acclamatio, qui salvator et sanctificator est naturæ, ter clamando : *Christe, eleison.* Christus enim *unctus* interpretatur : quia sicut dicitur in Psalmo XLIV, 8 : *Unxit* eum *Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis.* Unctio enim olei, sicut dicunt Hieronymus et Bernardus, ungit, lucet, et pascit. Ungit gratia sacramenti, lucet virtute intellectuali, pascit gratia virtutis moralis. Ungit quidem sicut dicitur, Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* Lucet autem, sicut dicitur, Isa. LXII, 1 : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus sicut lampas accendatur.* In lampade autem oleum est luminis. Pascit autem sicut dicitur, Numer. XI, 8, quod manna saporem habuit panis oleati. Propter ista dicitur, Cantic. I, 2 : *Oleum effusum no-*

[1] S. DIONYSIUS, Lib de Divinis nominibus, cap. 12, quid Dominatio ?

men tuum. Ungit autem contra defectum infirmitatis in quam ex peccato incidimus. Lucet contra tenebras ignorantiæ in quas per peccatum incidimus. Pascit contra defectum insipiditatis boni cœlestis, in quam insipiditatis malitiam ex improba libidine commutabilis boni damnati sumus.

Dicitur de primo, Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.*

De secundo præcipitur, Exod. XXXVII, 20, ubi præcipitur, quod oleum purissimum semper infundatur in candelabro Domini.

De tertio, Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.*

Sic ergo populus suam simul sentiens infirmitatem, patiens tenebras, et insipiditatem abhorrens, clamat ad unctum, *Christe, eleison,* ut unctione sanet infirmitatem. Ac si dicat : Unctione tua *sana me, Domine, et sanabor* : *salvum me fac, et salvus ero* : *quoniam laus mea tu es* [1]. Clamat iterato ad illuminatorem, ex cujus lampade oleum non defecit, dicens : *Deus meus, illumina tenebras meas* [2]. Et illud Michææ, VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Clamat tertio ad omnis pinguedinis saporem : quia scit quod dicitur, Isa. LV, 2 : *Audite, audientes me : et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Et sic ter clamat *Christe, eleison,* non autem clamat Jesu, eleison : quia Jesus unctionem non sonat, sed salvatorem ex potentia suæ divinitatis. Cum enim dicit *Kyrie eleison,* ex dominio sublevat, sicut diximus, sed remanent sauciati quos ex chrismate sanat. Et ideo statim post *Kyrie, eleison,* cantabitur ter *Christe, eleison.*

6. Deinde *Kyrie, eleison,* iterum ter repetitur : quia sicut diximus, *dominus* est nomen potestatis : potestas autem, ut dicit Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia,* tria facere habet. Ultrix enim est iniquitatis per justitiæ vindicationem, compressiva est malæ voluntatis per severitatem, defensiva est virtutis et bonitatis per legum æquitatem.

son, in fine subnectitur ?

De primo horum dicitur : *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit* [3].

De secundo dicitur in Psalmo LXVII, 31 : *Dissipa gentes quæ bella volunt.* Psal. LVII, 7 : *Molas leonum confringet Dominus.*

De tertio dicitur in Psalmo XLIII, 8 : *Salvasti nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.* Esther, XIII, 9 : *Non est qui possit resistere tuæ voluntati, si decreveris salvare Israel.*

Populus igitur sentiens se in iniquitate reum, clamat misericordiam Domini, ne sentiat ultorem gladium et fugit ad misericordiam, ac si dicat illud Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.*

Sentiens suam rebellem ad bonum voluntatem, clamat iterum *Kyrie, eleison,* ut sine ira et furore misericorditer comprimat nostræ voluntatis rebellionem. Habacuc, III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

Sentiens quod ea quæ in ipso sunt legi Dei consentientia, non sunt libera, clamat tertio, ut illa liberentur. Job, XVII, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Hæc tria propria potestatis simul dicuntur. Ad Roman, XIII, 3 et 4 : *Vis non timere potestatem, bonum fac, et habebis laudem ex illa. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* In hoc autem quod dicit, quod bonum faciens, laudem exspectare habebit, tangit bonorum liberationem. Quod autem dicit : *Time, non enim sine causa gladium*

[1] Jerem. XVII, 14.
[2] Psal. XVII, 29.
[3] Psal. XCIII, 1.

portat, tangit severitatem per quam iniqua comprimitur voluntas ne procedat in actum. In hoc autem quod dicit : *Vindex in iram ei qui malum agit,* tangit ultionem iniquitatis. Sublevata enim miseria, et sanata natura, adhuc indigemus ut non ulciscatur scelus valide. Adhuc indigemus, ut libera severitate, non in furore corripiat nostram rebellionem in voluntate. Adhuc egemus, ut liberos nos faciat in suæ laudis confessione.

Hæc est igitur vera causa quare ter primo clamatur, *Kyrie, eleison.* Et tunc ter subjungitur : *Christe, eleison.* Et tertio ter subnectitur iterum *Kyrie, eleison.*

Et sic tria prima quæ de hoc quærebantur, sunt soluta.

7. Quare Græce dicitur Kyrie, etc.?

Quarto autem quærebatur, quare in Græco, et non in Latino clamatur?

De quo quatuor rationes a Patribus assignantur, quarum prima est : quia summa sapientia mundi in Græco floruit, sicut dicitur, I ad Corinth. I. 22 : *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt.* Ut ergo ostendatur quod ista invocatio summa sapientia est, et ex summa sapientia procedit, in Græco clamatur : sicut enim Judæus per Scripturam Deum cognovit, ita Gentilis sapiens et philosophus per naturalem sapientiæ rationem Deum cognovit, et ideo clamare ad Deum decuit. Et hoc est quod dicitur ad Romanos, I, 16 : *Non enim erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco.* Quia Judæus primum virtutem Dei in Evangelio cognovit per Scripturam : Græcus autem virtutem eamdem per sapientiam acquisitam ductu rationis in Evangelio cognovit : quoniam inter omnes Gentiles, Græcus tali sapientia sapiens fuit.

Secundam causam assignant observationes legum quæ apud Græcos primo fuerunt, sicut ostendunt leges duodecim Tabularum et Pandectarum sciencia, quæ usque hodie perseverant a Græcis in nos observatæ : et hac justitia etiam justitiam legis Christi cognoverunt, et acceperunt primi inter Gentiles. Unde, ad Roman. I, 17, dicit Apostolus, quod justitia Dei in eo, scilicet in Judæo in Græco, *revelatur ex fide in fidem* : quia sicut Judæus ex fide justitiæ legis Mosaicæ justitiam Evangelii agnovit, ita Græcus ex fide justitiæ naturalis cognovit justitiam Evangelii. Unde etiam David quosdam arguit hanc justitiam nolentes cognoscere, et dicit, Psal. IV, 6 et 7 : *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona?* Ac si dicat : Hæc quæstio supervacua est : quia *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,* in justitia naturali, quæ est exemplum luminis vultus tui : et ex hoc *dedisti lætitiam in corde meo* : quia ex isto cognosco justitiam tuam, quæ valde propinqua est rationi. Unde, ad Roman. X, 8 : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* Græcus autem præ omnibus Gentilibus istam studio invenit et coluit justitiam.

Tertia ratio est : quia ad litteram Græcus primo hanc ab Apostolis accepit fidei invocationem, sicut patet in epistolis Pauli, quæ excepta prima et ultima, omnes Græcis scriptæ sunt. Similiter etiam omnia Evangelia excepto Evangelio Matthæi, et similiter Actus Apostolorum et Apocalypsis. Septem enim primæ Ecclesiæ quæ signant Ecclesiæ universitatem, fundatæ sunt in Asiæ parte, quæ Græcia vocatur.

Quarta et ultima est : quia nobis Latinis a Græcis derivata est fides : quia Petrus et Paulus a Græcis ad Latinos venerunt : et ita ipsi fuerunt nobis fons et origo salutis. Proverb. V, 16 : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.* Ut ergo reverentiam exhibeamus sapientiæ et ut honorem demus cultui justitiæ a Græcis exortis, ut cognoscamus quod Græci salutem hanc primum a Paulo et Barnaba susceperunt[1], ut me-

[1] Cf. Act. XIII, 1 et seq.

mores simus, quoniam ista gratia a Græcis ad nos est derivata, in eisdem syllabis et vocibus quibus primo a populo invocata est misericordia, conservamus adhuc verba clamoris illius: hæc enim reverentia Patribus debetur, quod traditiones eorum, sicut ipsi quondam instituerunt, observentur. I ad Corinth. XI, 2: *Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* In hujus rei signum adhuc in Ecclesiis solemnibus leguntur in Græco prophetiæ et Evangelia in quibusdam festis. Hujus etiam signum est, quod solemnia concilia, scilicet Constantinopolitanum, Nicænum, Antiochenum, Ephesinum, celebrata sunt in Græcia, in quibus ea quæ sunt de Missa maxime primitus sunt instituta, quamvis a beato Gregorio resecatis quibusdam superfluis postea sint ordinata, et ad hunc quem modo tenet Ecclesia modum, sint reducta.

Sic ergo bonus populus conclamat, *Kyrie, eleison,* et *Christe, eleison.*

CAPUT III.

In consolationem populi Deum invocantis cantatur a sacerdote Gloria in excelsis.

1. Omnia autem invocantibus numquam defuit, vel deest, vel deerit misericordia Dei, ideo in diebus consolationum quando consolandus est populus, ab altari tamquam a conspectu Dei respondet ille qui in altari stat loco ejus qui est magni consilii Angelus, Episcopus, vel sacerdos dicens: *Gloria in excelsis Deo.* Ac si dicat illud Jeremiæ, XXIX, 11 et 12: *Dicit Dominus: Ego cogito super vos cogitationes pacis et non afflictionis... Et invocabitis me, et ibitis: et orabitis me, et ego exaudiam vos.* Unde est ac si dicat: Ex quo in desiderio primum clamat clerus, et ex quo ad misericordiam conclamat populus, jam facta est Deo gloria, et pax hominibus, ac si dicat illud Jeremiæ, XXXI, 16: *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo*: exaudiam quippe clamores istos, et mittam vobis in sacramento quem misi Patribus in mundum, ut participatione sui de cunctis malis eruamini, et in omnibus bonis impleamini.

Et hoc significat is qui cantat Missam per osculum altaris, quod accedens ad altare primo sumit, ut populo possit veram pacem nuntiare. Ad Ephes. II, 17: *Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem iis qui prope.*

In diebus autem profestis et in diebus luctus, sicut in jejunio, nisi sit jejunium exsultationis, sicut in Pentecoste, non cantatur: quia tunc timentes iram de peccatis satisfacimus, et pacem nondum adhuc donatam nobis commemoramus.

Quare sacerdos incipit Gloria in excelsis, et chorus prosequitur?

Sic ergo inducitur et intermittitur in Missa, *Gloria in excelsis*: et hac de causa incipitur ab eo qui loco Dei stat in altari, et loco ejus qui est nobis magni consilii Angelus. In cujus figuram unus Angelus, *Gloria in excelsis Deo,* cantavit cum nobis in sacrificium, quando Salvator pri-

mo fuit exhibitus [1]. Quia vero subito cum Angelo facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, ideo Episcopo vel sacerdote incipiente : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* usque enim huc ab Angelo est cantatum. Et secundum primam institutionem usque ad eumdem locum erat ab Episcopo vel sacerdote incipiendum. Et statim in memoria illius quod dicitur, Luc. II, 13 : *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum* : incipit chorus, *Laudamus te*, et cantat ea quæ sequuntur alta voce et solemni cantu, quæ secundum rei veritatem composuit et addidit beatus Papa Telesphorus, qui a beato Petro fuit nonus, et instituit quod in nocte Nativitatis Domini in prima Missa decantaretur ob memoriam ejus, quod tunc ab Angelo præcinente et Angelis concinentibus in consolationem humani generis est primo cantatum. Quidam autem dicunt, quod hoc quod dicitur, *Laudamus te,* et cætera quæ sequuntur a beato Hilario Pictaviensi est compositum et additum, quod non est verum. Postmodum autem Symmachus Papa instituit, quod *Gloria in excelsis* in festis Apostolorum, Martyrum et Virginum, quando non esset tempus pœnitentiæ et luctus, et in diebus Dominicis decantaretur ad augmentum divinæ laudis, quæ ostenditur in gloriosis festis Sanctorum. Sic ergo et hac de causa in Missa deductum est, *Gloria in excelsis*, etc.

Dicitur autem *hymnus Angelorum* : quia primam partem ejus laudando cantavit Angelus : residuum autem factum quidem est ab homine, sed in memoriam concinentium Angelorum cum Angelo præcinente. Daniel. III, 58 : *Benedicite, Angeli Domini, Domino* : *laudate et superexaltate eum in sæcula.* Psal. CII, 20 : *Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.*

Iste igitur hymnus componitur ex duobus, scilicet ex hoc quod est Angeli præcinentis, et ex hoc quod factum est in memoriam exercitus Angelorum concinentium. 2.

Hoc autem quod est Angeli præcinentis, duo habet, scilicet gloriam dandam Deo qui consilium hujus liberationis invenit, et continet pacem quæ hominibus bonæ voluntatis in concilio illo est perfecta et reddita.

In primo dicit tria, scilicet gloriam, et gloriæ causam, et hanc esse Deo tribuendam. Gloria autem est mala, ficta, vana, et vera. Gloria autem mala est de malis eorum de quibus dicitur, Proverb. II, 14 : *Qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* Ibi habet translatio Septuaginta : « Gloriantur cum faciunt mala, et gaudent in pessimis. » Psal. LI, 3 : *Quid gloriaris in malitia ?* Gloria mala, ficta, vana, et vera.

Ficta gloria est, quando aliquis sibi attribuit quod suum non est, sicut, I ad Corinth. IV, 7, dicitur : *Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?*

Gloria autem vana est in caducis et vanis. Isaiæ, XL, 6 et 7 : *Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo ? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Jerem. IX, 23 : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis.* Proverb. XXXI, 31, ubi nos habemus : *Fallax gratia et vana est pulchritudo,* habet littera Septuaginta : « Fallax gloria, et inanis est imago. »

Gloria autem vera est de bono proprio, quod nullo indiget bono : et hæc duplex, scilicet Auctoris omnis boni, et ejus cui illud bonum participat. De primo dicitur, Joan. X, passim : et hoc dixit Isaias, XXXV, 2 : *Ipsi videbunt glo-*

[1] Cf. Luc. II, 13.

riam Domini. Eccli. XLV, 3 : *Ostendit illi gloriam suam.* Hæc enim gloria splendoris est, decoris, et magnificentiæ divinæ. Gloria autem Sanctis communicata, est gloria in Deo de communicato sibi hoc decore et magnificentia. Jerem. IX, 24 : *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me.* II ad Corinth. X, 17 : *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et, II ad Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Gloria ergo vera vere accepta est, quam diximus divinam.

Est autem *in excelsis*, sicut in causa.

3. Est autem hæc *in excelsis*, non quidem locis, sed decore et magnificentia, quæ super omnia celsa sunt celsiora, in quibus Deus solus decorem suæ ostendit bonitatis, et virtutis, et magnificentiam operum mirabilium suorum. Unde, Luc. II, 14, dicitur : *Gloria in altissimis Deo*, hoc est, altissimo consilio et virtute et magnificentia : fuerunt et sunt, quod Filium et in carnem misit et quotidie mittit in sacramentum, de quibus cum perfici deberent, dixit Angelus, Luc. I, 35 : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et hoc signatum est, Job, XL, 4 et 5, ubi sic ad hominem dicit Dominus : *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas, circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus.* Ac si dicat : Si gloriosus vera gloria es, oportet te brachium fortitudinis invincibilis, ut Deus habet, habere, et voce similis veritatis et auctoritatis intonare, et decore virtutis circumdatum esse, et in sublimibus te ostendere, et sic gloriosum esse ut vestibus induaris in conversatione speciosis super omnem honestatem.

4. Gloria soli Deo attribuenda. Hæc igitur est vera causa gloriæ, et ideo non nisi Deo attribuenda, qui solus hoc possidet et habet : et ideo hæc gloria quæ est in altissimis, sit Deo, supple, attributa, et nostra laus data Deo qui solus gloriosus est in se et in sanctis suis. Ideo dicitur, Isa. XLII, 3 : *Gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus.* I ad Timoth. I, 17 : *Regi autem sæculorum immortali, et invisibili, soli Deo honor et gloria.* Hoc signatum est, Genes. XXXIX, 8 et 9 : *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua : nec quidquam est quod non sit in mea potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es.* Sciebat enim bonus Joseph, quod dicturus erat Apostolus, I ad Corinth. XI, 7 : *Mulier gloria viri est.* Et ideo licet bona domini sui acceptaverit, tamen cum domini sui gloria nihil commune habere voluit, quoniam non est in homine quod hominis sit unde possit gloriari, sed in aliis bonis domus domini nobis concedit potestatem : in gloria autem non vult habere consortem, sicut nec vir in uxore. Sic ergo et Angelus Deo soli attribuens gloriam verissimam, cantat : *Gloria in excelsis Deo.*

5. Pacis necessitas, veritas et congruitas. Continue autem subjungit hoc quod ex gloria Dei excelsorum factum est nobis, dicens : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tria dicens in verbo, scilicet pacis necessitatem, pacis veritatem, pacis congruitatem.

Pacis necessitatem tangit per hoc quod dicit : *In terra :* quia in terra est impugnatio belli, et ideo in terra necessitas est pacis. Pacis veritatem tangit in nomine *pacis :* quia aliter significatio nominis caderet ab effectu, quod non potest fieri in verbis Angeli : et ideo in nomine *pacis*, pacis veritas significatur. Congruitas autem pacis in hoc importatur, quod dicit : *Hominibus bonæ voluntatis :* his enim qui ratione utuntur et intellectu, per studium veritatis perficiunt, et voluntatem forma boni formant, ut bonum velint, illis vera pax congruit et non aliis. Et sic per hoc quod dicit : *Hominibus bonæ voluntatis*, congruitas pacis significatur.

De terra in qua pacis est necessitas, dicitur, Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii*, et ideo in pace esse non potest, nisi Deus ipse pacem faciat. Job, VII, 1 : Tentatio vel *militia est vita hominis super terram*. Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum*. Daniel, VII, 2 et seq., signatur hoc, ubi quatuor venti pugnant in mari magno, et egrediuntur bestiæ compugnantes. Quatuor enim venti sunt quatuor suggestiones diabolicæ mare mundi hujus turbantes, hoc est, timor vanus, spes vanior, gaudium malum, et justitia quæ mortem operatur. Hæc enim totum mundum quasi bestias faciunt corrixari. Hic ergo pacis summa est necessitas, sicut promittitur, Job, V, 23 : *Bestiæ terræ erunt pacificæ tibi, et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum*. Ad hoc enim Christus venit in corpore, in quo nihil erat pugnæ, sed omnia rationi erant consona, sicut dicitur, quod omnia animalia erant pacata in arca Noe [1], quæ corpus Domini significat, in quo omnia pertinentiá ad animalitatem nostram erant pacata, ut pacem in terra nostra faceret, et corda pacificaret, sicut dicitur, Isa. XXVI, 12 : *Dabis pacem nobis, omnia opera nostra operatus es nobis*.

Veritas autem pacis importatur, cum dicitur *pax*.

6. Pax temporis, pectoris, et æternitatis.

Veritas autem pacis conficitur ex tribus : ex pace temporis, et pace pectoris, et pace æternitatis : ut prima sit in conversatione, secunda in cordis dulcedine, et tertia in æternitatis prægustatione.

Pax autem temporis, non ut quidam putant, est temporis tranquillitas : quia illa numquam fuit sanctis data in hoc mundo : unde, II ad Timoth. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*. Apocal. I, 9, dicitur *particeps tribulationis in Christo Jesu*. Matth. X, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*. Oves autem in medio luporum pacem non habent. Unde tranquillitas temporalium non potest dici pax temporis. Sed potius pax temporis est æquaminis susceptio emergentium in tempore, ut quidquid tribulationis vel consolationis in tempore emergat, æquanimiter suscipiatur et in pace, tranquillitate animi nullatenus violata, sicut dicit Psalmista, Psal. CXIX, 7 : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis*. Hoc est una pars veræ pacis, quam Christus cum Juda habuit, quàndo eumdem ad osculum recepit. Ad Roman. XII, 18 : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*.

Secunda pars pacis est in dulcedine cordis pacati, quæ conficitur ex quatuor, scilicet ex conscientia remissionis peccatorum, ex reconciliatione ad Deum, ex concordia conscientiæ cum voluntate, et ex perfecta affectuum cordis tranquillitate. Et hoc diversis locis in dicunt Glossæ super Apostolum. De primo modo pacis intelligitur quod dicitur, ad Roman. I, 7 : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo*. Igitur pax est ex gratia, quæ est remissio peccatorum. De secundo modo pacis dicitur, Isa. XXVII, 5 : *Pacem faciet mihi*, hoc est, se mecum reconciliabit. De tertio modo pacis dicitur in Psalmo CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua*. Quia pax illa non fit inter conscientiam et voluntatem, nisi magna virtute cor voluntatem contineat, ne ad malum impetum faciat. Unde sequitur : *Et abundantia in turribus tuis*, quæ turres sunt munitiones virium animæ rationalis, irascibilis, et concupiscibilis, in quibus si est abundantia boni, pax perficitur conscientiæ imperantis et voluntatis obedientis : si autem aliter sit, statim conscientia movet bellum et remordet. De quarto modo pacis dicitur, ad Philip. IV, 7 : *Pax Dei*

[1] Cf. Genes. VI, 19.

quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras : hoc enim est tranquillitas cordis dulcis, avertens omne quod sensus ingerunt ad cordis perturbationem, et tenens intelligentias nostras in contemplatione et delectatione boni interioris. Psal. LXXV, 3 : *In pace factus est locus ejus :* quia in tali pace habitat Deus.

Pax autem æternitatis, ut dicit Augustinus in libro XIII de *Civitate Dei,* est pax cœlestis civitatis, quæ ut idem dicit, est concordia fruendi Deo, et invicem in Deo : nullo enim debemus frui nisi Deo, et omnibus bonis quæ in nobis habemus, debemus frui invicem in Deo : tunc illam in dulcedine divini boni in nobis et in proximo habiti, æternitatis pacem prægustamus. Matth. v, 9 : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

De hac autem triplici pace temporis, pectoris, et æternitatis dicit Christus ad suos, Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Et reliquit quippe nobis pacem temporis. Dedit pacem pectoris non ad modum mundi, sed suæ propriæ dulcedinis indicium, dedit pacem æternitatis. Hæc enim pax congruit hominibus rationabiliter viventibus, non feralibus se invicem lacerantibus, de quibus dicitur, ad Galat. v, 15 : *Si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Isti sunt enim qui in bestias mutaverunt similitudinem cordis sui, de quibus dicitur in Psalmo XLVIII, 13 : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Hominibus igitur intellectum, justitiam, et pietatem colentibus datur pax ista : quia illi sunt vere animal mansuetum natura, quod proprium hominum esse dixerunt Philosophi. Esther, XIII, 2 : *Volui... ut optata cunctis mortalibus pace fruerentur,* maxime si sunt bonæ voluntatis, quæ bona non est, sicut dicit Augustinus, nisi sit præventa gratia operante ut bonum velit, et sit subsecuta gratia virtutis, quæ gratia vocatur cooperans, ut bonum efficaciter et non frustra velit. Ad Phlilip. II, 13 : *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere, pro bona voluntate.* Velle enim operatur gratia quam ipse operatur, qua voluntatem informat ut bonum velit, et a malo se avertat. Perficere autem operatur gratia cooperante, quæ nobiscum operatur in opere virtutis et meriti, ne frustra dicamus nos habere voluntatem, quando nihil operamur. II ad Corinth. VIII, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est.* Talis enim voluntas tranquillitati divinæ similis est, et pax congruit sibi. Sic benigne facit nobis Deus in bona voluntate sua, homines ad imaginem suam reformans ut homines sint, et differentiis gratiæ suæ operantis et cooperantis bonam voluntatem perficiens, ut tranquilla sit et huic paci congrua : feralibus enim malæ voluntatis non erit pax. Unde, Isa. LVII, 21 : *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Cor enim impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, sed redundant in conculcationem fluctus ejus. Hi sunt quibus non sufficit Angeli divisio, ut ipsi pacem habeant et gloriam Deo attribuant, sed gloriam Deo volentes auferre, pacem scindunt, et ideo gloriam perdunt. Osee, IV, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* I Machab. II, 62 et 63 : *Quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam.*

Sic igitur dicitur : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Laudamus te. Hæc sunt quæ a sancto Papa Telesphoro sunt adjecta in commemorationem concinentium cum Angelo cœlestium exercituum. Et intellectus istorum consistit in duobus, scilicet in concentu laudis, et in laudis causa. 7.

Concentus autem iste in tribus consistit : bona enim nostra considerantur

tripliciter, scilicet prout sunt a Deo, et prout a nobis, et prout referuntur ad ipsum.

Prout autem sunt a Deo, dupliciter considerantur, scilicet in forma sive in specie datorum, et in modo quo dat ea Deus.

Prout igitur considerantur in specie datorum, dicitur : *Laudamus te, Benedicimus te.* Considerando autem modum quo dat ea Deus, dicitur : *Adoramus te, Glorificamus te.* Referendo autem bona Dei in ipsum, dicitur : *Gratias agimus.*

In prima consideratione duplicia Dei dona in nos ab ipso fluentia consideramus, scilicet dona virtutum et gratiarum, et dona quæ sunt bona naturæ, vel ad naturæ conservationem ordinata. Pro virtutibus igitur et gratiis dicimus : *Laudamus te.* Pro bonis autem naturalibus dicimus : *Benedicimus te.*

Quod autem pro virtutibus et gratiis laudemus, probatur per Philosophum in libro primo *Ethicorum* dicentem, quod virtus est laudabilium bonorum. Et idem dicit in libro de *Laudabilibus bonis.* Laus enim, ut dicit Tullius, est proprium virtutis præconium. Et ideo considerando collationem virtutum suarum et gratiarum, dicimus : *Laudamus te.* Hinc est quod dicitur, Proverb. XXXI, 31 : *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus :* fructus enim manuum Domini opera sunt virtutis : quia *dextera Domini fecit virtutem* [1], et opera illa prædicant eum in portis civitatum omnium sanctorum. Psal. XXIII, 10 : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Sic in Psalmo XLVII, 2, dicitur : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Magnus* enim Dominus virtute, *laudabilis nimis* virtutum collatione, *in civitate sanctorum,* quia laudatur in omni sanctorum civitate quæ tota est in splendore honestatis, virtutis et gratiæ : *in monte sancto ejus,* in eminentia honoris ejus qui debetur operationi virtutum. Omnes enim sui divites sunt in virtute, sicut dicitur, Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.* Sic igitur, *Laudamus te,* propter virtutes in te ostensas et nobis exhibitas : virtus enim, ut dicit Augustinus, est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis.

Laus est proprium virtutis præconium.

Virtus quid

Benedicimus autem *te* in bonis naturæ collatis nobis, quæ sunt intellectus, ratio, sensus, vita, substantia, et hujusmodi, et in his quæ ista in nobis conservant, sicut est sanitas, et bona fortunæ, et honor, et fama, et hujusmodi. Et de his duobus bonis dicitur, Jacobi, II, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Data enim optima sunt ordinata ad naturam. Dona autem perfecta sunt dona virtutum et gratiarum.

Sed quid est quod dicit : *Benedicimus te,* cum, ad Hebr. VII, 7, dicatur quod *sine ulla contradictione, quod minus est a meliore benedicitur ?* Videtur ergo, quod nobis Deus benedicere habeat, et non nos ipsum. Idem continetur, Numer. VI, 27 : *Invocabuntque nomen meum super filios Israel : et ego benedicam eis.*

Ad hoc dicendum, quod duplex est benedictio. Una quidem sacrans illud quod benedicitur. Altera autem est laus et præconium dati et accepti. Et de priori dicitur quod, quod minus est a meliori benedicitur, et ea benedictione nobis Deus benedicit, et ipsi sacerdotes hoc modo benedicunt. Et ideo in unctione manuum sacerdotum dicit Episcopus : « Consecrare et sanctificare dignare, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem, ut quidquid benedicunt, benedicatur, et quid-

Benedict. duplex

[1] Psal. CXVII, 16.

quid consecrant, consecretur et sanctificetur in nomine Domini. » Alia autem benedictione qua bona Dei laudamus et prædicamus, nos Deo benedicimus, et non Deus nobis. Tobiæ, XII, 6 : *Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei.* Psal., CII, 22 : *Benedicite Domino, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus benedic, anima mea, Domino.*

8. *Adoramus te.*

Tangit hic modum collationis quo Deus confert et laudabilia et benedicibilia. Duo autem sunt modi potestatis, scilicet qua talia conferendi habet facultatem, et modus magnificentiæ qua in talia conferendo magnificam ostendit liberalitatem. Primum est majestas quam adoramus. Secundum est magnificentiæ liberalitas, quam glorificamus. Ex majestate habet facultatem et ex magnificentia liberalitatis gloriam. In epistola Jeremiæ dicitur : *Dicite in cordibus vestris : Te oportet adorari, Domine* [1]. Majestas autem adoratur prostratione totius corporis, ut dicit Damascenus, ad significandum, quod nihil sumus nisi pulvis et cinis, nisi per ipsam Trinitatis majestatem in aliquid erecti essemus. Psal. CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Exod. IV, 31 : *Audierunt,* scilicet Hebræi, *quod Dominus visitasset filios Israel, et quod respexisset afflictionem eorum : et proni adoraverunt.* Sic ergo, *Adoramus te,* sicut veri tuæ majestatis professores. Joan. IV, 23 et 24 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorant eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*

Quare in adoratione prosternimus corpus?

9. Propter magnificentiam autem liberalitatis, *Glorificamus te* : quia sicut dicitur, Jacobi, I, 5 : *Dat omnibus abundanter, et non improperat.* Esther, II, 18 : *Largitus est dona juxta magnificentiam principalem.* Et hæc est gloria et magnificentia digna. Eccli. XLIII, 30 : *In omnibus glorificantes ad quid valebimus ? Ipse enim omnipotens super omnia opera sua.* Et infra, ℣. 32 : *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis.* Exod. XV, 2 : *Iste Deus meus, et glorificabo eum : Deus patris mei, et exaltabo eum.*

10. *Gratias agimus tibi,* hoc est, secundum relationem bonorum in ipsum. Hæc enim quæ ab ipso fluunt per gratiarum actionem redduntur sibi, ut abundantius fluant, sicut flumina quæ redeunt ad mare. Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Ingratitudo enim, ut dicit beatus Bernardus, est ventus urens exsiccans fontem pietatis et fervorem gratiæ et misericordiæ. Dicit enim beatus Dionysius in libro de *Cœlesti Hierarchia* [2], quod omne lumen gratiæ procedens a Patre luminum venit in nos, et sui abundantia nos replet, et sui simplicitate nos congregat : et quia omnia ad suum festinant redire principium, ideo convertit nos ad paternum luminis sinum, quia omnia in se congregat bona, quæ ab ipso procedunt. Hæc autem dicit his verbis : « Omnis a Patre mota manifestationis luminum processio in nos optime ac large proveniens, nos replet, et ut vivifica virtus nos congregat et convertit ad deificam super simplicitatem et congregantis Patris unitatem. Et hoc per gratiarum actionem, in qua nos grati cum donis Dei redimus ad Patrem omnium fontem gratiarum. » I ad Thessal. V, 18 : *In omnibus gratias agite.* II ad Corinth. IX, 15 : *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.* Sic ergo expleta est laus concinentium in memoriam ejus

[1] Baruch, VI, 5.

[2] S. DIONYSIUS, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 1,

quod dicitur, Luc. II, 13 : *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo*, etc.

11. Causa autem hujus tantæ laudis exponitur, cum dicitur : *Propter magnam gloriam tuam.* Hæc autem causa dupliciter exponitur : in communi, et in speciali per singularum attributa personarum.

In communi quidem cum dicit : *Propter magnam gloriam tuam.* In quo sermone tria dicuntur, scilicet causa laudis, causæ magnitudo, et quod gloria est Deo propria. Causa est gloria quæ quatuor modis definitur : duas enim definitiones dat Tullius in fine primæ *Rhetoricæ*, quarum una est, quod gloria est ore multorum prædicata laudatio. Secunda est, quod gloria est late patens præconium. Tertiam dat Augustinus, et ponitur in Glossa in fine epistolæ ad Romanos, XVI, 27 : *Cui honor et gloria*, ubi dicit sic : « Gloria est clara cum laude notitia. » Philosophus autem dicit in *Topicis*, quod per gloriam fit, quod nullo consciente non festinaret in esse, et secundum illum gloria est, quod sui nobilitate et honestate conscientiis hominum se manifestat. Hoc igitur modo gloria Deo convenit : quia ipse solus ore multorum prædicabilis, qui virtute universali se omnibus laudabilem præbuit. Unde dicitur, Psal. CXVI, 1 : *Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi.* Ipse enim est quem Pater omnibus gloriam in qua glorientur, exhibuit. Luc. II, 32 : *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.* Ipse ore multorum prædicatur, Isa. XII, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra.* Ipse est qui clara laude omni notitiæ exponitur : quia nihil nisi laudabile in eo invenitur. Daniel. III, 55 et 56 : *Laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.* Hic nobilitate, et honestate sua hominum omnium se conscientiis manifestat. Psal. CL, 1 : *Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Sanctis est ibi neutrius generis, hoc est, *Laudate* eum *in sanctis*, hoc est, quæ sancta sunt ejus, quæ omnia nobilia sunt et honesta. Hæc est igitur gloria. Est autem magna, et maxima : quia nihil sibi comparari potest. Psal. CXII, 5 : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat ?* Unde dicitur, Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo.* Eccli. XLIII, 32 : *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, et supervalebit adhuc.* Hæc autem gloria magna tua est proprie : quia alii non debetur gloria nisi soli Deo. Isa. XLII, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus.* I ad Timoth. I, 17 : *Soli Deo honor et gloria.* Hæc est ergo causa laudandi et benedicendi et adorandi et glorificandi et gratias agendi Domino.

Quadruplex definitio gloriæ.

Domine Deus, etc. 12.

Hic tangit in speciali attributa personarum. Et primo tangit ea quæ sunt Patris. Secundo, ea quæ sunt Filii. Tertio, ea quæ sunt Spiritus sancti. Quarto, subjungit id quod est unitatis essentiæ in tribus personis.

Ea autem quæ sunt Patris, tangit tripliciter, scilicet secundum quod considerantur in ipso, et secundum ea quæ operantur in nobis.

Ea autem quæ sunt in ipso, tangit dupliciter, scilicet secundum auctoritatem, et secundum gubernationem.

Auctoritatis enim est quod dicit : *Domine*, non quod solus Pater sit Dominus, cum sit scriptum in symbolo Athanasii : « Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus : et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus. » Sed quod commune est secundum operationem, per appropriationem auctoritatis, quia Pater non est de alio, Patri attribuitur, de quo dicitur, Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.* Hinc est, quod Filius vocat eum Dominum, Matth. XI, 25, cum dicit : *Confi-*

Dominus nomen auctoritatis.

teor tibi, Pater, Domine cœli et terræ. Act. XVII, 24 et 25 : *Hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo.* Non indiget, qui omnium pulchrorum et bonorum est fons et origo.

Deus autem est nomen gubernationis, quæ etiam Patri attribuitur : quia etiam patres ab antiquo dicebantur, qui alios ut reges gubernabant, et etiam patris est gubernare familiam in domo : Deus enim Græce dicitur θεος quod nomen si derivatur a verbo Græco θεωρέω, εῖς, quod est *video, vides*, idem est quod cuncta videns oculo providentiæ. Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum,... intuentes in absconditas partes.* Ad Hebr. IV, 13 : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectus ejus.* Si autem θέος derivatur a Græco *theaste* quod sonat circuitum, iterum signat Deum qui omnia circuit cura suæ providentiæ. Eccli. XXIV, 8 : *Gyrum cœli circuivi sola*, dicit Patris sapientia, cujus est tota providentia. Si autem derivatur a Græco *thetim*, quod calorem sonat, amorem providentis significat, sicut dicitur in Psalmo XVIII, 7 : *Non est qui se abscondat a calore ejus.* Sic igitur visionis luce, curæ velocitate, et amoris calore omnibus providet et omnia gubernat : et ideo dicit, Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* I Petri, V, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

13. *Rex cœlestis.* Ecce quid faciat in Angelis : quia per metonymiam *rex* dicitur *cœlestis* : quia Rex est Angelorum mirabiliter ex ministris sibi assistentibus regnum suum restaurans. Rex autem est : quia fines intentionum, et bona operationum, et leges in præceptis justitiarum, et ordines ministrorum Angelis primo, et per Angelos hominibus distribuit. Dicit enim Dionysius, quod regnum est omnis finis et ornatus legis et ordinis distributio [1]. Isa. XXXII, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes,* hoc est, Angeli, *in judicio præerunt.* Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Jerem. X, 6 et 7 : *Non est similis tui, Domine : magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex gentium? tuum enim est decus : inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum, nullus est similis tui.*

Regnum, quid?

14. *Deus Pater omnipotens.* Hoc dicitur secundum attributa Patris in nobis, et dicitur Deus nobis providens. Psal. XXXI, 8 : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Pater autem dicitur in gratia adoptionis nos formans. Isa. LXIV, 8 : *Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Psal. XXXII, 15 : *Qui finxit singillatim corda eorum, et intelligit omnia opera eorum.*

Dicitur autem *omnipotens*: quia cum tria sint in nobis reluctantia reformationi ad bonum, scilicet inferioris naturæ inobediens gravitas, infirmitatis humanæ deprimens fragilitas, spiritualis nequitiæ reluctans iniquitas, nihil horum obstare potest, quin ipse nos in filios formet. Ad Roman. IX, 19 : *Voluntati ejus quis resistit?* Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam erit difficile?*

15. *Domine, Fili unigenite.* Hic tangit ea quæ attribuuntur Filio. Hæc autem tangit sub sex differentiis. Primo enim tangit ea quæ habet in seipso, ex quibus est potens salvare et debitor salutis. Secundo, tangit modum exhibitionis quo gratiam salutis adhibuit. Tertio, tangit

[1] S. DIONYSIUS, Lib. de Divinis nominibus, cap. 12.

gratiam redemptionis. Quarto, tangit gratiam gratificationis. Quinto, tangit gratiam glorificationis. Sexto et ultimo, horum singulorum singillatim tangit causam.

Dicit igitur : *Domine, Fili*, etc., et duo tangit. Primum est unde salvare poterat. Secundum, unde salvare debuerat debitum nostrum in se suscipiens. De primo horum dicit : *Domine, Fili*. Tria dicit, quorum primum importat salutis facultatem, secundum facultatum illarum hæreditatem, tertium facultatum salutis indivisam importat plenitudinem.

Per hoc enim quod dicit : *Domine*, cum Dominus dicit omnimodam pulchrorum et bonorum possessionem, signat eorum unde salvare potest facultatem : hoc autem quod dicit : *Fili*, cum filius ex hæreditate habeat omnes patris facultates, signat illarum facultatum hæreditatem. Per hoc autem quod dicit : *Unigenite*, cum unigenitus sit qui, sicut Basilius dicit, cum secundo genito gloriam paternam non divisit, signat facultatum illarum indivisam, et possessam plenitudinem : et ex his habet unde poterit salvare plenam et perfectam facultatem. De primo dicitur in Psalmo VIII, 1 : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !* Hoc enim mirabile est in terra, quod facultatem habet omnes salvandi. Ipse enim est de quo dicitur, ad Roman. X, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant eum*. Unde Paulus, I ad Corinth. I, 5 et seq., dicit : *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : ita ut nihil desit vobis in ulla gratia*. Ex his igitur facultatibus omnes salvat.

Fili autem dicit : quia hæreditate naturali omnia possidet. Luc. XV, 31 : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt*. Ad Hebr. I, 2 : *Quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula*. Joan. XVI, 15 : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.*

Unigenite autem, quia indivise possidet. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*. Sic ergo ex his quæ deitatis sunt, facultatem habet salvandi : sed quia apud justum judicem non satisfacit nisi qui debet, ideo ex nostro assumpsit, unde pro nobis satisfacere deberet.

Et hoc est quod sequitur :

Jesu Christe. Quod autem quidam addunt : Altissime, non est de littera et a præsumptoribus est additum : quia nihil addendum erat tantæ auctoritati quam fecit Angelus et vicarius Jesu Christi. Sunt autem hæc duo nomina, *Jesu Christe*. *Jesus* quidem, ut dicit Damascenus, dicit Deum humanatum, et *Christus* dicit e converso hominem deificatum : quia naturæ duæ in una persona Filii se circumincedunt : quia deitas potentiam exercet in actibus hominis, dum humanitate tactus leprosus sanatur, mortuus tactus vivificatur, cæcus tactus illuminatur, et sic de aliis, et humana natura propria servans in potentia divinitatis se ostendit, dum solem obscurans moritur, cum petram scindens crucifigitur, dum potestate propria ponens animam et iterum sumens eam sepelitur. Jesus ergo dicit Deum humanatum, et Christus, sicut dictum est, dicit hominem deificatum. Et hoc est unde pro nobis satisfacere debuit : dicit enim Ambrosius, et probat Anselmus in libro, *Cur Deus homo*, quod pro nobis satisfacere non potuit, nisi qui debuit, et qui potuit. Potuit autem in quantum Deus Dominus Filius Patris unigenitus : debuit autem in quantum homo fuit : debuit et potuit in quantum Deus humanatus, et in quantum homo deificatus. Hoc autem probavit Anselmus. Adam enim in quo omnes peccavimus et damnati fuimus, originalem justitiam omnium hominum qui ex ipso nasci poterant, perdidit. Possunt autem infiniti nasci ex ipso, qui omnes illam Deo tra-

16.

Christus potuit et debuit pro nobis satisfacere.

didissent justitiam originalem, quæ in infinitis esset infinitum bonum quod restituere non potuit, nisi qui infinitæ fuit bonitatis, et hoc non erat nisi Deus Dominus Filius unigenitus infinitæ bonitatis. Exigere autem ab eo qui nihil debet, non est justi judicis. Cum ergo Deus justus judex sit, non exigit hoc nisi ab homine qui debuit : et sic oportuit, quod salvator homo esset, qui debuit non ex debito culpæ, sed ex debito quod voluntarie suscepit : ergo oportuit quod homo esset Deus, et Deus homo, et Deus in homine, et homo in Deo. Et sic, sicut dicitur, I ad Timoth. II, 5 : *Mediator est Dei et hominum homo Christus Jesus.* Quod ergo debuit et potuit, importatur per hoc quod dicitur : *Jesu Christe.*

Et de Jesu quidem dicitur, Matth. I, 1 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Eccli. XLVI, 1 et 2 : *Fortis in bello Jesus, ... qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei.* De Christo autem dicitur, Isa. XLV, 1 et 2 : *Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo : portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.* Cyrus autem *hæres* interpretatur : quia hic Christus primo hæres est Dei Patris, cujus Pater dexteram apprehendit : quia virtutem salutis in nobis fecit, cui etiam gentes salvatas in fide Ecclesiæ subjecit, dorsa regum mundi vertit, et eis onus suorum mandatorum imposuit, portas æreas inferni contrivit, vectes in peccati repagulis confregit : ante eum in miraculis magnis ivit, omnia quæ fecit, confirmando et contestando, et sic gloriam mundi stravit, et gloriosos et inclytos in humilitate spiritus inclinavit. Hoc est ergo quod dicit : *Domine, Fili unigenite, Jesu Christe.*

Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris.

17. Christus salvavit potenter, mansuete, et obedienter.

Hic tangitur totus salvandi modus. Salvavit potenter, mansuete, et obedienter. Potenter ut faceret opus salutis efficaciter, mansuete ut laudabiliter, obedienter ut salus nostra habeat auctoritatis incontradicibilitatem.

Primum tangit per hoc quod dicitur : *Domine Deus,* qui potens est ad salvandum. Secundum per hoc quod dicit : *Agnus Dei,* qui mansuetus est ad patiendum. Tertium tangit per hoc quod dicit : *Filius Patris,* qui obediens est Patri ad pretium pro Adæ debito solvendum.

Domine qui potens, *Deus* qui sapiens es, et cuncta providens : ex hoc enim poteris salvare, quoniam nec fortitudo aliqua resistit Domino, nec versutia aliqua potest decipere vel latere sapientis visionem. De primo petimus : *Exaltare, Domine, in virtute tua* [1], ut salves potenter : et tunc gratias agentes, *cantabimus et psallemus virtutes tuas* [2]. De sapientia autem dicitur, Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.*

Agnus autem dicitur propter patiendi mansuetudinem : *Dei* autem, ideo quia in passione fuit Deo sacrificatum. De mansuetudine dicitur, Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Isa. LIII, 7 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et non aperiet os suum.* Dei autem sacrificium est, cujus sanguine tincti liberamur ab Angelo exterminatore. Iste agnus est, qui immolatus est in figura arietis ab Abraham pro filio Isaac [3]. Iste est agnus, qui occisus est pro omnibus electis ab origine mundi [4]. Iste est agnus, qui κάτα mane immolatus est in membris, quæ præcesserunt adventum ejus, qui immolari præcipitur [5] : κάτα

[1] Psal. XX, 14.
[2] Ibid.
[3] Cf. Genes. XXII, 13.
[4] Cf. Apocal. V, 6.
[5] Cf. Numer. XXVIII, 1 et seq.

vespere in se, et in suis qui offeruntur Deo post adventum ipsius. Iste est agnus, qui agni nomen non in vacuum accipit : quia agnus ab agnoscendo dicitur. Dicit, Joannis, x, 14 : *Ego cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Iste est agnus, quem omnes agnini in vellere sequuntur. Hæc enim est natura agni masculi, quod omnes quos generat, generantem agnum sequuntur in bonitate lanæ et velleris. Et hoc signatum est, Judicum, vi, 36 et seq., ubi legitur, quod signum de descensu roris quod apparuit in vellere, defluxit, in concham et derivatum est ad aream : gratia enim quæ in deitate Christi fuit, et bonitatis thesaurus defluxit in humanitatem ejus, id est in concham, et diffusa est in area, id est, in Ecclesia. Sic igitur est *agnus Dei.*

Filius Patris : in quo ostenditur, quod obedienter solvit debitum, pro nobis, ut solutio haberet auctoritatem et utilitatem, quæ si ex obedientia Patris auctoritatem non habuisset, a Patre refutari poterat. Nunc autem quia ex obedientia Patris processit, Patri fuit acceptabilis. Ad Philip. ii, 8 et 9 : *Factus obediens,* scilicet Patri, *usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Unde vadens ad satisfactionem dicit, Matth. xxvi, 39 : *Non sicut ego volo, sed sicut tu,* scilicet vis. Hoc enim sibi fuit cordis refectio, ut Patris perficeret voluntatem. Joan. iv, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et perficiam opus ejus.* Hæc obedientia fuit sibi omnium operum et passionum necessitas. Luc. ii, 49 : *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* In his ergo consistit in sanctificatore nostro sanctificationis perfectus modus, ut perficeret sanctificationem potenter, sapienter, patienter et utiliter.

Qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Hic tangitur sanctificationis opus quod in tribus consistit, operatio scilicet redemptionis, gratificationis, et glorificationis : et hoc indicant tres versus qui per ordinem hic inducuntur.

Tanguntur autem duo in primo, scilicet redemptionis perfectio, et misericordiæ imploratio. Redemptionis perfectio dupliciter describitur, scilicet ex parte redimentis, et ex parte debiti a quo redimimur.

De primo dicit : *Qui tollis.* Et hoc secundum Priscianum habet exponi, hoc est, quia tu tollis, hoc est, habes unde tollas, hoc est, abstollas ut non sit : et id ex hoc habes facere, quia infinitum bonum pro debito infinito habes facultatem solvendi, hoc est, oleum unctionis de quo solutum est totum debitum viduæ prophetæ, hoc est, Ecclesiæ. Proverb. xxi, 20 : *Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo justi.* Ex quo thesauro absoluta est vidua [1].

Peccata mundi. Hoc signat unde absolvitur Ecclesia. Peccatum autem mundi est peccatum originale, quod totum mundum inficit per privationem justitiæ originalis, quod quamvis unum fuerit in origine, tamen multiplicatum est in vitiosa propagine, quia et omnes inficit et quemlibet multis modis : et ideo dicitur pluraliter, *peccata mundi.* Psal. l, 7 : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Sapient. xii, 10 et 11 : *Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio.* Hoc ergo peccatum tulit auferendo, quando Adæ debitum solvit. Genes. xxxi, 39 : *Quidquid furto peribat, a me exigebas.* Psal. cxxix, 7 : *Copiosa apud eum redemptio.* Osee, xiii, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Unde, Joan. i, 29 :

[1] Cf. IV Regum, iv, 1 et seq.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Subjungitur imploratio misericordiæ Dei, cum dicitur : *Miserere nobis*, ut scilicet nobis valeat redemptio in hoc quod nos de peccato mundi inficit. Hoc enim malum nascentes omnes sine gratia consumpsit, sicut dicitur, ad Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ* : quia ira consumpti essemus, nisi misericordia redemptionis pro nobis solvisset. Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti* : *quia non defecerunt miserationes ejus.* Non enim deficiunt miserationes quæ pro omnibus solvunt. Sapient. VI, 8 : *Non enim subtrahet personam cujuscumque Deus*, qui est omnium dominator : *quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus* : quia pro omnibus solvit.

19. Pars gratificationis.

Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram.

Hic tangitur opus gratificationis. Et dicuntur, duo, scilicet facultas gratificationis in Christo, et imploratio, ut ad nos beneficium gratificationis derivetur.

Facultas tangitur cum dicitur : *Qui tollis peccata mundi*, hoc est, qui habes tollendi facultatem ex gratiarum tuarum infinitis divitiis. Mundus aliqualiter hic aliter sumitur quam prius. Prius enim dicebatur collectio universitatis in origine in qua vitiata fuit : hic autem dicitur mundus ipsa hominum multiplicatorum universitas, et peccatum istius mundi est actuale, pro quo etiam satisfecit sanguis Agni. Et quia multa sunt actualia tam in omnibus quam in singulis, ideo dicit : *Qui tollis peccata*, etc. Ad Hebr. IX, 26 : *Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit* : quia nisi sanguis Christi intercedat, nullus de peccato suo poterit satisfacere. Isa. LIII, 12 : *Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.* I Petri, II, 24 : *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum* : non enim portavit nisi pœnam patiendo pro nobis.

Sequitur imploratio : *Suscipe deprecationem nostram.* Deprecatio, ut dicit Augustinus, est oratio pro amovendis malis, et est sensus : Suscipe in passione tua qua pœnam solvisti pro nobis, nostram deprecationem qua corde, ore, et opere petimus mala nostra amoveri a nobis : quia aliter non possunt amoveri. Psal. LXIII, 1 : *Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam.* Non enim suscipitur nostrum nisi in tuo : Daniel. III, 39 et 40 : *Sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur* : *sicut in holocausto arietum, et taurorum,... sic fiat sacrificium nostrum*, scilicet in pœnitentia peccatorum, *ut* a te suscipiatur et *placeat tibi*, Domine. Hoc enim addidit Ambrosius ad verba Danielis.

20. Opus glorificationis.

Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.

Hic tangitur opus glorificationis. Sedere enim est quiescentis post laborem redemptionis : sedere autem ad dexteram summi Patris, est regnantis, hoc est, in Patris regnantis æqualitate. Sedet enim ibi in altissimis et potissimis : in altissimis ad regnandum, in potissimis ad fruendum. Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Sed quia illuc ascendit, ut nobis paret locum, ut ubi ipse est, nos simus secum, ut dicitur, Joan. XIV, 3 : ideo imploramus misericordiam, ut ab exsilio liberemur, et cum ipso in regno collocemur, dicentes : *Miserere nobis*, misericordia tollente omnem hujus exsilii miseriam, et in æternam felicitatem constituente. Ad Hebr. IX, 24 : *Non enim in manu facta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Genes. XL, 14 : *Memento mei cum bene tibi fuerit, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere.* Psal. CXLI, 8 : *Educ de cu-*

stodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Job, XVII, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te.*

21. *Quoniam tu solus sanctus.*

Hic eorum quæ dicta sunt de Filio in redimendo, gratificando, et glorificando, tangitur causa : quia enim sanctus est, redimit : quia autem Dominus est, gratias contulit. Et quia Altissimus est, ideo exaltatos in gloriam ponit.

Dicit igitur : *Quoniam*, ac si dicat : Tu tollis peccata mundi, quoniam tu solus es sanctus. Et dictio exclusiva quæ ibi ponitur, facit exclusionem respectu essentiæ, et non respectu personæ : et ideo non excluditur Pater a sanctitate, nec Spiritus sanctus. Cum enim sanctus multas habeat intentiones, dicitur enim sanctum mundum, formatum, et sanguine, tinctum, non dicitur de illis æquivoce, sed per analogiam ad unum. Sanctum enim secundum primam et principalem rationem dicitur sanguine tinctum. Unde leges sanctificantur sanguine, et sanciuntur : et quod est mundum a legis transgressione, hac sanctitate est mundum. Et quod est firmatum sanguinis effusione, est confirmatum. Et omnis ideo modus sanctificationis primo oritur a sanguinis effusione : et ideo sanctum derivatur a *sanguino, as, are.* Hoc ergo modo solus redemptor noster dicitur *sanctus* : quia solus sanguine suo testamentum redemptionis confirmavit. Unde, ad Hebr. IX, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Sanctus multipliciter dicitur.

Solus redemptor dicitur sanctus.

Tum sanctus etiam est, qui solus perfecte mundus fuit semper, et est, et erit. Dicit enim Dionysius, quod sanctitas est ab omni inquinamento libera et perfecta munditia. Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Matth. I, 20 : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Est etiam solus fortis et firmus, qui numquam nutavit virtute, nec umquam cessit in tentatione. Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?* Quidam autem Philosophus dicit, quod sanctitas est virtus scire faciens quæ ad Deum sunt justa. Sic autem iterum antonomastice solus sanctus est : quia, sicut dicitur, Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* : quia solus scivit secreta. Sapient. X, 10 : *Dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.* Sic ergo solus sanctus sanguine potuit redimere, munditia sanguinis mundare, et fortitudine sanguinis mortem superare, et eum etiam qui habebat mortis imperium, potuit superare. Et quia solus scrutatur sinum secretorum Patris, secreta Dei potuit docere et revelare.

Tu solus Dominus. Et ideo solus potest conferendo gratias gratificare : sic enim ad copiam gratias et virtutes et divitias pulchrorum et bonorum possidet, ex quibus nos in omni gratia divites facit. Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Zachar. IV, 7 : *Exæquabit gratiam gratiæ ejus.*

22. *Tu solus altissimus.* Et ideo solus potest exaltare et glorificare. Psal. VIII, 6 : *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Eccli. XV, 5 et 6 : *Stola gloriæ vestiet illum. Jucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illum.*

Jesu Christe. Hæc nomina subjungit semper : quia ex illis significatur nobis circumincessio naturarum in Christo, ex quibus et potest et debet salvare. Et de Salvatore quidem humanato dicitur, Habacuc, III, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.* De homine autem deificato dicitur, Cantic. IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

23. *Cum sancto Spiritu.*

Hic tangitur proprium Spiritus sancti. Et tanguntur duo, scilicet proprium personæ : et id quod convenit tribus in unitate essentiæ.

Proprium personæ tangitur in tribus : in propositione notante associationem, in actu personæ qui notat spirationem, et appropriatio personæ quoad sanctificationem. Spiritus enim sanctus nexus est et consensio et dilectio et delectatio Patris et Filii, sicut dicit Augustinus. Est autem nexus qui totum connectit corpus mysticum cum capite. Ad Ephes. IV, 16 : *Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit.* Consensio autem est, ut dicit Hilarius, in quo Pater et Filius consentiunt et nos consentientes faciunt et schismata exterminant. I ad Corinth. I, 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint schismata in vobis.* Hujus autem consensionis sensum subministrat Spiritus unus omnes inspirans. Et est dilectio Patris et Filii, qua nos sibi adstringunt et se invicem diligunt. Osee, XI, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Est delectatio Patris et Filii, qua nos consolantur, ut in eis et non in aliis delectemur. Psal. XXXVI, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Hanc igitur et hujusmodi societatem notat habitudo præpositionis.

Spiritus sanctus est nexus et consensio et dilectio et delectatio Patris et Filii.

Spiritus autem dicitur : quia spirat, vitam scilicet, et intelligentiam veritatis, et ad cœlestia elevationem intentionis. De primo dicitur, Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam.* De secundo dicitur, Job, XXXII, 8 : *Ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Altissimi dat intelligentiam.* De tertio dicitur, Ezechiel. I, 20 et 21 : *Spiritus enim vitæ erat in rotis. Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant.* Rotæ enim sunt volubilia in Dei obsequio corda.

Sancto : quia sanctitatis est perfector in omni modo quo ante diximus. Actuum, II, 3 : *Sedit supra singulos eorum.*

Spiritus sanctus in symbolo Nicænæ synodi : « Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, etc. : » hoc est in Spiritum sanctum sanctificantem generaliter et universaliter Ecclesiam.

24. *In gloria Dei Patris. Amen.*

Hoc unitatem respicit essentiæ in tribus personis. Dicitur autem *in gloria* : quia tres personæ sunt in una et eadem gloria, quæ est claritas fulgoris æterni, quæ tamen dicitur *Dei Patris*, quia in Patre est principium totius divinitatis, et a Patre habet Filius, quod est in gloria, et a Patre et a Filio habet Spiritus sanctus, quod est in gloria. Ad Roman. XI, 36 : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ipsi honor et gloria in sæcula.* Ibi dicit Glossa, quod *ex ipso* dicitur propter Patrem, qui est origo et principium non de principio. *Per ipsum* autem dicitur propter Filium, quæ præpositio, *per*, notat causam mediam : et sic convenit Filio, qui est principium de quo cum Patre est Spiritus sanctus : et ipse hoc habet a Patre, quod Spiritus sanctus est de ipso. *In ipso* dicitur propter Spiritum sanctum, qui est principium de utroque principio, Patre scilicet et Filio, in cujus bonitate omnis continetur creatura.

Quod autem singulariter subinfertur : *Ipsi honor et gloria*, respicit ad essentiæ unitatem : et sic unus est honor trium, et unica est gloria trium. Ad Philip. II, 11 : *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Quod autem subinfertur, *Amen*, quamvis aliquando interpretatur *fiat*, sicut in Psalmo [1], ubi nos habemus : *Dicet om-*

Amen quid significet?

[1] Psal. CV, 48.

nis populus : *Fiat*, *fiat*, sermo Hebræus habet, *Amen*, *amen*. Aliquando autem idem est *amen* quod *vere* adverbialiter. Joan. VI, 32 : *Amen, amen dico vobis*. Aliquando autem idem est quod *verum*, vel veritas. Apocal. III, 14 : *Hæc dicit Amen, testis fidelis et verus*. Hic tamen idem est quod *verum* : et est responsio idiotæ ad ea quæ cantata sunt : et est ac si dicat populus : *Amen*, hoc est, quod cecinistis est verum. I ad Corinth. XIV, 16 : *Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ quomodo dicet Amen super tuam benedictionem* ?

Ad id ergo prima pars Missæ finitur, quæ vocatur *Introitus*, et populi acclamatio, et consolatio liberatoris in voce angelica.

TRACTATUS II.

DE SECUNDA PARTE MISSÆ.

CAPUT I.

Dominus vobiscum, etc.

1. Eccli. XLVII, 12 : *Dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora utque ad consummationem vitæ.*

Hoc enim de beato Gregorio potest dici, qui resecando superflua et apponens necessaria et ordinans confusa, dedit decus Ecclesiasticum in celebratione officii divini, et festiva tempora, et profestorum dierum ornavit propriis uniuscujusque diei officiis usque ad vitæ Ecclesiasticæ perfectum ornatum.

Prima pars Missæ in desiderio et acclamatione, secunda in instructione.

Et ideo postquam ordinavit primam partem Missæ, in qua invocatus Dominus desiderio cleri et acclamatione populi locutus est verba bona et pacifica, per adventum ipsius populo promittens pacem, statim subjunxit secundam partem Missæ, quæ est in instructione et manifestatione venientis : hæc enim statim incipit post *Gloria in excelsis* in festis, et post acclamationem *Kyrie, eleyson*, in profestis diebus. Hæc autem instructio durat usque ad Offertorium exclusive.

Habet autem duas partes : quia præmittitur instructio imperfectorum, et sequitur instructio perfectionis et perfectorum, et incipit in Evangelii lectione. Unde, I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.* De instructione autem perfectorum et perfectionis aliquibus interpositis, ibidem, in secundo capitulo, ℣℣. 6 et 7, dicit : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Unde, Matth. XIII, 10 et seq., Christus usus est hac forma doctrinæ : quia idiotis loquebatur in corporalibus parabolis, et Apostolis exposuit mysteria perfectæ veritatis, dicens ad perfectos : *Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem*, scilicet idiotis, *non est datum*, nisi in parabolis. Attendens enim Beatus Papa verbum Apostoli, ad Roman. I, 14 et 15 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum. Ita, quod in me, promptum est et vobis,*

ordinavit unde instrueretur primo imperfectus, et adjunxit secundo unde perfectus acciperet illuminationem. I ad Corinth. XV, 44 : *Si est corpus animale, est et spiritale.* Et infra, ℣ 46 : *Sed non prius quod spiritale est, Sed quod animale, deinde quod spiritale.* Hunc etiam ordinem secutus est Dominus, qui ordine suæ sapientiæ voluit, quod prædicatio Joannis præcederet suam prædicationem, per quam sua prædicatio et facilius induceretur et efficacius probaretur.

Epistola instructio imperfectorum.

Et hanc doctrinam signat lectio Epistolæ. Et quia Joannis prædicatione inducitur, quæ fuit finis legis et prophetiæ, et Christum digito discipulis demonstravit, ideo lectio illius instructionis aliquando fit de lege, aliquando de Prophetis, aliquando de Apostolorum verbis, in quibus Christus quasi præsens digito gratiæ, quod Joannes interpretatur, recipit demonstrationem. Etenim, Matth. XVII, 1 et seq., Christus in monte cum Moyse et Elia discipulis apparuit, et facies ejus ut sol refulsit. Per quod significatur, quod facies cognitionis ejus ut sol refulget in oculis cordis per verba Moysi, et per verba Prophetarum, quorum eximius fuit Elias, et demonstratur lumen ejus et veritas verbis discipulorum. De Moyse enim dicit ipse Dominus, Joan. V, 46 : *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* De scriptura Prophetarum dicit, ibidem, ℣. 39 : *Scrutamini scripturas : quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* De discipulis autem dicit, Actuum, I, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* In his ergo tribus consistit doctrina introductoria et imperfectorum.

Evangelium instructio perfectorum.

In doctrina autem Evangelica doctrina consistit perfectionis et perfectorum. Ad doctrinam autem epistolarem, quæ est instructio imperfectionis, adjunguntur quædam ad eam ante disponentia, et quædam subsequuntur ex parte populi instructi, de profectu instructionis respondentia. Et ideo ista pars instructionis, tres habet partes, antecedentia, ipsam doctrinam, et ipsam doctrinam subsequentia.

Antecedentia sunt sicut, *Dominus vobiscum*, et Collectæ. Ipsa doctrina est in Epistola. Et subsequentia signantur in Graduali, Tractu, et Alleluia, et sequentia.

Antecedentia igitur duo sunt, scilicet salutatio instruendorum, et Oratio, ut Deus aperiat intellectum ad instructionis profectum.

2. Quatuor notanda in hac salutatione, Dominus vobiscum.

In salutatione autem quatuor notanda sunt, scilicet quare is qui loco Dei est in Missa Episcopus vel sacerdos, converso vultu ad populum salutat, quare differenter Episcopus et sacerdos salutant, et quis sit modus salutationis, et quis modus responsionis?

De primo notandum, quod Episcopus vel sacerdos in dextro cornu altaris stans converso vultu ad populum salutat. Et in dextro quidem stat cornu : quia per dextram spiritualia signantur, et boni qui in dextera Dei locabuntur : et ideo dicitur, Joan. XXI, 6 : *Mittite in dextram navigii rete.* Quia rete prædicationis et instructionis ad spiritualia converti debet. Convertit autem vultum is qui in loco Dei est, ut opere ostendat, quia vultus suæ notitiæ in scriptura Legis et Prophetarum refulget, sicut in speculo, et aperte demonstratur in lectione scripturæ Apostolorum. Isa. LII, 10 : *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Numer. VI, 25 : *Ostendat tibi Deus faciem suam, et misereatur tui.* Genes. XXXII, 30 : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Psal. LXVI, 1 : *Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.* Numer. VI, 26 : *Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.* Sic igitur qui loco Dei est, stat a dextris altaris, sicut Zacharias pontifex, Luc. I, 11, quando apparuit ei Gabriel Angelus : *Apparuit enim ei Angelus Domini stans a*

dextris altaris incensi : in qua parte etiam stetit Zacharias. Sacerdos autem vel Episcopus Angelus Domini est, et in persona Domini in altari apparens. Malach. II, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.*

Convertit autem vultum ad instruendos : quia quando Dominus de se notitiam fecit suis, claro vultu stetit inter eos. Joan. XX, 29 : *Stetit Jesus in medio discipulorum suorum.*

Causa autem quare differenter Episcopus et sacerdos salutant, est : quia Episcopus est, qui superiori fungitur officio loco Christi : et ideo voce Christi utitur ad subditos. Prima enim salutatio quam Christus habuit ad Apostolos fuit : *Pax vobis* [1]. Et ideo etiam qui loco Dei est, primam salutationem ad subditos habet : « Pax vobis. » Matth. X, 12 et 13 : *Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes : Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam.* Sacerdos qui est in inferiori officio, non audet eisdem verbis uti, sed verbis utitur sanctorum Patrum, qui dixerunt : *Dominus vobiscum,* sicut Booz dixit messoribus suis, Ruth, II, 4.

Modus autem salutationis est, quod sacerdos dicit : *Dominus vobiscum,* et non Deus, vel Jesus, vel Christus vobiscum : quia hoc verbum, *Dominus,* possessionem signat : unde omnes potest supplere delectus populi, quod non dicit Deus. Genes. XXVIII, 20 : *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad edendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.*

Objicitur autem contra modum loquendi : quia quandocumque unus cum alio esse dicitur, principalitas notatur esse in re ablativi, et ministerium in nominativo, sicut dicitur esse miles cum rege, et non e converso rex esse dicitur cum milite. Videtur igitur, quod cum principalis sit Deus et ad nos habens auctoritatem, quod non debet dici : *Dominus vobiscum,* sed potius sic : Sitis vos cum Domino, maxime cum dicat Apostolus, I ad Corinth. III, 9 : *Dei enim adjutores sumus.*

Ad hoc dicendum, quod in veritate hæc propositio, *cum,* associationem dicit. Et hæc societas potest esse dupliciter, scilicet simpliciter vel in associatione duorum ad tertium : et quando notat associationem simpliciter, tunc revera notat principalitatem in re ablativi, sicut objectum est, sicut quando dicitur, miles est cum rege : quia in talibus ablativis supponit personam principalem, quæ movet et continet personas alias, sicut rex. Si autem duorum notatur associatio ad tertium, tunc præpositio, *cum,* notat præpositionem societatis, sicut dicitur : Rex est cum milite in bello : quia tunc fortitudo regis facit militem pugnare et vincere. Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Et sic sumitur hic *Dominus vobiscum* : Dominus enim vocatur fore nobiscum ad expugnandum hostem et perficiendum sacramentum.

4. Quinque modis optatur Dominus esse nobiscum.

Et ut hoc bene clarum fiat, dicimus quod a sacerdote quinque modis optatur Dominus esse nobiscum, scilicet in voluntatis suæ conformitate, in virtutis opere, in potentiæ suæ demonstratione, in gratiæ sacramentalis participatione, in hostium devictione.

De primo horum modorum dicitur, Matth. XXVI, 39 : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Luc. XXII, 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Est enim hæc conformitas quadruplex, scilicet secundum materiam voliti, quando volumus hoc quod Deus vult. Marc. XIV, 36 : *Non quod ego volo, sed quod tu.* Secunda conformitas est in forma volendi, ut ex eadem chari-

[1] Cf. Luc. XXIV, 36 et Joan. XX, 19.

tate velimus hoc quod volumus, ex qua charitate Deus vult hoc quod vult. Matth. VI, 10 : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Tertia conformitas est in fine voluntatis, ut scilicet ad eumdem finem velimus quidquid volumus, ad quem Deus vult hoc quod vult, hoc est, ad gloriam suam : et hoc innuitur, Matth. V, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* I ad Corinth. X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quarta autem conformitas est in causa efficiente, ut velim hoc quod Deus vult me velle, sicut quando dedit præceptum, voluit me velle obedire præcepto : et similiter quando dedit consilium, voluit me velle sequi consilium : et quando fecit me patrem, voluit me velle provisionem filiorum, et similiter est de aliis. I ad Thessal. IV, 3 et seq. : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione : ut sciat unusquisque vestrum possidere vas suum in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum.* Sic igitur Dominus optatur esse nobiscum in voluntatum conformitate : quia voluntas in Deo errare potest.

Est secundo nobiscum in virtutis operatione, sicut dicitur, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis.*

Est tertio etiam nobiscum in suæ divinitatis et fortitudinis demonstratione. Judicum, VI, 12 et 13 : *Dominus tecum, virorum fortissime.* Et respondit Gedeon : *Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia ?* Et respondit Angelus, ℣. 14 : *Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian*, et sic factum est.

Dicitur quarto Dominus nobiscum in gratiæ sacramentalis participatione, sicut dicitur, Luc. I, 28 : *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Hoc enim dicitur de participatione divina qua Deum in corde secum habebat.

Est quinto nobiscum in pugna. II Paralip. XX, 17 : *O Juda et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis : cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum.* Iste ergo est modus salutationis.

Considerandum est autem quare populus differenti modo resalutat : non enim dicit : Dominus sit tecum, vel aliquid hujusmodi : sed dicit : *Et cum spiritu tuo.* Qua spo pop Et cu ritu

Hujus autem tres sunt causæ, quarum prima est : quia sacerdos stans ante altare, totus debet esse in spiritu. Secunda est, quia spiritus hominis errat frequenter. Tertia est causa, quia in altari totum demonstratur esse opus virtutis spiritus : stans enim ad aram, nihil debet esse nisi spiritus, et nihil sentire de corpore, vel de sollicitudine sæculi. Et hoc signatum est, Genes. XXII, 5, ubi Abraham perrexit immolare filium, et *dixit ad pueros suos : Exspectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Servi sunt sollicitudines et curæ de necessariis hujus vitæ. Asinus autem animal pigrum indisciplinabile, oneriferum tamen, est pondus corporis quod pigrum est et indisciplinabile, sed tamen portans onus laboris. Puer autem est spiritus purus. Patriarcha autem loco sacerdotis est. Et ideo curis et sollicitudinibus et oneri corporis licentiam debet dare sacerdos immolaturus Filium Dei, et cum solo spiritu ad altare ad immolandum procedere. Et ideo dicit populus : *Et cum spiritu tuo.*

De secundo autem, scilicet quod non erret spiritus sacerdotis in tanto sacramento, sed Dominum habeat se dirigentem, patet, II Regum, VII, 3, quia cum Nathan propheta suo humano spiritu dixisset : *Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est* : statim correxit Dominus dicens,

ỳ. 5 : *Numquid tu ædificabis mihi domum ?* Spiritus enim hominis sæpe decipitur : et ideo in tanti sacramenti confectione Dominus cum spiritu sacerdotis esse optatur, ne decipiatur. Deuter. XXXII, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus.*

Tertia causa est, quia totum quod in altari fit, est virtute spiritus : et ideo cum spiritu esse optatur Dominus. Joan. VI, 64, loquens de altaris sacramento, dicit Dominus : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam.* Sicut autem *Dominus vobiscum* sumitur, Ruth, II, 4, ubi Booz dicit messoribus : *Dominus vobiscum :* ita *et cum spiritu tuo* sumitur, II ad Timoth. IV, 22 : *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.*

Sic igitur intelligendum est de resalutatione.

CAPUT II.

Oratio quæ primo dicitur in Missa, dicitur Collecta.

Sequitur autem post salutationem Oratio, ut Dominus aperiat corda audientium ad instructionem percipiendam, et ad digne suscipiendam oblationem sacramenti secundum dictum Apostoli, II ad Thessal. III, 1 : *Orate pro nobis, ut sermo Dei currat.*

Circa hanc orationem tria sunt notanda, scilicet nomen, ritus, et conclusio.

Nomen dicitur *Collecta.* Ratio autem nominis est, vel quia colligit petita populi, quæ sacerdos conscius secretorum colligit et offert Domino : vel quia tales fiebant pro populo, dum colligeretur ad communionem Domini celebrandam.

De prima autem ratione dicitur, Tob. XII, 12 : *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos,... ego obtuli orationem tuam Domino.* Hoc dicit Angelus. Jam autem ante ostendimus, quod sacerdos Angelus Domini exercituum est [1].

Secundo autem modo dicitur *Collecta* : quia populus colligitur, cum dicitur. Notandum est, quod tribus modis populus colligi habet ad orandum, scilicet quando partita in unum colligit, hoc est, in Deum corda colligit, quæ in multum sunt divisa. Unde Augustinus in libro IV *Confessionum :* « In omnibus quæ mente percurro, non invenio tutum locum animæ meæ præter te, Domine, in quo colliguntur sparsa mea. » Matth. XII, 30 : *Qui non congregat mecum, spargit.* Opus enim Dei semper in colligendo est, et opus diaboli in dispergendo. Secunda collecta est : quia populus ibi colligitur in unum cor et in animam unam. Psal. CI, 23 : *In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.* Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus.* Testamentum enim est promissio Dei suo sanguine confirmata. Dicitur iterum collecta corporis mystici, quæ sic in unum commiscetur sicut corpus Christi ex

[1] Cf. supra, Tract. II, cap. I ad § 2.

multis granis, et sanguis Christi de multis uvis. Psal. cx, 1 et 2 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum, et congregatione. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Nulla enim sunt majora opera Domini quam incorporari sanguini Christi et corpori, et ipsi Christo. Hoc signatum est, Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 1, ubi dicitur, quod *congregatus est omnis populus quasi vir unus* ad audiendam legem. Genes. XLIX, 2: *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* His igitur de causis vocatur *Collecta* oratio quæ primo dicitur in Missa.

2. Ritus Collectarum.

Ritus autem harum Collectarum est, quod primo erant Collectæ confusæ, et quilibet sacerdos vel Episcopus faciebat et dicebat Collectas quas volebat. Sed postea in concilio Africano, cui beatus Augustinus interfuit, statutum est, quod nulla in Missa diceretur oratio, nisi quæ sacro esset approbata concilio. Postmodum autem Gelasius Papa videns, quod multimodæ erant et differentes Collectæ, etiam quæ eadem die in diversis Ecclesiis dicerentur, resecavit superfluas, et quasdam immutavit in alias, et ordinavit, ut in Missis ubique esset conformitas. Postmodum veniens beatus Gregorius, videns quod in numero Collectarum sacerdotes modum excederent, ordinavit officium, multa resecans, mutans, et apponens, statuit ut impares dicerentur numero, una, vel tres, vel quinque, vel septem, et ultra septenarium nulla diceretur : cujus causam ipse assignans Gregorius dicit, quod divisio est causa multitudinis in omnibus : par autem numerus in duo æqua est divisibilis, et sic multitudinis est causa : et ideo binarius est causa multiplicationis et divisionis : quia omnia quæ in multa vadunt, primo per duo dividuntur : quia binarius ab unitate, quæ causa est indivisionis, primus recedit : et ideo etiam, ut dicit Augustinus, Deus operi secundæ diei, cum mundum crearet, non benedixit, cum omnium aliorum benediceret operibus dierum. Quia igitur Dominus dixit, Matth. VI, 7 : *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur :* ideo par numerus Collectarum esse non debet. Plurimus etiam esse non debet : quia, Marc. XII, 40, de Scribis et Pharisæis dicitur, quod *devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis.* Et ideo præcipit beatus Benedictus in regula, quod omnis oratio in conventu brevis sit, ne tædium audientibus generetur, et devotio impediatur. Impar autem numerus, ut dicit Pythagoras, est qui in duo æqualia dividi non potest : stat enim prima ejus divisio in unitate, quæ fieri divisionem non permittit : et ideo dicitur, quod « numero Deus impare gaudet [1] : » quia divisionem Deus in omnibus detestatur. Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Et ideo ad prædictos numeros Collectas beatus Gregorius restrinxit.

Collectas numero impari dici statuit B. Gregorius, et non ultra septem.

3 Quare vel 3, vel 7 lecta cant

Quare autem statutum sit, quod una, vel tres, vel quinque, vel septem, multi multas assignaverunt inutiles rationes. Dicunt enim quidam, quod una est propter fidem unitatis substantiæ divinæ in tribus personis, tres autem propter fidem Trinitatis, quinque vero propter quinque vulnera Jesu Christi, septem autem propter septem dona Spiritus sancti. Hæc autem ratio nulla est : quia sic etiam novem esse deberent propter novem ordines Angelorum, et undecim quia undecim discipuli abierunt in Galilæam, et tredecim propter Christum cum Apostolis, et quindecim propter quindecim gradus in quibus describitur profectus virtutum, in quo proficimus in oratione. Unde tales ra-

[1] VIRGILIUS.

nes penitus nullæ sunt et derisibiles. Vera autem ratio hujus institutionis , quod tria attenduntur in oratione, licet intentio orantis, et res in ora- ne petita, et modus petitionis. Respi- ndo autem ad intentionem orantium e una est, ut æternum bonum habea- r, institutio dicit unam sufficere Col- tam. Luc. x, 42 : *Porro unum est ne- sarium.* Psal. xxvi, 4 : *Unam petii Domino, hanc requiram.* Respiciendo tem ad petita quæ tria sunt, institutio tuit tres dici Collectas. Secundum dinem enim petimus a malo liberari pediente nos ad meritum : secundum dinem autem ad bonum petimus bo- m gratiæ et bonum gloriæ. Matth. vi, : *Quærite primum regnum Dei et stitiam ejus.* Justitia autem regni Dei as habet partes, scilicet declinare a alo, et facere bonum.

Considerando autem modos petendi, o modi considerantur, implicitus et plicitus. Considerando modum impli- tum, statuit constitutio quinque, quas titiones ponit Dominus, Luc. xi, 2 et q., ubi dicit sic : *Pater, sanctificetur men tuum. Adveniat regnum tuum. nem nostrum quotidianum da nobis die. Et dimitte nobis peccata nostra, quidem et ipsi dimittimus omni de- nti nobis. Et ne nos inducas in tenta- nem.* Et non ponit plures petitiones : ia in illa qua dicitur, *Adveniat*, etc., plicite continetur illa, *Fiat voluntas a* : quia si voluntas Dei perficitur, gnum justitiæ Christi jam adveniet. illa qua dicitur : *Libera nos a malo*, plicite continetur in illa : *Et ne nos ducas in tentationem* : ab omni enim alo liberatus est, qui in tentationem n inducitur : sicut etiam dicit Glossa dem. Si autem consideratur modus plicitus petitionum, tunc statuit con- tutio septem fieri Collectas : quia nctus, Matth. vi, 9 et seq., septem enit petitiones, explicite omnia quæ essaria sunt petentes, dicens : *Pater ter, qui es in cœlis*, in quo nulla pe- titio continetur, sed potius ostenditur ad quem oratio est dirigenda. *Sanctificetur nomen tuum*, ecce prima. *Adveniat regnum tuum*, ecce secunda. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, ecce tertia. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, ecce quarta. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, ecce quinta. *Et ne nos inducas in tentationem*, ecce sexta. *Sed libera nos a malo*, ecce septima. Ultra istas non est procedendum : quia vergit ad multiloquium, et generat tædium, et minuit devotionem.

Quod autem quidam plures volunt dicere sub una conclusione, nihil est : quia Collectæ non numerantur a conclusione : quia in secundo loco aliquando duæ, et aliquando quatuor, et aliquando sex sub una terminantur conclusione : et ideo hoc non est faciendum, sed tenenda Ecclesiæ institutio : quia hoc est apostolicum. Unde, I ad Corinth. xi, 2 : *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et post pauca, ℣. 16, dicit de illis qui statuta Patrum contemnunt, et sua esse meliora quam constitutiones Patrum contendunt, sic dicens : *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Si autem aliqua necessitas temporis illud exposcit et non contemptus constitutionis, possunt tunc dici pares, sicut in festo. S. Stephani duæ dicuntur, et in die Innocentium quatuor propter commemorationem Octavarum.

4. Tria notanda in conclusione Collectarum. Unde sit conclusio ?

Conclusio autem fere in omnibus, exceptis valde paucis, est *per Dominum nostrum.* In qua conclusione tria sunt notanda, quorum unum est, unde addita sit hæc conclusio. Secundo, qualiter sit facienda. Tertio, quid in ea contineatur.

Inventa est igitur conclusio et derivata ab Apostolis, considerando dictum Christi, Joan. xiv, 13 : *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc*

faciam. Oportet enim nos in nomine ejus petere in cujus merito exaudimur : non enim in nostro, sed in merito Christi audimur, et ideo nomine Christi oportet concludere orationem. Psal. CXIII, 9 : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Et hoc signatum est, Job, XLII, 8 : *Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam*. Job enim qui *dolens* interpretatur, significat Christum dolentem, pro nobis in cruce orantem.

Nomen autem quod ponimus, nomen est Jesu Christi : quia illa sunt nomina mediatoris. Deum humanatum dicit Jesus : hominem autem deificatum dicit Christus. Et unum nomen est mediatoris, qui ponit manum in ambobus, in Deo scilicet et homine : sicut enim a sole qui est longe, ignem mutuare non possumus, nisi medio berillo vel crystallo vel aliquo tali utamur : ita a Patre cœlesti, a quo nos per peccatum elongavimus, haurire gratiam non possumus, nisi per mediatorem qui nobis et Patri est propinquus. I ad Timoth. II, 5 : *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*. Igitur patet quare tali conclusione, non omnibus Collectis, est necesse.

5. Qualiter facienda conclusio ?

Facienda autem est in omnibus orationibus quæ ad Patrem diriguntur : si ad Filium dirigitur, tunc aliquantulum fit alio modo sicut dicitur : « Qui crucem sanctam ascendisti et mundi tenebras illuminasti, tu corda nostra et corpora nostra illuminare dignare. » Hæc enim oratio non nisi ad Filium dirigitur : quia ille solus crucem ascendit, et ideo dicere non possumus : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum :* quia tunc Filius sui ipsius Filius esse significaretur, quod est hæreticum : et ideo tunc dicimus concludentes orationem : « Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus. » Si autem oratio fit ad Spiritum sanctum, oportet quod sic concludatur : « Qui Patre et Filio vivis, etc. » Similiter et quando in oratione directa ad Patrem mentio de Filio, oportet quod tunc conclusione dicatur : *Per eumdem minum nostrum*. Si autem in Collect Patrem directa, fit mentio de Spi sancto, tunc sic concluditur : *Per Do num nostrum Jesum Christum, qui tec vivit et regnat in eodem Spiritu san*

Ea autem quæ in hac conclusione sita sunt, intelligibilia sunt per ea q jam ante fere dicta sunt. Quod enim citur : *Per Dominum*, dicitur propter cultatis divitias quæ derivatur in orar per Dominum Christum : quia talium cultatum copiam sonat hoc nomen, *minus*. Ad Roman. x, 12 : *Dominus di in omnes qui invocant illum*. Quod aut dicitur : *Nostrum*, dicitur, quia in suscepit nostrum debitum. Quod, *Jes Christum*, dicitur propter mediatione ex qua potest et debet debito cong subvenire. Quod autem dicitur, *Fili tuum*, notatur quod facultatem ha subveniendi per naturæ divinæ hære tatem. Per hoc quod dicitur, *vivit*, no tur, quod non morte prohibetur, sempiternum suum sacerdotium, q offert et orat pro nobis, *semper vivens interpellandum pro nobis* [1]. Per h quod dicitur, *regnat*, notatur confirm potestas ad subveniendum. Cum aut dicitur, *in unitate Spiritus sancti*, c plex, ut dicit Hilarius, notatur unit essentiæ scilicet et consensionis : et h secunda attribuitur Spiritui sancto. P ma autem est essentiæ trium perso rum. Spiritus enim sanctus eo qu amor est, appropriatam sibi habet uni nem consensionis. II ad Corinth. XIII, 1 *Gratia Domini nostri Jesu Christi, charitas Dei, et communicatio Spiri sancti sit cum omnibus vobis. Ame* Quod autem additur, *vivit et regnat Dei*

[1] AD Hebr. VII, 25.

ditur propter unitatem essentiæ in trium personis declarandam. Quod autem subinfertur, *amen*, vox est idiotæ secundum Apostolum : et si referatur ad finem collectæ, quæ oratoria est, vel deprecatoria, tunc sonat idem quod fiat, hoc est, ut quod petis a Deo. Psal. XIX, 2 : *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.* II Machab. 3 : *Exaudiat Dominus orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec deserat vos in tempore malo.* Si autem referatur ad finem conclusionis, tunc debet interpretari, verum est, sicut in ante habitis diximus, hoc est, Trinitas Deus vivit per omnia sæcula sæculorum. Nihil esset dictum, fiat : quia hoc necessario est, et non fit. Sed dicitur, verum est : quia hoc verum, quod sic Deus Trinitas vivit et regnat. Quid autem sit dictum, *Per omnia sæcula sæculorum*, jam superius diximus cum exponeretur, *Gloria Patri*, quia hic idem significat quod ibi [1].

CAPUT III.

De imperfectorum instructionis doctrina, scilicet Epistola.

Dicitur, Numer. X, 2: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus possis convocare multitudinem in die qua movenda sunt castra.* Ita dictum est Moysi, qui loco Dei est et sacerdotis. Psal. XCVII, 6 : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Duæ autem tubæ tubicinantes ante sanctitatis perfectorem, sunt subdiaconus et diaconus. Osee, VIII, 1 : *In gutture tuo ut tuba.* Isa. LVIII, 1 : *Exalta quasi tuba vocem tuam.* Hæ sunt argenteæ propter cymbalum et delectabilem sonum argenti, qui significat tinnulum, et dulcem sonum instructionis verbi Dei. Psal. XI, 7 : *Argentum igne examinatum.* Hæ sunt ductiles, hoc est, ictibus malleorum productæ : quia uterque patientia tribulationum et virtutum debet esse probatus. Proverb. XIX, 11 : *Doctrina viri per patientiam agnoscitur*, ut merito dicat cum Psalmita, Psal. CXXVIII, 3 : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Virtute enim patientiæ probatur fides, dum Doctor pro fide mori est paratus. His duabus convocatur multitudo populi omni tempore, quando movenda sunt castra Dei de virtute in virtutem proficientia.

Quare subdiaconus lecturus Epistolam non accipit benedictionem a sacerdote?

Una illarum tubarum imperfectioribus congruens, est subdiaconus pronuntians imperfectorum doctrinam. Et quia illa figuratur in prædicatione Joannis, quando Christus adhuc latuit, ideo subdiaconus benedictionem a sacerdote vel Episcopo non accipit : ad ambonem sine luminibus flammarum vadit, quia aperta non proponit. Et si dicatur, quod aperta sunt quæ legit de Epistolis Apostolorum, dicendum, quod illa verba ad Evangelium dirigit, in quo lucent, et sine quo nihil lucis habent, et ideo non lucent luce propria. Cum uno acolytho vadit, quia pauci sunt qui prædicationes Joannis et Prophetarum et Legis sunt secuti :

[1] Cf. Supra, Tract. I, cap. 1 ad § 16.

et quia non proponitur illa doctrina ut finis, sed ut introductio.

2. In legendo autem quatuor attenduntur, scilicet locus, conversio corporis, legendi modus, et reditus ad Episcopum vel sacerdotem.

Locus in solemnitate est altus : quia omnis Doctor in alto loco stare debet virtutis. Et hoc significatur, Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 4, ubi dicitur : *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum.* Gradus enim iste eminentiam signat virtutis.

Vertitur autem subdiaconus legendo ad Orientem : quia adhuc indiget ampliori lumine, ut illustretur. Zachar. XIV, 4 : *Stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem.* Legendi autem modus est primo quidem, quod legat distincte et aperte. Secundo autem, quod legat devote. Tertio autem, quod legat in potestate claræ vocis. De primo dicitur, Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 8 : *Legerunt in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum, et intellexerunt cum legeretur.* De secundo autem dicitur, Jerem. XX, 9 : *Factus est*, scilicet sermo Domi *in corde meo quasi ignis æstuans, clo susque est in ossibus meis, et defeci, f re non sustinens.* Hoc enim dixit prop fervorem devotionis quem ad sermon habuit. De claritate vocis, Isa. LII, *Levaverunt vocem, simul laudabu quia oculo ad oculum videbunt, cum co verterit Dominus Sion.* Sic ego est l gendum.

Reditus autem ad sacerdotem est, qu veniens ad sacerdotem, manum dext ram sacerdotis osculatur, ut non si fructum attribuat, sed Deo per osculu dextræ ejus qui est loco sacerdotis. Ac dicat : *Dextera Domini fecit virtuten dextera Domini exaltavit me* [1].

Epistola autem dicitur supra *missic* quia supererogatio super Evangelium i quo continetur doctrina perfectionis : qu et Lex et Prophetæ a Deo et ad testimo nium Evangelii supererogata sunt ad d ctrinam imperfectorum. Luc. X, 35 : *I quodcumque supererogaveris, ego cu rediero, reddam tibi.*

Sic igitur de lectione Epistolæ deter minatur, quæ est instructio Evangel præambula.

CAPUT IV.

De Graduali quod Epistolæ adjungitur.

3. Epistolæ autem adjunguntur responsiones instructorum per subdiaconum, et hoc sicut diximus in ante habitis, est dupliciter. Communis enim responsio est per Graduale : illi autem aliquando adjungitur Tractus, aliquando autem conjungitur Alleluia et Sequentia, aliquando etiam tollitur Graduale de medio, et cantantur loco ejus duo Alleluia et Sequentia, quamvis Sequentia non sit de antiquo ritu Ecclesiæ.

Graduale autem vocatur a gradibus :

[1] Psal. CXVII, 46.

quia sicut instruit subdiaconus, ita in eo per gradus virtutum proficit studium subditorum. Et hoc quidem respondendo profitetur chorus. Propter quod et ipsum Graduale antiquitus *Responsorium* vocabatur. Cum autem omnis virtus sit in qua proficimus circa difficile et bonum, et difficile sit cum labore, et bonum ferat dulcedinem in gustu et gaudium in corde, ideo in tempore pœnitentiæ profectui virtutis propter laborem adjungitur Tractus. In festis enim quando gustatur spiritus bonus, conjungitur vox lætitiæ in Alleluia et Sequentia.

Graduale igitur dicitur a choro, ut significetur profectus de virtute in virtutem ab instructis a subdiacono. Versus autem gradualis, præcinente choro, significat profectum in populo, et ideo cantant versum minores. Dicitur autem *Graduale* ad litteram : quia in gradibus cantatur : qui cantus profectum virtutum per gradus significat, de quibus dicitur in Psalmo in translatione Aquilæ : « Distribuite gradus ejus, ut enarretis in progenie altera [1]. » Et hoc signicatur in cantico graduum, scilicet quod profitentur se ire de virtute in virtutem, ita quod videbunt in doctrina Evangelii Deum deorum in Sion.

Proficimus enim in causa virtutis, in virtute, in effectu virtutis, in adjunctis ad virtutem, et in forma virtutis ad merendum.

In causa quidem per tria : quia radicationis virtutis sunt tres gradus. Primus scire, et secundus velle, tertius autem in difficilibus operibus perseverare. Et de scire quidem dicitur de doctrina, Sapient. VIII, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem*, hoc est, fortitudinem, *quibus in vita nihil utilius hominibus.* Et sic perhibetur scire. De velle autem dicitur, ad Philip. II, 13 : *Deus enim est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* II ad Corinth. VIII, 12 : *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est.* II Machab. I, 3 : *Ut faciatis ejus voluntatem corde magno et animo volenti.* Dicit enim Augustinus, quod nemo invitus bonum facit, etsi bonum est quod facit. De perseverantia autem dicitur, Matth. XXIV, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hic igitur est profectus in causa radicationis virtutis.

3. Profectus in virtute.

In virtute autem sunt gradus : quia est virtus quæ est ordo passionum in morali virtute, et est virtus quæ est intellectualis in ratione recta et veritate, et est virtus heroica sive dominalis in meta rationis et mente mensurante, et est virtus divina in animi contemplatione et delectatione. Prima est sicut qui timet timenda, et concupiscit concupiscenda, et non concupiscit non concupiscenda, et reddit reddenda, et non reddit non reddenda Et hic est ordo passionis, et hæc est prima virtus et virtutis primus gradus, medium tenens, et medium in passionibus non transgrediens. Unde Horatius in satyra :

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Deuter. XXI, 11 et seq. : *Si videris in medio captivorum mulierem pulcherrimam, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, introduces eam in domum tuam : quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues : et deponet vestem in qua capta est : sedensque in domo tua flebit patrem et matrem uno mense : et postea intrabis ad eam.* Uxor ista est ordo passionis quæ a gentili ritu per Philosophos Gentilium in Ecclesiam captiva deducta est, vinculis fidei et obedientia præceptorum colligata est : pulcherrima est, quia in honestate conversationis demonstratur ordo passionum, quam mirabiliter exornat. Radit autem cæsariem quæ de capite defluit, quando

[1] Psal XLVII, 14. Vulgata habet : *Distribuite domos ejus*, etc.

superfluas concupiscentias de capite cordis deponit. Ungues autem circumcidit, quia superfluam abscidit iram et audaciam. Vestem deponit, quando compositionem sæcularem mutat in Ecclesiasticam pulchritudinem. Sedet autem, quando a tumultu cogitationum sæcularium quiescit. In domo est, quando omni honore virtutis domum intrat et familiam Ecclesiæ. Patrem plangit et matrem, quando tristatur de absentia amicorum quod non in eamdem transeant virtutis regulam. Et sic efficitur uxor boni viri multa ferens genimina bonorum operum.

Secundus gradus est virtutum intellectualium, quando homo omnia sua mensurat recta ratione, et divina quidem sapientia lecta et audita, intellecta vera per scientiam, facienda per artem, agenda in his quæ fuerunt homini per prudentiam. Ad hunc profectum virtutis invitat Dominus, Joan. IV, 16, dicens : *Voca virum tuum, et veni huc.* Vir enim recta est ratio, ad quam omnia perficienda sunt, ut sic ad Dominum veniamus. Sic dicitur, Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor*, hoc est, ad rectam rationem : et bis dicit, *redite*[1], quia redeundum est ad rectam rationem in divinis sicut in sapientia et intellectu divinorum, et redeundum est ad rectam rationem in humanis sicut in scientia verorum et arte faciendorum et prudentia agendorum.

Tertius gradus est in virtute, ut de morali et intellectuali ad heroicam sive dominalem virtutem proficiamus. Hoc autem est, quod omnia quæ animalia et brutalia et feralia et vaga sunt in nobis, sub meta mentis constringamus, ut extra mensuram illius nihil evagetur : sic enim homo sui heros et dominus efficitur. Et hoc signatur, Genes. XVI, 9, ubi ancillæ Agar, quæ animalitatem brutalem et feralem et vagam signat, dicitur : *Agar, ancilla Saræ, revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius.* Hæc est virtus heroica, quæ fortis mulier est, quæ considerat semitas domus suæ, hoc est, cordis sui vias, sicut dicitur, Proverb. XXXI, 27, nec permittit, quod sensualitas vaga, garrula, quietis impatiens umquam evagetur.

Profectus autem in effectu virtutis est, quem determinat Plotinus Philosophus : quia quædam est virtus purgans, et quædam purgatoria, et quædam animi purgati. Purgans quidem sentit tentationes et trahitur ab eis, sed expurgat eas de die in diem. Purgatoria autem virtus sentit, sed non trahitur ab eis. Animi autem purgati virtus nec sentit, nec trahitur ab eis : et de hac quidem potest exponi quod dicit Apostolus, I ad Corinth. V, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* In purgante enim expurgamur. In purgatoria efficimur nova conspersio. In ea autem quæ est animi purgati, efficimus toti azymi.

In adjunctis autem sunt profectionis gradus : quia sicut dicit beatus Gregorius : « Dona data sunt in adjutorium virtutum, fructus in dulcedine gustus donorum, et beatitudines in perfectione fructuum. » Dona septem ponuntur[2] : fructus duodecim[3] : beatitudines octo[4]. Dum ergo de virtutibus proficimus in donorum adjutoria, de donis in gustus fructum, de gustu dulcedinis in beatitudinis perfectionem, per gradus ascendimus. Quod signatur, II Regum, III, 1, 3, ubi dicitur, quod *David ibat proficiscens, et semper seipso melior fiebat et robustior.*

Gradus etiam sunt in forma virtutum, quæ est charitas, quæ incipit et proficit et perficitur. De quo profectu dicitur, I

[1] In Vulgata non dicitur bis *redite*, sed innuitur.

[2] Cf. Isa. XI, 2 et seq.

[3] Cf. ad Galat. V, 22 et 23.

[4] Cf. Matth. V, 3 et seq.

quum est charitas.

ad Corinth. XIII, 11 : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulas, sapiebam ut parvulus : quando autem factus sum vir, evacui quæ erant parvuli.* Charitas enim incipiens dicit : *Concupivit anima mea desiderare*[1]. Proficiens dicit : *Charitas patiens est, non agit perperam, omnia credit, omnia suffert, omnia sustinet*[2]. Perfecta autem dicit illud Apostoli, ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* Hoc signatum est, Genes. XXI, 8, ubi dicitur : *Crevit igitur puer, et ablactatus est.* Puer enim est qui incipit : crescens autem proficit : ablactatus autem perfectus est : quia ille jam accipit solidum cibum, et non est amplius lactis particeps. Dicitur autem, ad Hebr. V, 14 : *Perfectorum est solidus cibus : eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.* Sic igitur profectus isti signantur in Graduali : et ideo difficiles et graves et asperas habet notas : quia virtutis omnis profectus est circa difficile et bonum. Versus autem qui adhuc longiores habet notas, signat imitationem populi, qui adhuc gravius proficit quam clerus. Eccle. I, 15 : *Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.* Matth. VII, 14 : *Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam ! et pauci sunt qui inveniunt eam.*

CAPUT V.

De Tractu.

1. Huic difficultati in laboribus pœnitentiæ temporibus luctui deputatis adjungitur Tractus, qui competit ex hoc quod tantum est pondus iniquitatis circumstantis nos peccati, quod vix etiam cum violentia tracti protrahimur ad bonum : et ideo gemendo clamat sponsa in Canticis, I, 3 : *Trahe me post te.* Et quia hoc fit laboribus pœnitentiæ, ideo Tractus tractas in longum notas habens cantatur, quæ notæ debent luctuosæ et asperæ et longe et super verba luctuosa cantari, sicut est : « Domine, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis » : et, « Qui habitat in adjutorio Altissimi » : et, « Sæpe expugnaverunt me, etc. », et hujusmodi, ut verbis lamentum doceatur, luctuosis notis indicetur compunctionis dolor, asperitate significetur pœnitentiæ labor, et longitudine perseverantia pœnitentium doceatur. Et de primo et de secundo horum dicitur, Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* De tertio dicitur in Psalmo LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* De quarto autem dicitur ab Ambrosio : « Semper doleat, et non se doluisse doleat, et de dolore gaudeat. » Psal. 4 : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*

2. Tractus etiam frequenter habet plures

[1] Psal. CXVIII, 20.

[2] I ad Corinth. XIII, 3.

Quare Tractus plures habet versus?

versus : quia per multa oportet hominem trahi in pœnitentiam antequam peccatum destruatur. Oportet enim suspendi ab actu peccati, et a voluntate peccandi radices peccatorum excidere, et reliquias longæ consuetudinis peccati delere. Radices autem vocantur libidines commutabilis boni, quæ causam peccati dederunt. Reliquiæ vocantur tenebræ, quas incurrit homo ex peccato, et difficultates ad bonum, et hujusmodi, et propter ista quatuor dicitur, Jerem. I, 10 : *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.* Evellas actum peccati per confessionem, destruas voluntatem peccandi per compunctionis dolorem, dissipes radices per devotionem, disperdas reliquias per tui a peccato elongationem : quia sicut dicitur ab Angelo Lot, Genes. XIX, 17 : *Salva animam tuam.... : nec stes in omni circa regione.* Ædifices autem per virtutum consuetudinem, plantes per operum bonorum in satisfaciendo fundationem. Per omnes istos versus oportet, quod in asperitate trahamur : et hoc ipso cantu clerus docet populum.

Hoc etiam significatur, Isa. XIV, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.* Nomen conclusionis, quod Babylon interpretatur, perditur, quando actus peccati destruitur. Reliquiæ autem, quando reliquiæ delentur. Progenies autem, quando voluntas in dolorem trahitur. Germen autem perditur, quando radices exciduntur. Dicit enim Ambrosius, quod pœnitere est radices peccatorum excidere, et eorum suggestionibus ulterius aditum non indulgere. Iste est tractus de quo dicitur, Osee, XI, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* His enim vinculis Adam a peccato retractus est, et sic retrahendo ostendit ad nos suam charitatem.

Hac igitur de causa cantatur post Graduale Tractus in temporibus pœnitentiæ, sicut tempore jejuniorum quadragesimæ et quatuor temporum, excepto solo jejunio mensis quarti, quod celebratur in septimana Pentecostes : quia tunc cum gaudio cantatur Alleluia. Ideo quod hoc jejunium est exsultationis, et non afflictionis : quia, sicut dicit Gregorius, causatur ex hoc quod Spiritum tunc ad ebrietatem et repletionem acceperunt sancti, ex quo de cibo corporali venerunt in tædium, melius interius saturati sancti Spiritus dulcedine. Unde Gregorius : « Gustato spiritu desipit omnis caro, et carnalis delectatio. » Et ideo de ebrietate dicitur, Act. II, 13, quod musto pleni sunt isti. Job, XXXII, 19 : *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit.* De hac repletione dicitur, Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Psal. LXXXIX, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua : et exsultavimus, et delectati sumus.* Repletio autem sonat saturitatem pectus prementem ad vomitum : et ideo tunc tollitur Tractus, quia tempori illi non congruit, sicut dixit Dominus, Matth. 15 : *Num possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus ?*

CAPUT VI.

De Alleluia.

Diximus autem in ante habitis, quod profectus virtutis qui in Graduali significatur, sicut ex parte difficultatis habet luctum, ita ex parte gustus dulcedinis virtutis habet jubilum : ideo quando jubilus tempore jucunditatis adjuvatur, tunc non cantatur Tractus, sed Alleluia, quod interpretatur, *laudate Dominum*, vel *laudatio Domini* : et ideo statuit Ecclesia, quod in festo jucunditatis æternæ cantetur Alleluia. Tob. XIII, 22 : *Per vicos ejus*, scilicet Jerusalem, *Alleluia cantabitur*. Et ideo in omnibus Psalmis post *Dixit Dominus* usque ad canticum Graduum, et in omnibus Psalmis a Psalmo CXLV, qui incipit : *Lauda, anima mea, Dominum*, usque in finem, *Alleluia* semper in Psalmis prænotatur : quia nihil aliud nisi laus Dei in illis Psalmis exprimitur.

Triplex laus Dei.

Sed quia triplex est laus Dei, scilicet quia bonum Dei laudamus quod in se habet, et laudamus Dei bonum in nobis habitum et prægustatum, et bonum Dei laudamus in festo illo quod celebratur nobis ostensum et exhibitum, ideo Tractu submisso, cantamus Alleluia cum jucunda et longa nota valde, in commemorationem infiniti boni quod habemus in Deo : et ideo quod est infinitum est diu, et longis et jucundis notis illud jubilamus, scientes quod superfluens est magnitudo bonitatis illius. Eccli. XLIII, 32 : *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc.* Et hanc immensam magnitudinem exprimimus magna et longa nota.

Bonum autem Dei in nobis participatum celebramus in versu qui habet quidem longas notas, sed non adeo longas. Et de istis duobus simul dicitur, Luc. VI, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefffluentem dabunt in sinum vestrum.* Bonam autem quantum ad naturæ capacitatem : confertam quantum ad meriti mensuram : coagitatam quantum ad spei amplitudinem : sed hæc sunt nobis in versu celebrata : et superefffluentem in Dei immensitate quæ in Alleluia celebratur.

Bonitas autem Dei in festo quod celebratur, ostenditur et celebratur in prosa quæ *Sequentia* vocatur. Sed hæc non est generalis, nec ab antiquo habita est in usu Ecclesiæ : sed primus qui hoc divino officio apposuit, Nothgherus abbas fuit sancti Galli, qui etiam omnes antiquas fere Sequentias fecit, sed ad imitationem ejus quidam de posteris dictamina Sequentiarum in suis Ecclesiis invenerunt, et apposuerunt, sicut et adhuc faciunt multi. Istæ autem Sequentiæ fere omnes primitus inventæ erant super notam longam *Alleluia*, et cantabantur in organo cymbalorum, vel fidium, vel fistularum, sicut dicitur in Psalmo CL, 4 et 5 : *Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus : laudate eum in cymbalis jubilationis. Omnis spiritus laudet Dominum !* Sic ergo studium David in cultu David imitari volentes, hanc laudem quæ *Prosa* vel *Sequentia* vocatur, Missæ apposuerunt.

Hæc igitur est ratio eorum quæ in posteris sunt ad Missam apposita ad imitationem David qui dedit in celebrationibus decus, et in multis tam in numero cantorum, quam pontificum, quam in habitis ad laudem Dei pertinentibus, cultum Dei sui amplia vit.

CAPUT VII.

Instructionis altera pars, scilicet de doctrina perfectorum, sive Evangelio.

1. Post ista sequitur Evangelium sicut doctrina perfectorum. Jam ex gradibus virtutum et tractu pœnitentiæ, et concepto gaudio in Alleluia et Versu et Sequentia, cui ut responsio consonans ex parte instructorum sonat *Credo in unum Deum* : et in illo tota pars quæ est de instructione, terminatur.

In Evangelica autem instructione sunt duo attendenda, scilicet ritus doctrinæ et excellentia perfectionis.

Ritus autem consideratur in quinque, scilicet in libri acceptione, in benedictionis postulatione, in processionis dispositione, in statione, et in modo quem tenent in reversione.

Diaconus Evangelium lecturus, quare librum accipit de altari ?

Accipiendus est autem liber primo de altari ipso : quia altare signat sacramentum et armarium Scripturæ et sanctificationis, de cujus scientia et auctoritate omnis vera sumenda est docendi perfectio. Isa. II, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Et ideo qui de Sion, hoc est, de visione sacræ Scripturæ non accepit, docere non debet. Verbum autem de Jerusalem procedit : quia doctor perfectionis, pacem annuntiat instruendis. Isa. LII, 7 : *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem !* Annuntiatio enim boni est Evangelium. Et hunc modum tenuit evangelista Angelus lucis, Luc. II, 10 : *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.* Et post pauca, ℣. 14 : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Acceptio autem libri significata est, Apocal. V, 1, ubi dicitur : *Vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.* Altare enim thronum Dei significat, in cujus eminentia Deus rex et sacerdos invisibilis Christus est sedens : omnia sanctificationis discernens ut rex, et perficiens ut sacerdos, a cujus dextera accipit diaconus librum, quando virtute dexteræ Dei vadit ad evangelizandum, et officium accipit evangelicum. Unde post pauca, Apocal. V, 7, dicitur : *Venit*, scilicet Agnus, *et accepit de dextera sedentis in throno librum.* De Agno enim est evangelicus liber. Et hic Agnus in ministro accipit, quando officium ad actum evangelicum accipit sacerdos.

2. Benedictionem postulat a sacerdote.

Sic autem accepto libro, benedictionem postulat et obtinet diaconus a sanctitatis perfectore Episcopo vel sacerdote. Nec vere ad evangelizandi actum minister sufficit, nisi gratia in ipsum a sanctitatis perfectore Deo per benedictionem divinam descendat in ipsum. II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes si-*

mus cogitare aliquid a nobis tamquam ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est. Eccli. XLIII, 29 : *Multa dicemus, et deficiemus in verbis. Consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.* Sic Isaac filio suo Jacob benedixit [1]. Sic Jacob filios suos singulos benedixit [2]. Sic legislator tribubus benedixit [3]. Sic unguentum gratiæ descendere signatur a capite in barbam, et de barba in oram vestimenti [4]. Dicitur enim, ad Hebr. VII, 7 : *Sine ulla contradictione, quod minus est a meliore benedicitur.* Quod de benedictione sacrante intelligitur, sicut diximus in ante habitis.

Accepta benedictione, ad benedictionem ejus qui est perfector sanctitatis, thus imponitur prunis, ut significetur quod omnis fragrans odor virtutum et orationum in sacrificio est a sacerdote Christo, qui invisibiliter omnem perficiat sanctitatem : et ideo conclusio orationum est : *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, etc. Genes. XXVII, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Cantic. IV, 11: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Hunc enim thurificandi ritum a Veteri Testamento servavit Ecclesia : quia non signat id quod factum est et ultra non est faciendum, sicut agnus paschalis, sed signat quod semper faciendum est et iterandum est, sicut suavitatem devotionis in oratione et in sacrificio. Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Apocal. VIII, 3: *Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei.* Et ibidem, ℣. 4 : *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

3. His factis, processionaliter diaconus vadit ad legendum cum duabus flammis candelarum, in quarum medio crux a tertio portatur præcedentibus, quæ flammæ signant faces verbi in luce scientiæ, et faces virtutis in operatione quæ illuminant ad videndum ea quæ in Evangelio dicuntur. De prima quidem candela dicitur, II ad Corinth. IV, 6 : *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ Evangelii in facie Christi Jesu.* De secunda dicitur, Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Crux autem alte erecta portatur, ut significetur gloriam diaconi docentis et virtutem suæ doctrinæ esse in cruce. Ad Galat. VI, 14 : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* De secundo dicitur, I ad Corinth. I, 23 : *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

Procedit cum candelis et cruce.

4. In hac processione procedit post ceroferarios is qui portat thuribulum fumans, ut significetur, quod odor bonæ opinionis et non fœtor infamiæ debet præcedere Evangelistam. II ad Corinth. II, 14 et 15 : *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.*

Statim autem post thuriferarium procedit diaconus super lævam habens librum Evangelii, et dextra amplexans eumdem : quia prædicatio non est necessaria, nisi dum sumus in læva, hoc est, in vita præsenti temporali et obscura. Quando autem transimus ad dexteram,

[1] Cf. Genes. XXVII, 23 et seq.
[2] Cf. Genes. XLIX, 1 et seq.
[3] Cf. Deuter. XXXIII, 1 et seq.
[4] Cf. Psal CXXXII, 2.

hoc est, ad æternam vitam, erimus in amplexu in vultu Dei omnia cognoscentes quæ beatitudinem perficiunt. Cantic. VIII, 3 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Fulcitur enim læva mens ignorans dum in temporali vita doctrina et verbo Dei erigitur et confirmatur : quia mens caput est animæ. Dextera autem amplexabitur, quando visione et fruitione in facie Dei illuminatur et stringitur. Proverb. III, 15 et 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus*, id est, Dei, *et in sinistra illius divitiæ et gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.* Divitiæ enim gratiæ et scientiæ gloria pertinent ad vitam præsentem : longitudo autem serenorum dierum ad æternitatem pertinet lucis perpetuæ in vita futura. In ordine autem istius processionis secundum antiqua statuta sequitur diaconum subdiaconus sicut ad doctrinam perfectionis instruendus.

5. Quare subdiaconus pulvillum portat?

Portat autem subdiaconus pulvillum ante pectus, ut significetur, quia non Evangelista cogitare habet de temporalibus subsidiis, sed is qui sequitur eum instruendus, hanc sollicitudinem debet suscipere pro ipso. Unde, ad Galat. VI, 6 : *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* Catechizare est docere : et ideo doctus doctori debet ministrare et portare temporalia quæ pulvillus significat, a quo spiritualium suscepit instructionem. I ad Corinth. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si carnalia vestra metamus ?* Quasi diceret : Non est magnum. Quod autem pulvillus positus est ad temporalium designationem, ortum habuit, Marc. IV, 38, ubi Dominus dum in procellis nataret, dormivit *super cervical*, quod est pulvillus in quo cervix requiescit. Dominus enim quamdiu in suis ministris gentibus prædicat in procella mundi, in eisdem natat. Et ideo cum a labore aliquando necesse sit quiescere et refici naturam, quiescit in pulvillo solatii temporalis, de quibus pectora subditorum debent cogitare, ne Evangelistæ studium veritatis cogantur intermittere. Hoc signatum est, Genes. XLVII, 22, ubi dicitur, quod Joseph terram Ægypti emit in potestate regis per venditionem frumenti, *præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis : quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas.* Scribenda est enim sapientia *in tempore vacuitatis*, ut dicitur, Eccli. XXXVIII, 25 : nec potest simul animus in temporalium sollicitudine intendere, et in sapientiæ contemplatione studere. Et ideo instruendus portat pulvillum. Dicit enim Philosophus in III *Topicorum*, quod tempore necessitatis melius est ditari quam philosophari. Et ideo dicit alibi, quod omnibus ad necessitatem et ad voluptatem habitis, sacerdotum gens in scholam intrare concessa est : quia si adhuc cogitandum esset de solatio vel necessitate temporalium, non sufficienter studio spiritualium intendi posset.

6. Sic ergo de sanctitatis perfectore, qui juxta aram stat, procedentes, procedunt ad ambonem, qui secundum antiquorum Patrum traditionem duos debet habere ascensus : unum quidem ad Meridiem, alterum autem ad Aquilonem : quia exaltantur in prosperis et in adversis : per Meridiem enim, quæ est plaga lucis et caloris, significantur illuminatio et calefactio Spiritus sancti. Lux enim veritatis, et charitatis calor ducunt ad evangelizandum per rectam viam. Job, XXXVIII, 24 : *Indica mihi per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram ?* Job, XXXVII, 17 : *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro ?* Per hanc igitur viam sive gradum ascendentes ministri omnes, tam subdiaconus quam ceroferarius, quam etiam thuriticator post diaconum se ordinant. Sed crux sola ante oculos ejus tenetur, stante baculo crucis super pavi-

mentum, ut significetur quod omnes sunt ab Evangelista erudiendi, tam ministri Ecclesiæ, quam idiotæ sive laici. Isa. LV, 1 : *Omnes sitientes, venite ad aquas.* Et præcedit, LIV, 17 : *Hæc est hæreditas servorum Domini : et justitia eorum apud me, dicit Dominus.* Quia omnes aquis Evangelistæ sunt potandi.

Thus tamen in inceptione Evangelii super librum ad faciem ejus qui legit Evangelium, dirigitur, ut fragrantia virtutum Evangelii a diacono pronuntiari significetur. Isa. XLI, 27 : *Primus ad Sion dicit : Ecce adsunt, et ad Jerusalem evangelistam dabo.* Primus est subdiaconus rudium doctrinam pronuntians, et in hoc se quod asserit ostendens : Evangelista autem est doctor perfectionis, diaconus, a cujus ore fumat incensum bonum nuntii. Crux autem stans super pavimentum cum baculo crucis, significat quod est accipienda a quolibet per Evangelium : tamquam dicat diaconus illud Matthæi, XVI, 24 : *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Et ideo liber ab omnium manibus appodiatus, ante diaconum ponitur.

Quod autem baculus crucis terram tangit ac si diaconus se in eam appodiat manu, significat quod virtus crucis eum in Evangelio sustentet, et quod omnia virtute crucis tam in clero quam in populo tamquam in duabus turmis perficiat. Genes. XXXII, 10 : *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior.* Hæc est etiam significatio, quod, Exod. XII, 11, baculos in manibus tenere præcipiuntur, qui comedunt agnum paschalem. In alto autem stat, ut per loci altitudinem altitudo spiritus et vitæ designetur : quia, sicut dicit Gregorius : « Cujus vita despicitur, restat ut etiam ejus prædicatio contemnatur. » Isa. XL, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem suam, qui evangelizas Jerusalem.* Hinc est, quod, Cantic. IV, 15, dicitur de scientia Evangelica, quod est *puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Puteus est propter mysterii profunditatem, aquarum propter veritatis limpiditatem, viventium propter spiritus qui in littera sonat vivificationem, quæ fluunt propter doctrinæ modum et proprietatem, quia abundanter fluunt. Impetu autem fluunt propter divinæ charitatis ad docendum promptitudinem. Ad Romanos, I, 14 et 15 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum. Ita, quod in me, promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare.* De Libano autem fluunt propter instructorum candidationem. Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.*

7. Quare diaconus legens Evangelium, vertitur ad Aquilonem?

Sic stans et legens vertitur ad Aquilone, ut dicit Dionysius, quia Aquilo plaga frigida et tenebrosa malitiam tenebrosam significat diaboli et frigidam. Jerem. I, 14 : *Ab Aquilone pandetur omne malum super universos habitatores terræ.* Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua* : quia omnium corda infrigidat et algere facit charitatis scintillam, et obtenebrat quantum potest lumen veritatis. Contra igitur illam plagam doctor perfectionis disponitur, ut tenebras fuget lumine veritatis. Joan. I, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Et ut per calorem charitatis frigus Aquilonis arceat a cordibus auditorum. Ac si dicat illud Canticorum, IV, 16 : *Surge, Aquilo, et veni, Auster : perfla hortum meum, et fluent aromata illius.* Ab ortu enim cordium surgere debet Aquilo, hoc est, expelli : Auster autem humidus et calidus vocari, ut cuncta aromata virtutum calore fragrent, et humore gratiæ accipiant incrementum.

Sic igitur in statione et hac de causa disponitur diaconus.

Quare signat cruce frontem, os, et pectus ?

Legens autem debet signare cruce frontem, os, et pectus. Similiter audientes. Frontem quidem : quia ibi est sedes verecundiæ et gloriæ, ut significet se non erubescere Evangelium, sed gloriari in cruce quam Evangelium prædicat. Ad Roman. I, 16 : *Non enim erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco.* Os autem, ut ore confiteatur veritatem in salutem. Psal. L, 17 : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Pectus autem, ut corde credat. Unde, ad Romanos, X, 10 : *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ibidem, ℣. 9 : *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris,* Psal. CXV, 1 : *Credidi, propter quod locutus sum.* Sic ergo signat se legens.

Populus autem ad hanc diaconi stationem stat revelando caput : et si induitur veste manus detinente, vestem illam deponit usque ad manuum liberationem et revelationem. Stant autem signando erectione corporis, ut mentem dirigant ad Deum. Psal. V, 5 : *Mane adstabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Stant etiam adversus malitiam Aquilonis pugnaturi. Psal. XCIII, 16 : *Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?* Stant etiam Evangelium secuturi. III Regum, X, 8 : *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam.* Vela autem et pileos capitum deponunt, ut inter caput eorum et Deum nihil sit medium, et aures habeant reseratas. Luc. X, 23 et 24 : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt.* Proverb. XX, 12 : *Aurem audientem, et oculum videntem : Dominus fecit utrumque.* Manuum autem liberatio signat expeditionem ad opus. Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes.*

8. Evangelii sex prærogativæ præ reliqua Scriptura.

Sic igitur stantibus et dispositis omnibus, legit Evangelium quod in sex præeminentiam habet ad omnem Scripturam.

Primo quidem ex nomine : quia est boni nuntium. Boni, inquam, quod est omnis boni bonum, et non particulare bonum, et hoc est bonum solum divinum. Matth. XIX, 17 : *Quid me interrogas de bono ? Unus est bonus, Deus.* Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

Secundum est, quia est verbum verborum, et sermo sermonum : quia ex ipso sicut ex themate trahitur omne verbum. Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*

Tertium autem est, quia est fidei principium et fundamentum : quia ex ipso omnia probantur. I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Christus autem Jesus est Verbum Dei, et in quantum Verbum Dei, veritatis est fundamentum.

Quarta præeminentia est, quod est spiritus omnium verborum, et alia verba legis et Prophetarum et Apostolorum sunt sicut corpus. Joan. VI, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

Quinta præeminentia est in auctoritate : quia hoc est verbum ipso ore Domini promulgatum. Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non præteribunt* [1]. Psal. CXVIII, 89 : *In æternum, Domine, permanet verbum tuum.*

Sexta præeminentia est, quia verbum illius est, qui solus est conscius secreto-

[1] Cf. Marc. XIII, 31.

rum. Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Matth. XI, 27 : *Nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* [1]. Hoc igitur fit in omni veritate et auctoritate præeminens, sicut legitur et auditur.

Cum autem lectum est Evangelium, diaconus librum claudit, et dat subdiacono ad portandum : quia jam subdiaconus per susceptionem libri instructus esse ostenditur. Ac si dicat illud Joannis, XVI, 29 et 30 : *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.*

Descendens autem descendit diaconus per viam et gradum Aquilonis, ut jam significet se contra Aquilonis malitiam triumphasse. Ac si dicat illud Lucæ, X, 17 : *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Et tunc in processione illa præcedunt acolythi et thurifer arius sicut prius : sed diaconum præcedit subdiaconus, quod prius non fecit, ut ostendat omnibus quod jam instructus est ad perfectionem. Psal. LXV, 16 : *Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Psal. XXXIII, 12 : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Hac autem processione ad sanctitatis perfectorem revertuntur, ut ostendant omnia bona in Deum esse referenda. Job, XXXVIII, 35 : *Numquid emittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus?* Fulgura enim micantia exemplis et tonantia verbis sunt Evangelistæ, qui revertuntur ad Dominum per gratiarum actionem de profectibus eorum. Baruch, III, 34 et 35 : *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt : vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.*

Librum osculatur sanctitatis perfector primo, deinde diaconus, ut dicant id Apostoli, ad Roman. VII, 22 : *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.*

Et in hoc est finita sancti Evangelii lectio, quæ nobis est salus et protectio contra diabolum.

CAPUT VIII.

De acclamatione chori per Symbolum, et quid nomine illo dicatur?

Sequitur autem acclamatio chori ex parte omnium per *Credo in Deum,* vel *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.* Quia jam instructi per Evangelistam audiunt Petrum in I Canonica, III, 15 : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe.* Spes enim est hic dicta res sperata, et hæc non est in nobis nisi per fidem : quia fides ad speranda oculos aperit, spes erigit, charitas figit. Ad Hebr. XI, 1 : *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et ideo jam clamat popu-

[1] Cf. Luc. X, 22 et Joan. VI, 46 ; VII, 28 ; VIII, 19 ; X, 15.

lus instructus, quod toto corde credit.

Sed objicitur contra : quia secundum hoc non sanctitatis perfector, scilicet sacerdos, vel Episcopus deberet incipere symbolum, sed aliquis de populo : vel saltem de choro.

Sed ad hoc dicendum, quod sanctitatis perfector ideo incipit, ut ostendat quod fides donum Dei est, et quod a Deo per sanctitatis perfectores bona procedunt in populum ordinate per gradus Ecclesiæ, sicut dicit Psalmista, Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus :* sicut, I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant*, scilicet in vobis. Et ideo dicit Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia*, quod lex divinitatis est per prima media et per media ultima reducere.

Quare sacerdos incipit Credo?

Incipiente sanctitatis perfectore symbolum, concinit statim chorus, ut ostendat, quod omnes illam fidem operantem per dilectionem recipiunt et receperunt per eum qui est perfectionis instructor : ac si quilibet dicat de se, Judicum, V, 3 : *Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.*

2. Symbolum, quid?

Hic autem circa symbolum tria sunt notanda, scilicet quid dicatur per nomen, et quæ divisio symboli, et quare plura facta sunt symbola.

Ad primum autem dicimus, quod symbolum in Græco idem est quod Latine *collatio*, et dicitur per compositionem a σύν quod est *cum*, et βόλη, quod est pars masticata semel in ore sive in bucca : quia quilibet Apostolorum in eo *bolum*, hoc est, articulum diu per masticationem meditationis perfectum posuit. Apostoli enim quando dividendi erant in totam terram ad prædicandum, convenerunt Jerusalem, et ibi contulerunt articulos fidei quam prædicaturi erant, ut uniformiter prædicarent, et non essent in eis schismata. I ad Corinth. I, 10 : *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Ad Galat. II, 2 : *Ascendi Jerosolymam, et contuli cum illis*, hoc est, cum Petro et Jacobo, *evangelium quod prædico in Gentibus, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Hæc igitur est ratio nominis.

Dicitur autem hoc symbolum etiam *fides*.

Sed *fides* dicitur tripliciter, scilicet qua creditur in Deum, et est forma quæ est lumen a Deo infusum per quod aliquis assensit primæ veritati propter se et super omnia, quam tamen veritatem ratione non comprehendit. Ad Hebr. XI, 1 : *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Substantia* ibi ab Apostolo dicitur fundamentum : quia fundat in nobis res sperandas in gratia et gloria et venia, quæ aliter non erant fundatæ in nobis assensu immobili, nisi Deus lumine suo nobis vel patribus revelato tales res fundaret in nobis : quia nisi ipse lumen suum ad hoc infunderet, dubitaremus de talibus, vel omnino ea negaremus. I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo post ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Glossa Ambrosii : « Hæc est fides Jesu Christi. » Et quia per fidem homo talibus quæ supra rationem sunt, consentit firmo et immobili et indubitato assensu, ideo dicitur fides *argumentum non apparentium*, hoc est, arguens, id est, convincens mentem de non apparentibus rationi : quia sicut dicit Richardus de sancto Victore, et ante eum Hilarius : « Fides est supra rationem, et infra intelligentiam veritatis quam aperta contemplatione de Deo habebimus in patria. » Unde Dionysius dicit in libro de *Divinis nominibus*, quod fides est lumen collocans per assensum mentis credentes in veritate quæ de Deo est, et veritatem collocans in

credentibus [1]. Hæc igitur est fides habitualis virtus qua creditur in Deum.

Est iterum fides id quod creditur, scilicet quod Deus est trinus et unus, et quod unigenitus Dei conceptus et natus est ex Maria Virgine, et quod passus est, et alia hujusmodi quæ credit sancta Ecclesia. Et sic dicitur fides *articulus*.

Articulus antem, ut dicit Richardus de sancto Victore, est minimum credibile arctans nos ad credendum : sicut enim corpus humanum ex articulis componitur, ita quod in qualibet junctura duo conjunguntur, quorum utrumque est articulus, sicut apparet in digito, in quo per duas juncturas tres articuli conjunguntur : ita in Catholica fide sunt membra articulatim composita, ex quibus fides componitur Catholica. Et hæc compositio *symbolum* vocatur. Et sicut in corpore ubicumque est inflexus et junctura duorum, non est articulus unus, sed plures : ita et in symbolo ubi res una est et ad unum pertinens, unus est articulus. Et ubi res in diversa flectitur et ex pluribus componitur, non est unus articulus, sed plures, sicut quod dicam Filium unigenitum qui conceptus est de Maria Virgine. Ibi enim alia res credenda est qua Christus unigenitus Dei est generatione æterna, et alia qua conceptus est secundum carnem : et ideo hæc duo sunt articuli.

Cum autem articulus dicitur *minimum credibile*, non debet intelligi simpliciter *minimum*, sed ita minimum, quod ulterius non dividatur in symboli resolutione et divisione. Sicut et in corpore hominis magnum organum qui est coxa vel crus, et tamen quia in divisione corporis non dividitur nisi in duo membra, ideo dicitur *articulus corporis*. Quod autem dicitur *arctans ad credendum*, ideo dicitur, quia ad salutem exigitur quod credatur, et nisi credatur, homo salvari non potest. Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur.*

5. Fides habet antecedentia, conclusiones, et consequentia.

Hoc modo dicta fides habet antecedentia quæ sunt principia per quæ probatur : habet et credita quæ sunt quasi conclusiones ex illis antecedentibus principiis elicita : et habet consequentia quæ sunt quasi conclusiones ulteriores ex istis conclusionibus habitæ, quæ a Philosophis *corollaria* vocantur.

Antecedentia autem sunt, sicut quod Deus sit, et quod verax sit in dictis, et quod revelatum sit ab ipso quod hoc immobilem habeat veritatem, et quod Scriptura sit revelata ab ipso : et ideo major sit Scripturæ auctoritas quam omnis humani ingenii perspicacitas : et ideo Scripturæ sit credendum in omnibus in quibus etiam aliquid præter rationem humanam dicere videretur. Ad Hebr. XI, 6 : *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Sicut enim in philosophia de principio relinquitur et supponitur quia est, et ita de istis non requiritur, sed supponitur quia ita sunt, hoc est, quod certissime vera sunt.

Conclusiones autem per scripturas et revelationes probatæ sunt articuli fidei, quos de Scriptura elicitos et per revelationem acceptos nobis credendos Apostoli proposuerunt, de quibus in expositione symboli dicemus.

Consequentia sunt, sicut ea quæ pertinent ad determinationem articulorum et explanationem, sicut si articulus est Christum esse incarnatum, consequens est ut de aliqua matre incarnatus sit, et aliquo operante : et sic creditur, quod de Virgine Maria tempore Cæsaris Augusti, et operante Spiritu sancto. Et si credo vitam æternam, consequens est, quod vita æterna percipiatur a dignis vita, et quod qui mortuus est in peccato, non dignus sit vita, et quod quædam peccata sint mortem illam inferentia : et si consequens

[1] S. Dionysius, Lib. de Divinis nominibus, cap. 7.

est, quod fornicatio et adulterium et furtum et alia quæ morte Dominus condemnat, et vitam æternam impediunt, sicut peccata mortalia. Et sic est facile videre in omnibus.

Hæc igitur fides quæ creditur, sive quod credatur in antecedentibus principiis et conclusionibus et in consequentibus ex istis. Et qui sic ista credit, fidelis dicitur et Catholicus. Qui autem ista vel aliquod horum non credit, dicitur infidelis et hæreticus. Infidelis quidem, quia fidem non habet. Hæreticus autem Græce, Latine sectæ suæ assertor et defensor est: quia suas sequitur phantasias errorum, et illas præsert auctoritati divinæ.

Hæc fides dicitur Catholica et Apostolica, ut dicit Boerius in libro de *Duabus naturis in una persona Christi*. Catholica duabus de causis: quia scilicet principia ejus non particulariter, sed universaliter vera sunt sine omni instantia. Et alia de causa: quia universaliter et non particulariter in toto mundo est tenenda. Quod non fuit lex vetus: quia ad illam non tenebantur nisi illi qui fuerunt in domibus Patriarcharum: et quando a domo Patriarchæ illi qui intus erant, separabantur, ex tunc ad legis observantiam non tenebantur, sicut dicit Glossa Apostoli super epistolam ad Romanos. Apostolica autem dicitur: quia collatione Apostolorum per articulos est edita, quolibet Apostolorum in ea aliquid conferente.

Tertio dicitur *fides*, qua itur in Deum per fidei devotionem et bonorum meritorum profectum. Et ista est quæ operatur per dilectionem. Ad Galat. v, 6: *Fides quæ per charitatem operatur*, quando scilicet ex fide veritati credendorum assentio, et per devotionem in eo corde, ore et opere tendo ut veniam ad ea quæ credo.

Ex his quæ sunt jam dicta, patet quod qui credit et male operatur, habet fidem primo modo dictam: et qui credit et secundum hoc operatur, habet fidem tertio modo dictam. Et hinc est, quod quidam in numero fidelium sunt in Ecclesia sola numero, alii autem numero et merito. Ad Titum, I, 16: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

Ex dictis etiam patet, quod fides quæ creditur, valde ampla est, ex quo in se antecedentia fidei, et conclusiones, et consequentia comprehendit. Patet etiam, quia aliud est articulus qui est credibile quoddam sicut conclusio, et aliud determinatio articuli quæ est ex consequentibus.

CAPUT IX.

De symbolo Apostolorum et divisione ejus.

ARTICULUS I.

1. His itaque præhabitis, accipiamus symbolum Apostolorum, et divisionem illius et explanationem ostendamus.

Dividendo igitur dicimus, quod Petrus, Apostolorum princeps in concilio Apostolorum, primum articulum posuit, dicens: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ.* Et ibi tacuit. Et iste est articulus primus.

Et quod dicit: *Credo*, idem est ac si

dicat : Corde assentio, devotione tendo *in Deum*, qui paternitate sua est principium totius divinitatis : quia ab ipso est Filius per generationem, et Spiritus sanctus per processionem.

Et quod addit : *Omnipotentem*, intelligitur, quod sibi posse sit pro voluntate liberum, non lege alicujus inferioris vel ignobilis naturæ retractum, sicut nos multa non possumus lege ponderosæ naturæ nostræ retracti. Secundo, quod posse suum nulla infirmitate sit depressum. Et tertio, quod nulla re in contrarium operante sit umquam impeditum, sed ad voluntatem omnimo liberum, nec retractum, nec depressum, nec impeditum. Sapient. XII, 18 : *Subest tibi cum volueris posse.* Psal. CXIII, 11 : *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Esther, XIII, 9 : *Domine Deus, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Ad Roman. IX, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?* Sic ergo dicitur *omnipotens Deus.*

Quod autem dicitur : *Creatorem cœli et terræ*, ad eumdem pertinet articulum sicut effectus pertinet ad suam causam : quia sicut artifex qui facit domum vel arcam, necesse est ut gignat primo suo intellectu verbum et artem, quod est forma et ratio faciendi operis : ita necesse fuit ex quo Deus per sapientiam suam fecit mundum, quod prius de suo intellectu substantiali gigneret Verbum, quod est forma idealis et ars et ratio faciendi operis : quia aliter nesciret quid operaretur. Et sic patet, quod Deus est Pater Verbi, et hæc est causa formalis et idealis faciendi mundi. Et sicut in artifice qui operatur per intellectum, necesse est quod ab ipso fluat spiritus qui verbum, quod est idea et ars et forma operis, vehit in id quod facit vel facere intendit : ita necesse fuit, quod a summo Patre procederet spiritus Verbi sui, qui verbum vehat in facienda sive faciat in opere creationis, sive in opere sanctificationis, sive in opere glorificationis. Et sic patet, quod processio personarum a Patre causa est processus creationis et glorificationis et gratificationis a tribus personis. Et hoc est dictum Anselmi in *Monologio*. Et sic probat sicut hoc probatum est. Hujus signum est, quod in primordio mundi, statim ut creaturæ formatæ sunt, ante semper præmittitur : « Dixit Deus : Fiat hoc vel illud. » Et dicit Glossa, hoc est, Verbum genuit in quo erat ut fieret. De Spiritu autem dicitur simul et Verbo : *Verbo Domini cœli formati sunt : et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [1]. Sic ergo patet, quod ad idem pertinet Pater Filii, et creatorem esse cœli et terræ. Ideo dicit Apostolus, ad Coloss. I, 15 et 16, de Filio *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ : quoniam in ipso condita sunt universa.* Matth. XI, 25 : *Confiteor tibi, Pater cœli et terræ.*

Ostenso igitur, quod hæc ad idem pertinent, et non habent flexum et divisionem in diversa, dicimus quod hic est articulus primus quem statuendo posuit Petrus.

ARTICULUS II.

Secundus autem in concilio fuit Andreas, frater Simonis Petri, qui bolum suum posuit dicendo : *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Et hoc dicto siluit.

Quod enim dixit : *Et in Jesum Christum,* notat mediatoris personam, sicut constat ex habitis.

Quod autem dixit : *Filium ejus unicum*, in Filio ejus notat et generationis processionem et connaturalitatem divinitatis, quæ inter hominem generantem est et genitum, si ab ipso naturaliter et substantialiter generatur. Et cum deitas nec secundum esse nec per naturam possit

[1] Psal. XXXII, 6.

multiplicari, oportet quod inter generantem et genitum consubstantialitas esse credatur.

Quod autem dicit : *Unicum*, notat quod totam gloriam Patris possedit, et eam cum alio secundo genito non divisit, ut in ante habitis ex verbis Basilii habitum est.

Et quod dicit : *Dominum*, notat quod omnium divitiarum sit possessor et largitor.

Et quod dicit : *Nostrum*, notatur quod noster debitor ex sua charitate qua nostra in se suscepit, sit effectus.

Hæc autem omnia in ante habitis sunt exposita.

ARTICULUS III.

Post hunc, scilicet Andream, proposuit Jacobus major, qui dixit : *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Hæc enim duo, conceptus et nativitas, ad idem pertinent sacramentum incarnationis : quia consummatio conceptionis est nativitas.

Quod autem dicit : *De Spiritu sancto*, præpositio *de* quidem notat potestatem et operationem, ut sit sensus : Qui conceptus est de potestate et operatione Spiritus sancti. Non autem notat substantiam vel materiam : quia qui de substantia alicujus conceptus est, filius ejus est : Christus autem non est filius Spiritus sancti secundum temporalem generationem, quia secundum illam generationem non est factus de substantia Spiritus sancti.

Quod autem dicitur : *Natus*, intelligit duas nativitates : unam in utero, quia Christus naturam nostram assumpsit et sibi univit : et aliam ex utero, qua de utero in lucem processit, non reseratis claustris virginei pudoris. Et ideo dicit : *De Maria Virgine*, quod sicut ante partum fuit illibata, ita in conceptione fuit sine concupiscentia, et in gravidatione sine pondere, et in partu sine dolore. De conceptu autem dicitur, Luc. I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* De nativitate autem in utero dicitur, Matth. I, 20 : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* De nativitate autem ex utero dicitur in Psalmo XVIII, 6 : *In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Quia sicut sol radium, ita mater virgo filium de thalamo uteri sui protulit incorrupta. De hoc autem quod virgo mansit ante partum, et in partu, et post partum, dicitur, Ezechiel XLIV, 2 : *Porta hæc*, quam vidisti, *clausa erit : non aperietur,... quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam : eritque clausa principi*, hoc est, ad honorem principis.

Hic igitur est tertius articulus.

ARTICULUS IV.

Joannes autem Evangelista quarto loco posuit bolum, dicens : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus.* Articulus enim iste est passio Christi : determinatio autem articuli est, quod sub Pontio Pilato est passus : qui quidem *Pontius* dicitur, quia devicit Pontum insulam, sicut Scipio dicitur *Africanus*, quia devicit Africam.

Quod autem addit : *Crucifixus*, modum explanat passionis. Et quod dicit : *Mortuus*, dicit multæ passionis quantitatem. Et sumitur de verbis Apostoli, ad Philip. II, 8, ubi dicitur *factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Quod autem addit : *Sepultus*, non aliud dicit, sed circa mortem addit officium funeris. Tobiæ, IV, 3 : *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli.* Et ideo sepultura nihil addit nisi

quod ad mortem pertinet. Propter quod totum illud ad unum et eumdem pertinet articulum. Isa. XI, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.*

ARTICULUS V

Quinto loco suum bolum posuit Philippus, dicens : *Descendit ad inferos : tertia die resurrexit a mortuis.* In quo quidam multum dubitaverunt, utrum descensus ad inferos, et resurrectio mortuorum ad unum et idem credibile, quod vocatur *articulus*, pertineant. Sed salvo judicio melioris sententiæ dicendum videtur, quod resurrectio duplex est, animæ scilicet et corporis, et descensus ad infernum, ut dicit Damascenus, animæ Christi deificatæ, ideo in inferno vitam fecit beatitudinis in visione deitatis conjunctæ cum anima Christi, et ibi implevit quod dicitur Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors ! morsus tuus ero, inferne !* Perimere autem mortem et mordere infernum sunt actus vitæ et non mortis : ibi enim implebit quod dixit, Matth. XII, 29, quod fortior Christus *intravit in domum fortis*, scilicet diaboli, *et alligavit fortem, et omnia vasa illius diripuit* [1]. Et hæc omnia pro certo sunt actus vitæ et ad resurrectionem relata : et ideo cum resurrectione in eodem credibili ab Apostolo conjuncta. Eccli. XXIV, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.*

De resurrectione autem dicitur in Psalmo CXXXVIII, 18 : *Exsurrexi, et adhuc sum tecum.* Non enim in toto perii per mortem, sicut inimici mei Judæi arbitrati sunt. Psal. III, 6 : *Ego dormivi et soporatus sum : et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.*

ARTICULUS VI.

Post hoc proposuit Bartholomæus : *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Sedere enim a dextris Dei Patris, terminus est ascensionis. Et ideo ad idem pertinet credibile. Quia autem Christus verus Deus fuit, ideo propria virtute, non Angelorum manibus supervectus, sicut Lazarus loris ascendit. Michææ, II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Joan. XX, 17 : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Et secundum deitatem quidem sedere ad dexteram Patris, est sedere in æqualitate Patris. Secundum autem humanitatem sedere a dextris, est potissimis bonis ultra omnem creaturam perfrui. Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

ARTICULUS VII.

Thomas post illum adjunxit bolum, dicens : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Act. I, 11 : *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* In forma autem humana ivit : quia in forma divina nusquam defuit. Et ideo in forma humana redibit ad judicium, in qua et a bonis et a malis videbitur. Joan. XIX, 37 : *Videbunt in quem transfixerunt.* A malis autem forma divina videri non poterit : quia, sicut dicit Augustinus : « Hanc nemo videre poterit, nisi gaudeat et glorietur in ea. » Isa. XXVI, 10 : « Tollatur impius ne videat gloriam Dei : » et est translatio Septuaginta [2]. Act.

[1] Cf. Luc. XI, 22.

[2] Vulgata habet, Isa. XXVI, 10 : *Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.*

XVII, 31 : *Statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* II ad Corinth. V,10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et hic modus judicii, Matth. XXV, 33 et seq., describitur, ubi dicitur quod rex noster Christus statuet oves a dextris, hœdos autem a sinistris. Et bonis dicet : *Venite, benedicti Patris mei.* Malis autem : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

ARTICULUS VIII.

Matthæus autem post hunc bolum posuit, dicens : *Credo in Spiritum sanctum.* Quia post sacramenta quæ fuerunt de Filii divinitate et humanitate, consequens est de Spiritu sancto qui procedit ab utroque, a Patre scilicet et Filio.

Dicitur autem hic : *Credo* : quia a primo articulo usque huc intermissum fuerat : et ideo consequens erat hic iterare, quando de alia persona articuli erant ponendi.

Spiritus autem dicitur : quia spirat vitam gratiæ et intelligentiæ : et sic dicitur, Joan. VI, 64, de primo : *Spiritus est qui vivificat.* De secundo dicitur, Job, XXXII, 8 : *Sed, ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Ex primo habet, quod dicitur spiritus bonitatis et bonus. Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ex secundo quod dicitur spiritus veritatis. Joan. XVI, 13 : *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem : et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Ex utroque probat se esse spiritum Christi, sicut dicitur, Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

Sanctus autem dicitur : quia est omnis sanctitatis perfector. Sanctitas enim, ut dicit Dionysius, est ab omni inquinamento libera munditia. Liberat autem cor et corpus ab immunditia peccati, virtutem ab immunditia fictionis, intellectum ab immunditia erroris, et opus ab immunditia negligentiæ et omissionis. De primo horum dicitur, I ad Corinth. VI, 19 : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo.* Ac si dicat : Spiritus sanctus sanctificavit vel mundavit vos ab immunditia carnis sua sanctitate : et ideo iterum non estis inquinandi. De secundo, Sapient. VII, 22 : *Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus,* hoc est, qui intellectum sanctificat ab immunditia erroris per inspiratam veritatem. De tertio simul et duobus præmissis dicitur, Sapient. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum,* et sic mundat virtutem a fictione : *et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu,* et sic liberat intellectum ab errore. Et parum ante, ℣. 4, dicit : *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia,* hoc est, sapientiæ spiritus, *nec habitabit in corpore subdito peccatis,* et sic mundat cor et corpus a peccato, antequam introeat in illa. De liberatione autem operis a negligentia omissionis dicitur, I ad Corinth. XII, 11, quia *hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Spiritus enim sanctus omnia operatur, et nihil negligit.

Sic ergo credendum est in Spiritum sanctum.

ARTICULUS IX.

Deinde suum bolum ponit Jacobus minor, dicens : *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.*

Respiciens autem ad hoc quod Spiritus sanctus datur et mittitur ad sanctificandam creaturam, quæ sanctitas numquam

fallit in Ecclesia, sed nonnumquam fallit in persona, dixit : *Sanctam Ecclesiam.* Et quia omnis articulus fundatur in divina et æterna veritate, non super creatam veritatem, quia omnis creatura vana est et non habet solidam veritatem, ideo iste articulus sic resolvendus est ad proprium opus Spiritus sancti, hoc est, *Credo in Spiritum sanctum*, non tantum secundum se, sicut dicit præcedens articulus, sed etiam in eum credo secundum proprium opus ejus, quod est, quod sanctificat Ecclesiam, quam sanctitatem perfundit in sacramentis et virtutibus et donis quæ dat ad sanctitatis perfectionem, et tandem in miraculis et donis gratis datis, sicut sapientia, scientia, fides, discretio spirituum, operatio sanitatum, et prophetia, et hujusmodi quæ dat Spiritus ad sanctitatis Ecclesiæ demonstrationem.

Hanc Ecclesiam dicit esse *Catholicam*, hoc est, universalem, duabus de causis, sicut diximus in ante habitis : quia scilicet principia ejus universaliter vera sunt, et quia per totum orbem universaliter dilatanda.

Quod autem dicit : *Sanctorum communionem*, non facit alium articulum, sed declarat eumdem : quia ad sanctitatis Ecclesiæ perfectionem pertinet Sanctorum communio. Sicut enim in homine unus spiritus hominis, qui est in ipso, bona unius membri vehit ad profectum alterius, sicut ex cerebro sensum et motum, ex corde vitalem et pulsantem spiritum, et ex stomacho et hepate cibum et naturalem spiritum : ita Spiritus Christi in corpore mystico a capite Christo et aliis membris nobilibus, sicut Apostoli, et beata Virgo, et sancti martyres, et alii sancti excellentes sunt et fuerunt, vehit bona in omnia membra, et sic efficitur commune quod est uniuscujusque proprium, et sic sanctitas perficitur in Ecclesia : unde, Numer. xi, 17, cum communicare vellet Dominus bona Moysi aliis de populo, dixit : *Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi.* Et hanc communionis sanctificationem ostendit Dominus, Joan. xx, 22, quando insufflavit in dicipulos, et dixit : *Accipite Spiritum sanctum.* Hoc etiam signatum est, IV Regum, II, 15, ubi *spiritus Eliæ requievit super Eliseum.*

Iste est ergo articulus quem sic intelligendum posuit Jacobus minor.

ARTICULUS X.

Simon autem Cananæus, qui *zelotes* interpretatur, eo quod de Cana Galilææ fuisse dicitur, quæ *zelus* interpretatur, post Jacobum fratrem suum carnalem posuit bolum : detulit enim fratri primatum, eo quod Jacobus ille episcopus erat Jerosolymorum. Dixit igitur : *Remissionem peccatorum.* Hoc autem dixit respiciens ad sanctum opus Spiritus sancti. Et est sensus : Credo in Spiritum sanctum, qui facit remissionem peccatorum : quia sicut diximus, omnis articulus habet substratam sibi divinam veritatem, vel in essentia divina, vel in personis, vel in propriis personarum operationibus, vel passionibus. Non enim fit remissio peccatorum, nisi in Spiritu sancto : quod ostenditur, Joan. xx. 22 et 23, ubi dicitur : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et sic omnis baptismus qui est peccati ablutio, dicitur fieri in Spiritu sancto. Act. I, 5 : *Vos baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

ARTICULUS XI.

Post hunc Judas Thaddæus, tertius frater duorum, quem Thaddæum, hoc est, corculum eo quod custos esset cordis, vocabant Apostoli, suum bolum posuit, dicens : *Carnis resurrectionem.* Qui articulus fundatur tam in opere Filii,

quam in opere Spiritus sancti. In operatione quidem Filii : quia, sicut dicit Augustinus : « Christi resurrectio causa est nostræ resurrectionis. » Unde, I ad Corinth. xv, 16 : *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Et infra, ℣℣. 20 et 21 : *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium : quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Et ideo, Apocal. I, 5, dicitur : *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* Super opus autem Spiritus sancti fundatur : quia spiritus gloriæ et incorruptionis inspirabit corpora resurgentium, cujus donatio attribuitur Spiritui sancto. Spiritus quidem gloriæ in sanctis resurgentibus ad gloriam : spiritus autem incorruptionis in omnibus : quia omnes mortui tam in complexione, quam in compositione membrorum resurgent incorrupti. Unde, I ad Corinth. xv, 52 : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* De isto spiritu mortuos vivificante dicitur, Ezechiel. xxxvii, 9 : *A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.*

ARTICULUS XII.

Ultimus processit Mathias, quem adjecit ad numerum Apostolorum, complens bolo suo symbolum, dixit : *Vitam æternam.*

Et hic articulus fundatur super trium personarum operationem in gloria, ubi Pater ministrat posse, Filius autem nosse, et Spiritus vitam secundum omne posse et nosse. Æterna enim vita est æternum a vita, quæ numquam habebit durationis terminum, quæ est actus fluens divinus a Deo in beatos, ut totum quod in ipsis est, feliciter juvet, omnibus infirmitatibus quæ sunt mortis præludia, fugatis. I ad Corinth. xv, 54 : *Absorpta est mors in victoria.* Bibitur autem hæc vita in fonte vitæ Deo Trinitate, sicut dicit Psalmista, xxxv, 10 : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.*

Sic ergo in grosso expositum est symbolum Apostolorum quod fuit primum.

CAPUT X.

De expositione symboli Apostolorum, sive de symbolo Patrum in Nicæna synodo explanato.

ARTICULUS I.

Multiplicatis autem hæresibus, convenerunt Ecclesiastici Patres in Nicæna synodo, et symbolum non aliud ab ipso quod dictum est, sed eosdem articulos magis ad erroris exclusionem explanaverunt, et primum quidem articulum ita expresserunt, dicentes : *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium.* Et iste totus ita est expressus contra errorem paganorum et hæreticorum, qui *Manichæi* a quodam Manes he-

resiarcha eorum dicuntur. Pagani enim multos deos essentialem divinitatem habentes et ab invicem differentes esse dixerunt. Manes autem docuit duos deos, et duo esse principia, scilicet Deum lucis, et Deum tenebrarum : unum Deum bonorum principium, et alium principium malorum. Et hoc ideo quia errantes putaverunt malum esse essentiam, et ideo habere efficientem causam, quæ cum non possit esse bonus Deus, dixerunt Deum malum esse principium malorum.

Contra quod dixerunt Patres : *Credo in unum Deum*, etc., quia, Deuter. VI, 4, dicitur : *Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Exod. XX, 2 : *Non habebis deos alienos coram me.* Psal. LXXX, 10 et 11 : *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus.*

Cum autem dicitur *unus Deus*, non est hæc unitas quæ in aliquo cadat genere vel specie unitatis creatæ. Omnis enim unitas creata multiplicatur in omnibus suis suppositis in quibus est. Petrus enim et Martinus non sunt unum animal, neque unus homo secundum esse animalis vel hominis. Hæc autem unitas naturæ vel essentiæ divinæ tanta est, quod in suis suppositis, quæ sunt tres personæ, non multiplicatur : quia Pater et Filius et Spiritus sanctus non sunt tres dii secundum esse divinitatis, sed unus Deus : et sic sunt una substantia, et una essentia, et una sapientia, et sic de omnibus aliis quæ absolute et non relative dicuntur de personis. Et si alii sunt dii, non essentialiter, sed participative, sicut sancti : vel nuncupative, sicut idola *dii* dicuntur. Et quando tales dii plures sunt in suppositis, tunc multiplicatur eorum divinitas in ipsis. Et de participative quidem dictis diis dicitur in Psalmo LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* De aliis autem dicitur in Psalmo XCV, 4 : *Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.* De omnibus autem istis simul dicitur, I ad Corinth. VIII, 4 et seq. : *Scimus quoniam idolum nihil est in mundo, et nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, (siquidem sunt dii multi, et domini multi), nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.*

Quia autem secta Manichæi divisa est in tres, quia una ejus pars dicit duos deos, sicut apparet in epistola *Fundamenti*, quam fecit Manes, et destruxit Augustinus in libro quem fecit contra epistolam *Fundamenti*. Alia autem secta derivata ab illo, dixit unum quidem esse Deum, sed duos factores, qui materiam factam ab uno Deo in divisa formaverunt. Et illi dixerunt, quod unus factor fecit incorruptibilia, sicut cœlum et corpora cœlestia : alter autem fecit corruptibilia pugnantia et se invicem destruentia. Alii etiam ex Manichæis dixerunt, quod unus factor fecit invisibilia, sicut animas et Angelos : alius autem visibilia, sicut hæc inferiora : ideo Patres ut utrumque horum errorum excluderent, dixerunt : *Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium,* fundantes explanationem super verbum Apostoli, ad Coloss. I, 16 : *Quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia.*

Hoc igitur est quod addiderunt explanando articulum primum.

ARTICULUS II.

De secundo autem dixerunt : *Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.*

Contra Arium, Sabellium et Ebionem.

Et hoc totum sic explanatum est contra errorem Arii : quia Arius dixit unum esse Dominum Deum, et Christum non esse Dominum Deum omnibus superpositum, sed potius esse suppositum et depressum sicut creaturam quæ non est præposita omnibus. Ideo dixerunt : *Et in unum Dominum Jesum Christum*, qui in eodem dominio et superpositione est cum Deo Patre : attendentes quod dixit Apostolus, I ad Corinth. VIII, 6 : *Nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.*

Item, dixit Arius, quod Christus etsi dicatur filius, non tamen est solus filius : quia ipse est adoptivus filius sicut multi sunt. Et hoc etiam dixit Sabellius hæreticus. Ideo ulterius expresserunt sancti Patres dicentes : *Filium Dei unigenitum.*

Quia vero dixit Arius filium quidem esse factum ante hæc temporalia sæcula, sed non ante omnia sæcula : quia sæculum unum est spatium uniuscujusque durationis, quo durat creatura una, et dixit, quod Filius non esset factus ante sæculum suæ durationis, ideo ad excludendum hoc dixerunt : *Ex Patre natum ante omnia sæcula.*

Dixit etiam Arius, quod cum vellet Deus creare mundum, ante mundum creavit virtutem quamdam et sapientiam, quæ Verbum vocatur et filius, per quem illum mundum sensibilem crearet. Deceptus autem fuit Arius : quia putabat, quod penitus esset simile de Deo faciente mundum et de artifice faciente artificiatum. Artifex enim primo format in corde suo rationem et sapientiam, quæ est ratio artificiati, et virtutem per quam illa ratio procedit in artificiatum. Et hæc sapientia et virtus sunt diversæ essentiæ ab ipsa substantia artificis, et aliquando formantur in artifice cum ante non fuerunt formatæ. Et ita in Deo fieri putabat, ut dicit Augustinus, corporalibus cogitationibus plenus, in Deo putans fieri quod vidit fieri in homine. Et ideo addiderunt Patres : *Deum de Deo*, et non virtutem vel rationem creatam.

Lumen de lumine : quia si ita formaretur lumen quo Pater fecit mundum in Deo sicut in artifice, tunc sicut ante formationem luminis quod est ratio artificiati, non est lumen in artifice, sed cor ejus est tenebrosum et lumen habet a sapientia quæ est artificiati ratio, sicut omnis homo illuminatur a scientia sua, ita sequeretur, quod Pater lumen haberet a Filio sic facto et formato, quod impietate plenum est : quia Pater nihil habet a Filio, sed omnia habet Filius a Patre. Et ideo dixerunt : *Lumen de lumine.*

Quia vero Arius dixit sic a Deo formatam sapientiam et virtutem non esse verum Deum, sed adoptive Deum dici, ideo addiderunt : *Deum verum de Deo vero*, verum Deum vocantes qui essentialem habet deitatem. Arius autem iste hoc suo errore judaizabat sicut Ebion hæreticus qui ante eum fuit : quia Judæi sic sapientiam, quæ est ratio creationis mundi, sic ante mundum factum esse dicebant, et quod Deus nisi istam prius fecisset sapientiam, mundum creare nesciret, quia non haberet ad quid respiceret in creando, sicut artifex qui nescit operis sui rationem.

Quia autem dixit Arius istam virtutem et sapientiam et formatam et non de substantia genitam, eo quod perfectum est opus voluntatis, et generatio est opus naturæ, infusione substantiæ a generante in eum qui nascitur, ideo dixerunt : *Genitum non factum, consubstantialem Patri* : ex quo per generationem naturam et substantiam accepit.

Quia autem iterum Arius dixit, quod quidem hic mundus sensibilis per Verbum sive sapientiam factus est, sed non omnia, quia ipsum Verbum quod factum est, non est factum per seipsum, ideo addiderunt : *Per quem omnia facta sunt*, totum errorem Arii condemnantes. Joan. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.*

ARTICULUS III.

De tertio autem articulo dixerunt: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis: et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.* Et ista expressio articuli incarnationis facta est contra Manichæum. Ille enim dixit, quod non propter homines nec propter salutem hominum descendit, sed potius descendit a Lucifero expulsus, et quod adhuc Lucifer reascensurus sit in cœlum ad sedem, unde in ascensione Christi expulsus est. Fingit enim, quod *prœlium magnum factum sit in cœlo*, sicut dicitur, Apocal. XII, 7. Et quod in primo prœlio expulsus est Chistus, et in secundo expulsus sit Lucifer. Et hoc prœlium dicit fuisse inter duos deos, Deum scilicet lucis, et Deum tenebrarum, sive Deum bonum et Deum malum.

Hoc igitur excludentes Patres, dicunt quod nulla necessitate et nulla violentia detrusus, sed charitate hominum et amore salutis eorum descendit de cœlis, non cœlos relinquendo secundum divinitatem, sed in nostris quæ assumpsit, visibilis in hoc mundo apparendo. Ad Ephes. IV, 10 : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Joan. III, 13 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Quia autem idem Manes dicit non esse veram carnem Christi, sed phantasma fuisse, eo quod sicut asserit, malus Deus istam carnem vitiosam fecerit, et hanc carnem non posse esse de bono Deo, ideo addiderunt: *Et incarnatus est de Spiritu sancto,* qui non nisi bonus Deus esse poterit. Et præpositio *de* quando dicitur *de Spiritu sancto*, notat potestatem et operationem, et non notat materiam : quia si de materia subtantiæ Spiritus sancti factus esset Christus, tunc sequeretur quod Spiritus sanctus esset Pater Filii secundum humanam generationem : et hoc est impium, quia Christus non habet Patrem, nisi secundum æternam generationem, ut dicit Augustinus, quod in terris est sine patre et in cœlis sine matre.

Ex Maria autem additur, ut vera caro connaturalis matri esse credatur, et non phantastica, sicut dixit Manichæus.

Virgine autem additur propter Ebionitas, qui non Mariam virginem in partu dixerunt, et post partum : quia dixerunt, quod tantum Christum hominem ex maternis visceribus protulit, et non Deum. Et quia homo purus de utero virginali non exit, nisi apertis claustris pudoris, ideo dixerunt Mariam in partu Christi esse devirginatam. Hi etiam dixerunt, quod Maria esset Χριστότοκος, hoc est, Christi hominis mater, et non esset Θεότοκος, hoc est, veri Dei mater. Ideo eadem synodus statuit, quod Virgo Θεότοκος, et non Χριστότοκος deinceps diceretur. Maria theotocos.

Et quia Manes dixit, quod Christus humanatus sicut habitu aliquis dicitur tunicatus, vel cappatus, vel palliatus, et non esset homo verus, eo quod non sibi naturaliter et essentialiter univisset hominis naturam, sed extrinsecus tantum, et extrinsecus habitualiter assumpsisset sibi hominis naturam. Et ideo ad excludendum hunc errorem, addidit sancta synodus : *Et homo factus est:* factum enim erat. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est*, etc. Et, ad Galat. IV, 4 et 5 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut omnes qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

ARTICULUS IV.

Deinde sumentes quartum articulum, dixerunt : *Crucifixus etiam pro nobis*

sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et huic non addiderunt ad explanationem et expressionem, nisi quod dicunt : *Crucifixus etiam pro nobis*. Quod etiam propter Manichæos est additum, qui dixerunt non pro nobis esse crucifixum, sed totum phantastice fuisse actum, quod dicitur de Christi passione.

Contra Sabellium.

Additum est etiam propter Sabellianos hæreticos, qui dixerunt nos in nullo indigere Christo : quia etiam nos filii Dei esse possumus, quando volumus, eo quod non dixerunt Christum sanctum, sed purum hominem fuisse : et ideo synodus posuit : *Pro nobis*, ut sciamus nos nihil posse nisi per Christi sanguinem. Unde, Joan. XVII, 19, dicit : *Ego pro eis sanctifico meipsum*, hoc est, in sanctum sacrificium me offero, sine quo redimi non poteramus. Ex quo hunc modum redemptionis per mortem Christi summa sapientia ordinavit et elegit alia hic dicenda, quæ in symbolo Apostolorum sunt dicta.

ARTICULUS V.

Post hunc sumpserunt quintum, et illum his verbis declaraverunt, dicentes : *Et resurrexit tertia die secundum Scripturas*. Et de descensu quidem ad inferos dimiserunt : quia circa illud error nullus erat : sed et erat contentio de resurrectione, quibusdam dicentibus, quod non tertia die Christus resurrexit : quia non tribus diebus in sepulcro jacuit, Parasceve enim in nocte sepultus, non jacuit nisi per sabbatum, et ante lucem Dominicæ diei resurrexit : et ideo ut hanc determinarent contentionem, dixerunt quod resurrexit tertia die secundum Scripturas, hoc est, sicut illos tres dies Scriptura docet computare. Hæc enim, ut dicit Augustinus, per synecdochen partem computavit pro toto, ita quod pars Parasceves quando sepultus est et mortuus, cum præcedente parte diei et tota præcedente nocte computatur pro uno die naturali : et nox quæ est inter Parascevem et sabbatum, cum ipso sabbato pro uno die computatur : et vespere sabbati cum nocte sequenti pro una die Dominica computentur, quia semper vespera præcedens cum die sequenti ad unam partem pertinebant. Genes. I, 5 : *Factum est vespere et mane dies unus*. Quare autem artificialibus duabus noctibus et uno die artificiali Christus in sepulcro jacuit, hanc causam assignat Augustinus : quia scilicet in Christo non sunt tenebræ, dies clara suam claram mortem signat. In nobis autem qui tenebrosi sumus, duæ mortes, peccati scilicet et pœnæ, significantur per duas noctes, quas Christus sua lucidissima morte ad lucem gratiæ reduxit. Psal. CXXXVIII, 11 : *Nox illuminatio mea in deliciis meis*. Michææ, VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est*. Matth. XII, 39 et 40, dixit, hoc esse signum pœnitentium, qui a duplici nocte vel morte per mortem Christi quærunt liberari. *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.*

ARTICULUS VI.

Deinde sumpserunt sextum sic dicentes sicut Apostolus dixerat : *Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris*. Hic articulus non habebat necessariam explanationem : quia propriam hæresim contra hunc articulum nullam audierant.

ARTICULUS VII.

Septimum autem tractantes dixerunt : *Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos : cujus regni non erit finis.* Huic autem articulo in parte anteriori ad exclusionem deliramenti Origenis addiderunt : *Et iterum venturus est cum gloria :* quia Origenes dixerat, quod adhuc venturus esset passibilis in aereo corpore, passurus pro dæmonibus in aere, sicut passus fuerat pro hominibus in terra. Fulti autem sunt auctoritate Christi, Matth. XXVI, 64, dicentis : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.*

Contra Origenem.

Ex parte autem posteriori addiderunt : *Cujus regni non erit finis,* contra judaizantes hæreticos dicentes, quod Christus venturus sit et regnaturus annis mille in aurea Jerusalem, et tunc regnum illud finiturus et aliud incepturus. Fundaverunt autem dictum illud super hoc Danielis, VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Luc. I, 32 et 33 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.*

ARTICULUS VIII.

Deinde tractantes articulum octavum dixerunt : *Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit : qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur : qui locutus est per Prophetas.* Multæ enim hæreses jam surrexerunt de processione Spiritus sancti, quas in expressione processionis ejus necessarium fuit excludere.

Quod enim addunt : *In Spiritum sanctum Dominum,* contra Nestorium et Eutichetem, Constantinopolitanos Patriarchas, addiderunt, qui Spiritum sanctum dixerunt ésse servum Patris et Filii. Et causa erroris fuit, quod spiritum in Deo sicut in homine acceperunt. In homine enim spiritus fumus est lucidus vel aereus, qui ex humido naturali resolvitur, et deservit animæ in operationes animales et vitales et naturales, et movetur in omnem partem corporis, sicut radii solis et stellarum in mundo vehentes virtutes cœlestes a stellis ad inferiora, ut ex illis generentur, et augeantur, et convalescant : et ita spiritus hominis in membra vehit virtutes animæ et cordis. Et ad hanc similitudinem dixerunt Spiritum sanctum creatum a Patre procedere, et sic vehere et invehere virtutes potentiæ Patris et sapientiæ Filii et omnibus creatis, et ideo servire Patri et Filio et esse servum eorum, et non quidem per se vivificare, sed vehiculum esse vitæ Patris et Filii : quia, sicut dicitur, Joan. v, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Et non dicitur hoc de Spiritu sancto.

Contra Nestorium et Eutichetem.

Hunc ergo errorem exterminantes dicunt : *Et vivificantem.* Et ut hoc melius notarent ipsi Patres, dixerunt *vivificatorem* : sed cum transferretur symbolum, imperfecte translatum fuit, et translator dixit, *vivificantem* pro vivificatore : synodus enim intendit, quod ex natura vivifica esset vivificator, sicut et Pater et Filius. Fundaverunt autem se in hoc quod dicitur, Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat.* Ezechiel. I, 20 : *Spiritus vitæ erat in rotis.*

Error translationis.

Quod autem additur : *Qui ex Patre Filioque procedit,* synodus non dicit nisi *qui ex Patre procedit,* et Latini suscipientes de Græco in Latinum translatum auctoritate Leonis Papæ addiderunt, *Filioque* : quia quod synodus non dixit, *Filioque,* non dimisit ideo quod a Filio non procedat Spiritus sanctus, sed

Contra Græcos.

ideo quia nullus error adhuc contra hoc surrexerat. Et quia in Evangelio, Joan. xv, 26, non ponitur plus nisi de Patre, ubi dixit Christus : *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Et noluerunt addere aliquid Evangelio, cum adhuc non esset necesse. Latini autem attendentes quod dixit Apostolus Spiritum esse Filii, dicens, ad Roman. VIII, 9 : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et, ad Galat. IV, 6 : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater.* Et quia Christus dixit, Joan. xv, 26 : *Quem ego mittam vobis a Patre.* Quæ expresse signant Spiritum sanctum a Filio procedere sicut a Patre. Maxime cum Græci contendere inciperent propter dictum synodi, Spiritum sanctum a Filio non procedere, addiderunt auctoritate Leonis Papæ : *Qui ex Patre Filioque procedit.* Et hac de causa Athanasius, Græcorum doctor, illustrissimus Alexandriæ Episcopus, in symbolo quod in Treveri edidit ad explanationem symboli quod in *Quicumque vult salvus esse,* continetur, *Spiritus sanctus,* dixit, *a Patre et Filio : non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Dicunt tamen Græci Latinos esse excommunicatos : quia sancta synodus dixit, quia non permittimus alicui cujuscumque potestatis neque nobismetipsis potestatem aliquid addendi vel diminuendi. Et, Qui addiderit vel minuerit, excommunicatus sit. Sed Latini ad hoc dicunt, quod qui explanat, non aliquid extrinsecus addit, sed quod intus latuit, ostendit. Aliter et ipsa synodus excommunicata fuisset : quia multa ad explanationem symbolo addiderunt Apostolorum. Necessitate ergo erroris Græcorum additum est, *Filioque.*

Quod autem sequitur : *Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur,* adhuc contra Nestorium additum est, ut ostendatur Spiritus sanctus sicut Deus esse adorandus, et sicut Dominus omnibus superpositus esse cum Patre et Filio glorificandus. Si enim non esset Deus, non esset ubique. Dicit autem Propheta : *Quo ibo a spiritu tuo*[1] *?* significans Spiritum sanctum esse ubique : et si non esset in throno majestatis, non esset glorificandus. Nunc autem dicitur, Apocal. XXI, 5 : *Dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia,* secundum expositiones sanctorum Patrum hoc intelligens de Spiritu sancto.

Con
Porp
rium

Quod autem additur : *Qui locutus est per Prophetas,* additum est propter hæresim Porphyrii cujusdam Philosophi hæretici, qui dixit Prophetas spiritu suo, et spiritu phanatico esse locutos : quia vidit in eis quædam quæ continuare nescivit, et non intellexit. Vidit etiam quædam quæ falsa putavit : et ideo non a Spiritu sancto inspiratos esse dixit. Contra quod dixit sancta synodus : *Qui locutus est per Prophetas.* Innixa autem fuit synodus auctoritate Petri Apostoli in II canonica, I, 2 : *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

ARTICULUS IX.

Deinde tractantes articulum nonum dixerunt sic : *Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam,* nihil huic addentes articulo, nisi quod dixerunt *unam,* hoc ad explanationem addentes contra schismaticos tunicam Domini inconsutilem scindere intendentes. Fulti sunt autem auctoritate Canticorum, VI, 8 : *Una est columba mea.* Et de hoc in libro de *Corpore Christi* satis dictum est.

[1] Psal. CXXXVIII, 7.

ARTICULUS X.

Deinde tractantes articulum decimum dixerunt : *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Apostolus autem dixerat, *remissionem peccatorum*, et addidit ad expressionem sancta synodus : *Confiteor unum baptisma* : quia non remittuntur peccata nisi per Christi sacramenta, quorum janua et fundamentum est baptismus, et ideo baptismus ut fundamentum in omnibus aliis remissionem operatur. Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Dicunt autem *unum baptisma*, ut innuatur unum esse baptisma Christi, et non secundum numerum baptistarum baptismata numerari. Quidam enim dixerunt, quod baptismus ab uno melior est quam ab alio. Contra quod dicit sancta synodus : *Confiteor unum*, id est, æqualis valoris baptisma, quod Christi est baptisma in forma Ecclesiæ celebratum : hoc enim unum est baptisma et æquale, sive detur a bono, sive malo : quia baptizans est sicut minister : Dominus autem est Christus, qui æqualiter dat per bonum et malum baptistam. Unde Augustinus super Joannem : « Quid facit ibi minister malus, ubi bonus est Dominus ? » Quasi diceret : Nihil. Christus enim est, qui baptizat interius, etiam quicumque baptizet exterius. Joan. I, 33 : *Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Et sic baptismus est unus unitate formæ, et unitate interius baptizantis.

Quod autem dicitur : *In remissionem peccatorum.* Act. I, 5 : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Act. XIX, 4 : *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum.* Et infra, ℣℣. 5 et 6 : *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.*

ARTICULUS XI.

Hæresis de resurrectione.

Deinde tractantes undecimum articulum dixerunt : *Et exspecto resurrectionem mortuorum*, cui nihil addiderunt nisi hoc *exspecto*, propter quosdam hæreticos, qui dixerunt resurrectionem mortuorum jam factam esse, et non ulterius exspectanda. Dixerunt enim, quod resurrectio non esset nisi animæ, quæ quotidie fit cum anima resurgit a peccatis. II ad Timoth. II, 17 et 18 : *Ex quibus est Hymeneus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.* Contra istos auctoritate Apostoli dixerunt Patres : *Et exspecto resurrectionem mortuorum.*

ARTICULUS XII.

Ultimo tractantes ultimum articulum dixerunt : *Et vitam venturi sæculi.* Quod Apostoli dixerunt : *Vitam æternam.* Synodus autem ut ex meritis speretur et non putetur esse beatitudo in isto sæculo, sicut Stoici Philosophi dixerunt, determinaverunt esse dicendum : *Et vitam venturi sæculi*, ne in hac vita beatitudo esse videatur. Fulti autem fuerunt auctoritate Apostoli, II ad Corinth. IV, 17 et 18, dicentis : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate*

æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur sed quæ non videntur : quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.

Amen autem in utroque symbolo est responsio idiotæ, et debet interpretari : *Verum est,* et non debet interpretari : *Fiat,* sicut patet ex præhabitis, quæ jam in ante habitis exposuimus.

Utrum articulus sit res vel enuntiabile?

Est autem dubitatio apud quosdam in istis symbolis, utrum articulus sit res vel enuntiabile. *Res* autem quod est sicut Christi incarnatio et passio et resurrectio et hujusmodi. *Enuntiabile* autem sicut Christum esse incarnandum, vel incarnatum Christum esse, passum vel passurum. Illi enim qui enuntiabile dicunt esse articulum, inducunt rationem, dicentes quod articulus est propter quod judicatur homo fidelis si credit, et judicatur infidelis si non credit : judicaretur autem infidelis si crederet incarnationem, et non crederet Christum incarnatum esse : igitur incarnatum esse est articulus, et non incarnatio : ergo enuntiabile est articulus et non res. Idem autem et eadem ratione dicunt de aliis.

E contra dicunt alii : quia, Marc. XI, 9 et 10 : *Qui præibant et qui sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna ! Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ubi dicit Glossa, quod qui præibant signant Patres præcedentes adventum Christi : comitantes autem signant eos qui tunc fuerant cum Christo : et qui sequebantur, signant eos qui futuri erant post adventum. Et hi omnes unam fidem habentes, clamabant : non autem poterant unam habere fidem, si enuntiabile esset articulus : quia non est unum enuntiabile Christum fore incarnandum, et Christum jam esse incarnatum, et Christum incarnatum fuisse : ergo si una est fides, oportet quod id sit articulus, quod est idem in tribus temporibus : hoc autem non est nisi res : ergo res est articulus. Et hoc ego sine præjudicio credo esse verum.

Et quod objicitur de enuntiabili, quod tempore variatur, dicendum quod hoc est de expressione et determinatione articuli, et non de articulo : et hoc jam ante diximus esse de consequentibus fidem, et non de conclusionibus.

Hoc igitur modo de symbolo in grosso sit determinatum : articuli enim sunt rudimenta fidei, et rudibus in grosso sunt exponendi.

Qu tat bol nc A

Ritus autem symboli est in duobus : quorum unum est, quod symbolum synodi potius cantatur in Ecclesia publice quam Apostolorum : quia publice est factum et expressius cum explanatione continet fidem. Symbolum autem Apostolorum in silentio dicitur : quia non publice prædicata adhuc fide est factum, et continet fidem implicitam et non explicitam, quæ à singulis intelligi possit.

Secundum autem est : quia non cantatur symbolum synodi nisi in solemnitatibus, in quibus aliqua mentio fit de symbolo, sicut in omnibus Dominicis, quæ sunt de resurrectione et nativitate et ascensione et festo Spiritus sancti, et in octavis ipsorum propter octavam resurrectionis : et in festis beatæ Virginis, quia de ipsa etiam fit mentio, et in festis Apostolorum, quia credimus sanctam Ecclesiam Catholicam et Apostolicam : et in festo Dedicationis, quia credimus sanctam Ecclesiam. Quidam etiam addunt festum Mariæ Magdalenæ, quia ipsa fuit Apostolorum Apostola : et in festo Crucis, quia credimus in Crucifixum. Et sic planum est videre in quibus festis cantandum sit, vel non cantandum.

Hæc igitur de duobus symbolis in grosso dicta sufficiant.

TRACTATUS III.

DE OBLATIONE IN QUA ORDINATUR TOTIUS VITÆ PERFECTIO. PARS TERTIA.

CAPUT I.

De Offertorio cui præmittitur Dominus vobiscum.

1. Ecclesiastici, XLVII, 12, dicitur de David : *Dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ*. Et ita fecit beatus Gregorius in ordinatione Missæ.

Jam autem habitum est quomodo dedit in celebrationibus decus per imitationem Dei ad veniendum in sacrificium per Introitum, et *Kyrie, eleyson*, et *Gloria in excelsis Deo*, et per instructionem tam imperfectorum quam perfectorum, et responsum instructorum.

Nunc autem ad tertiam partem Missæ, in qua ordinatur totius vitæ consummatio, hoc est, perfectio, et est in totius sanctitatis perfectione per nostri ad Christum incorporationem.

In hac igitur parte quatuor sunt notanda, in quibus tota completur consummatio sive perfectio, scilicet oblatio, sanctificatio, sanctificati distributio, et distributi communio. Per primum offeruntur munera, per secundum idonea efficiuntur Deo oblata, per tertium distribuuntur pro uniuscujusque mensura, per quartum omnia ad Deum mittuntur Christo jam incorporata. Primum facit sanctitatis perfector in Offertorio, et primo silentio quod concluditur in Præfatione. Secundum autem in secundo silentio, quod concluditur Dominica oratione. Et tertium facit in tertio silentio quod concluditur in *Agnus Dei*. Quartum facit in quarto silentio, quod concluditur in communione.

In prima autem quinque occurrunt notanda, scilicet salvatio qua a sanctitatis perfectore salutatur populus : Offertorium, Præparatio, Secreta, et communio, quæ est Præfatio.

Circa primum attendendum est, quod sicut sanctitatis perfector primum salutat populum ad consolandum de desiderio quo advocatus est Dominus, et secundo salutat ut cum eis sit Dominus ad instructionem perficiendam : ita modo salutat ut Dominus adsit, qui offerendum recipiat. Iste enim est ordo congruus, ut instructio exhibeatur : quia sicut dicitur, ad Roman. x, 17 : *Fides est ex auditu* :

auditus autem per verbum Christi. Et quod post hoc quisque fidem perceptam ore confiteatur : quia, sicut dicitur ibidem, ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Psal. cxv, 10 : *Credidi, propter quod locutus sum.* Et tertio, fructus totus est, ut credens populus Domino offeratur. Ad Hebr. xiii, 15 : *Per ipsum ergo offeramus sacrificium laudis semper Deo, id est, fructum labiorum nostrorum confitentium nomini ejus.*

Hac igitur ratione sanctitatis perfector dicit : *Dominus vobiscum,* convertens se ad populum. *Dominus*, inquam, *vobiscum,* ut in sacrificium Deo offeramini. *Dominus vobiscum,* ut circa saporem oblationis afficiamini. *Dominus vobiscum,* ut oblato sacrificio incorporemini. Dominus enim vobiscum est, quando sibi vos oblatos suscipit, quando vos circa suum sacrificium affici facit, quando vos sibi unum facit et unit. De primo dicitur, II Paralip. xx, 17 : *Cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum.* Jam enim confessione fidei fuistis cum Domino, et ideo Dominus vobiscum est. De secundo dicitur, Genes. xxviii, 20 : *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum*, hoc est, ad gustum sui in specie panis, *erit mihi Dominus in Deum.* Psal. xxxiii, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* I Petri, ii, 3 : *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* De tertio dicitur, Numer. xiv, 7 et seq. : *Terra, quam circuivimus, valde bona est. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam.* Et post pauca, ℣. 9 : *Dominus nobiscum est, nolite metuere.* Hæc enim terra est terræ nostræ benedictus fructus, qui est corpus Domini, in quod nos inducit per unionem sui : et ad hoc optatur esse nobiscum. Igitur dicit hoc loco : *Dominus vobiscum.* Respondetur autem ex parte offerentium : *Et cum spiritu tuo* : quia hoc sacrificium quod in spiritu offertur, acceptatur a Domino. Daniel. iii, 39 : *In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur.* Psal. l, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum,* etc. Hac igitur de causa hic dicit : *Et cum spiritu tuo.*

2. Quare post Oremus, non statim dicitur oratio.

Secundum in hac parte est Offertorium, circa quod duo notantur, scilicet quod sacerdos præmittit, se ad altare convertens : *Oremus*, et tamen orationem non dicit statim, sed Offertorium cantatur. Dicit autem, *Oremus*, ideo ut magna et efficax et pura oratio exigatur ad hoc quod populus Deo incorporandus offeratur. Oratio enim est pius affectus mentis in Deum directus, et populus offerendus Domino prius affectu toto debet elevari in ipsum, ut dignum Deo de ipso fiat sacrificium. Luc. xviii, 1 : *Oportet semper orare, et non deficere.* Ad Coloss. iv, 2 : *Orationi instate, vigilantes in ea.*

Tali admonitione facta ad orandum, voce laudis et jucunda cantatur Offertorium, in quo non tantum offert munus extrinsecum populus, sed munus intrinsecum recognitio est censualis, quod ipse qui offert munus, seipsum offert perfectori sanctitatis Domino offerendum. Unde et Cain qui munus Domino obtulit, et seipsum diabolo mancipavit, dixit Dominus, Genes. iv, 7 : *Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Quasi dicat : Sic tu peccasti. Et dicit ibi Glossa, quod bene obtulit qui creaturam creatori obtulit. Male autem divisit, qui de bonis suis Deo, et seipsum obtulit diabolo. Est igitur oblatio exterior signum oblationis interioris, sicut homo per censum quem Domino suo offert, recognoscit quod Dominus in ipsum dominium habet, et hoc trahitur a Deuteronomio, xxvi, 2 et seq., ubi sic dicitur : *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus : accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum : Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod in-*

gressus sum in terram pro qua juravit patribus nostris ut daret eam nobis. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui. Et aliquibus interpositis, ℣℣. 10 et 11, dicit sic ille qui munus obtulit: *Idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, et adorato Domino Deo tuo. Et epulaberis in omnibus bonis quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Sic enim per oblationem recognoscit se pertinere ad Dominum, et oblatus illi secum epulabitur in convivio corporis et sanguinis Domini.

Sic ergo oblatio exterior interioris oblationis est signum.

Hæc autem exterior oblatio debet esse utilis valore, pinguis devotione, oblata in charitatis dilectione, et munda acquisitione.

Utilis, inquam, ut possit ministris Dei converti ad utilitatem, unde maledicitur qui debile offert quod ad utilitatem converti non potest. Malach. I, 13 et 14: *Claudum et languidum intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra? dicit Dominus. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum,* hoc est, perfectum et valens, *et votum faciens, immolat debile Domino,* hoc est, quod non potest converti in utilitatem, sicut faciunt qui falsam monetam et alia nihil valentia ad altare pro decimis offerunt.

Pinguis autem debet esse devotione, ut de cordis devotione plus procedat quam de manu. Psal. LXV, 15: *Holocausta medullata offeram tibi.* Eccli. XXXV, 8: *Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi.*

De tertio dicitur, Matth. V, 23 et 24: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum*: quia aliter dicetur tibi illud Malachiæ, I, 10: *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra.*

Quod et munda debeat esse acquisitione, accipitur, Proverb. III, 9, ubi dicitur: *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei,* scilicet dando pauperibus. Ac si dicat, quod tuum sit et non alterius quod offers Domino. Eccli. XXXIV, 21: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum.* Subsannatio enim et non oblatio est, qui offert de furto, vel rapina, vel de usura, vel aliquo injusto lucro. Eccli. XXXIV, 23: *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Clamat enim rapina contra rapientem: et ideo Dominus ad oblationes eorum non propitiatur. Isa. III, 14: *Rapina pauperis in domo vestra.* Eccli. XXXIV, 24: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.*

Sic igitur et talis debet oblatio fieri de exterioribus, quæ signum est interioris oblationis.

Hæc autem fieri debet hilariter et jucunde: quia, sicut dicitur, II ad Corinth. IX, 7: *Hilarem datorem diligit Deus.* Et hoc repræsentat clerus, qui totus est in sortem Dei oblatus, cantando Offertorium: et ideo jucundo cantu et lætis neumatibus cantari debet, quod quædam Ecclesiæ repræsentant per modum jubili cantante versus Offertorii, et trahitur, I Paralip. XXIX, 17 et 18, ubi cum offert populus dona in ædificium domus Dei, dixit David: *Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine, Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in venerationem tui mens ista permaneat.*

Hoc est igitur quod de Offertorio dicendum videbatur.

CAPUT II.

De præparatione qua ad offerendum se præparat.

1. Sacerdos præparat se ad offerendum, incenso, lotione, et oratione.

Nunc autem de præparatione qua interim ad offerendum se præparat sanctitatis perfector, est dicendum. Præparat autem se tribus : incenso, lotione, et oratione. Incenso præparat se devotionis odore. Lotione, munditiæ nitore. Oratione, cordis fervore.

Circa primum attendendum, quod tria fuerunt in lege, in sancta sanctorum duo, et ante velum unum. In sancta sanctorum propitiatorium fuit et thuribulum : ante velum erat altare aureum. Ad ista ergo tria sacerdos se præparat, mactans carnem super altare, ad quod procedit cum thure : implens cor, quando procedit cum fervore orationis : accedens ad propitiatorium, quando jam ad locum ubi offerendum est, pervenit. Thus ergo in thuribulo est : quia suavitatis odor est in devotione. Cantic. III, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris?* De mactatione corporis in altari dicitur, ad Roman. XII, 1 : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* De tertio dicitur in Psalmo. LXV, 13 et 14 : *Introibo in domum tuam in holocaustis : reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.*

Ad altare accedens inclinat se, hostiam ponens ter thurificat, et post in circulum thurificationem circumgyrat ante propitiatorium, hoc est, ante clementiam Dei stans, se elevat et manus extendit. Quod inclinat ad altare, significat reverentiam : quod thurificat trini sacrificii redolentiam, scilicet panis et vini, et aquæ, quæ in vinum est mixta : quod se elevat, extensionem sui in Deum per totum fervorem signat. Thurificat ergo ter, tres partes in sacrificio substantiales esse designans, quarum prima reficimur, secunda potamur, et tertia uniti Deo ostendimur. Sic ergo parat se ad altare accedens, ordinando oblata, thurificando, et se in conspectu Domini erigendo. Ac si dicat verba Psalmistæ, Psal. XLII, 4 : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Per secundum autem dicit, Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Per tertium dicit, Psal. CXL, 2 : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Hoc enim totum ad Deum coram propitiatorio extra velum aperte elevabatur.

2. Deinde vadit ad lavandum : quia cum primo ad Missam se parans laverit se ab iniquitate, modo oblaturus sacrificium, ampliori indiget ablutione etiam a venialibus et peccatorum reliquiis, dicens : *Lavabo*, non inter peccatores, sed *inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine* [1]. Hanc ulteriorem ablutionem petit David, Psal. L, 4, dicens : *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Ac si dicat : Lavisti a mortalibus, lava etiam a venialibus. Me lava : quia

[1] Psal. XXV, 6.

nemo adeo lotus est, quin indigeat ulteriori lotione in tanti oblatione sacrificii. Hoc significavit Dominus, Joan. XIII, 10, quia cum loti essent Apostoli, et sic accederent ad refectionem mensæ Domini agni paschalis, noluit eis exhibere corpus suum, nisi iterato lavaret pedes eorum, per quos signata est affectuum ablutio, dicens: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Sic etiam Salomon in templo, III Regum, VII, 23 et seq., fecit mare æneum communem ablutionem sacerdotum, etiam fecit luterem specialem ad loturam eorum qui pro sacrificio ingrederentur in templum.

Hoc igitur modo paratus lotione, procedit ad medium altaris, parans se orationis suffragio: et hoc dupliciter, scilicet per se, et postulatione orationis adjuvantis a populo. Per se pronus inclinatur ante altare, dicens: *In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.* Et sumuntur verba ista, Daniel. III, 39 et 40, ubi ista verba tres pueri in camino ignis ardentis dixerunt. Sacrificium enim offert in recordationem passionis Domini: et sic quando recordamur, quod pro nobis hoc sacrificium in ara crucis oblatum est pro peccatis nostris, offerimus in spiritu humilitatis, peccatum recognoscentes, et in animo contrito, peccati dolorem in corde sentientes. De primo dicit, Psal. L, 5: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* De secundo dicit, ibidem: *Et peccatum meum contra me est semper.* In hac igitur humilitate Ecclesiæ et contritione Ecclesiæ petit suscipi officium sacrificii sui sacerdos: quia certum est, quod in his numquam rejicitur. Quia de primo dicitur in Psalmo L, 19: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* De secundo autem dicitur simul cum primo: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Et sic placet Deo sacrificium. Malach. III, 4: *Placebit Deo sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui.* Juda enim *confitens* interpretatur, et sacerdos jam lotus est ablutione et orationis confessione. Jerusalem autem est pacis et unitatis Ecclesiasticæ suffragii intercessio.

Et ideo se convertit ad populum petens in unitate Ecclesiæ orationis suffragium, dicens: *Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Appellatione enim fratrum et sororum innuit Ecclesiæ in unitate charitatis colligationem et unionem. In hoc autem quod cum sit loco ejus qui omnis est perfector sanctitatis, et tamen petit orationis suffragium, innuit hoc quod dicit Apostolus, ad Hebr. V, 2: *Quoniam et ipse circumdatus est infirmitate:* et ideo ut homo infirmus indiget Ecclesiæ adjutorio. Jacobi, V, 16: *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* 4.

In hoc quod dicit: *Ut meum ac vestrum*, etc., innuit, ut dictum est, quod tam offerentes quam oblati in altari offeruntur, cujus oblationis signum fuit exteriorum facultatum oblatio. Unde, ad Hebr. V, 3: *Debet pro semetipso offerre pro peccatis.* Ipse enim homo est ex hominibus assumptus in locum ejus qui sanctitatis est perfector: et ideo ut homo indiget suffragio, et ut in loco Dei existens impendit et perficit sanctificationem. Ad Hebr. V, 1 et 2: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant et errant.*

Sic igitur munitus sanctitatis perfector et paratus, perficit secretam orationem, in qua per totum annum in omnibus Missis nihil aliud petitur, nisi quod populus offerens in suis donis et cum suis donis Deo in unitate Christi corporis et 5.

incorporandus offeratur Deo. Hoc autem patet in secreta Missæ primæ quæ sic dicit: « Hæc sacra nos, Domine, potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium [1]. » Omnium enim horum principium quantum ad oblationem est oblatio qua Christus obtulit seipsum. Hoc facillime est invenire et videre in omnibus secretis, nisi quod aliquando propter festum quod agitur de Christo, vel Sanctis, in secretis mentio illius festi habetur, ut gratia festi populus offerens Christo incorporetur. Hæc autem oratio ideo *Secreta* vocatur, quia sub silentio et secreto dicitur, cujus diversi diversas assignant causas, de quibus parum est curandum. Causa vero est, quia jam in ista oratione a sanctitatis perfectore sanctissima postulantur et offeruntur. Et hæc a populo communi celari debent, ut amplius venerentur: ostensa enim populo per usum discuntur et vilipenduntur; et forte ad usus alios adhibentur. Sic ergo verba consecrationis vulgo non sunt revelanda. In signum cujus, Numer. IV, 2 et seq., ad sensum dicitur de omnibus sacerdotibus: Aaron et filii ejus sacerdotes intrabunt, ipsique disponent onera singulorum, et dividentquid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario prius quam involvantur, alioquin morientur. Quia multi usu sanctissima contemnentes, quando eis publice ostenduntur, accipiunt occasionem mortis in eis, quæ si essent operta et involuta et ab eis velata, venerarentur. Matth. VII, 6: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.* Quia audita ista vilescunt, et sacerdotes verbis eorum dilacerarentur. Unde Dionysius loquitur in libro de *Ecclesiastica hierarchia* de ritu sacramentorum: « Laici hoc videntes late ridebunt, putantes humilibus verbis et rebus non posse inesse sanctificationem. » Hæc igitur est vera causa hujus silentii et sequentium silentiorum.

Sanctissima populo celari debent, ne ea vilipendat et ad alios usus adhibeat.

Dicunt tamen quidam, quod ante passionem cum Judæi quærerent Jesum interficere, sicut dicitur, Joan. XI, 54: *Jesus abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.* Et quia publice non prædicabat, tunc dicunt, quod hoc silentium suo primo silentio hic sacerdos repræsentat. Et id videtur mirabile, quod illud in aliquo respondetur, cujus nulla mentio fit in ipso. In istius autem secreto silentio nulla penitus fit mentio illius silentii vel similitudo: quia sacerdos fugiens ab altari non abscondit se, neque latet. Et ideo apud me nihil valent tales adaptationes.

Sic igitur perficiens Secretam concludit alta voce: quia hoc quod in conclusione est, omnibus expedit scire, tam clericis, quam idiotis. Dicit igitur: *Per Dominum nostrum*, etc., ut sciatur, quod quidquid petitur, non nisi in nomine Christi exauditur. Et de hoc jam ante satis dictum est.

Quod autem quidam dicunt, quod exaltatione vocis iterata Christi prædicatio innuitur, quando in septimana Paschæ inter decimam et quintamdecimam lunam Jerusalem regrediens clamabat docens in templo, dico quod hoc meo judicio nihil valet ad propositum. Et quod sancti aliquando hoc dicunt, pro certo sunt quædam ex parva convenientia sumptæ adaptationes.

Clamat ergo sacerdos ad populum hoc quod omnium est fides et instructio. Ac si dicat illud Proverbiorum, VIII, 4: *O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.*

Abscondit autem ea quæ non sunt singulorum, sed quæ sunt perfectorum tantum et paucorum ad intelligendum, et conclusione perfecta idiota vel is qui

[1] Secreta Dominicæ I Adventus.

loco idiotæ est, dicit : *Amen*, quod quia ad conclusionem tantum refertur, interpretandum est pro *verum est*, et non pro *fiat*. Ac si dicat : Tu dicis *per Dominum nostrum*, et *qui vivit et regnat*, etc. Nos corde et ore et opere profitemur et dicimus, quod hoc est verum. Ac si dicant illud Proverbiorum, VIII, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum.*

CAPUT III.

De accessu ad Præfationem.

Audiens autem sacerdos hanc confessionem, procedit ad Præfationem, quæ *prælocutio* interpretatur : quia sacerdos sentiens jam populum ad altiora paratum, præloquitur eis publice de sacramenti altitudine et reverentia, et ab hac prælocutione id quod cantatur, nomen *præfationis* accepit. Beatus autem Gregorius hoc ordinans, et Gelasius Papa hoc componens, fundaverunt statutum illud in verbo Domini quod dixit, Exod. XIX, 21, ubi dixit ad Moysen : *Descende, et contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo.* Et ideo sicut Moyses, ita sacerdos nostræ sanctitatis perfector intonat Præfationis modo magnitudinem et altitudinem sacramenti angelicæ perfectioni tremendam, ut non curiositate discutiatur, sed humilitate cordis a populo suscipiatur et veneretur.

Hæc autem Præfatio duas habet partes, scilicet excitationem populi ad attentionem, et ipsam instructoriam Præfationem.

Excitatio intentionis populi est in tribus : in eulogio salutationis, et in commotione profectionis, et in exhortatione gratiarum actionis.

Eulogium salutationis est in duobus, scilicet in salutatione presbyteri, et in devota responsione populi. Excitatur populus ad attentionem.

Salutatio est : *Dominus vobiscum* : quod quamvis in præcedenti jam expositum sit, tamen ad istud eulogium est adoptatio adjutorii Domini adjuvantis ad altissima : quia sine Domino ad ista ascendere non valemus : Dominus enim superpositionis nomen est, eo quod sicut dicit Dionysius : « Dominus superpositionis et dominationis incessanter est appetitivus. » Hoc enim impletur quod dicitur, Proverb. IX, 3 : *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis.* Ad arcem enim altitudinis vocat perfector sanctitatis, ut Dominus nobiscum sit, ita quod nihil cordibus nostris superpositum deprimendo in servitutem redigat. Sed dominationis suæ incessanter appetitivi continue ad mœnia civitatis quæ domina gentium est, ascendamus, sicut dicit Psalmista, Psal. XX, 14 : *Exsultare, Domine, in virtute tua, cantabimus et psallemus virtutes tuas.* Exsultat enim in nobis, quando servitutis jugo excusso, ad superpositionis suæ nos erigit altitudinem, et tunc jucunditate spiritus cantamus, et opere in decacochordo decem chordarum psal-

terio observatione psallimus madatorum. Sic *mirabilis in altis Dominus*[1]. Sic vere dicimus in hoc dominium translati illud Joannis, VIII, 33 : *Nemini servivimus umquam.* Sic impletur in nobis quod est pro dignitate nobis concessum, Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ.* In hoc portamus imaginem Dei, quod superponimur concupiscentiæ dulcedini quæ in humore natat libidinoso, et ambitioni et superbiæ quæ ad alta volant hujus sæculi, et bestialibus motibus qui ratione sunt privati : et ideo nobiscum se esse ostendit.

Huic jucunde respondemus : *Et cum spiritu tuo,* nostro perfectori sanctitatis optantes, quod Dominus subvehat eum cum spiritu in eadem alta, quæ nobis optavit, ut scilicet ea quæ nisi in Spiritu sancto agi possunt, ipse spiritui inspiret, ut spiritus sacerdotis sit cum spiritu perficiente sanctitatem. Joan. IV, 24 : *Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Et hoc maxime necessarium est in sacramento, in quo caro nihil prodest, sed spiritus perficit omnia. Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam.* Hoc enim verbum dixit Dominus de hujus sacramenti perfectione.

2. Hoc modo noster perfector sanctitatis accipiens idiotarum et chori responsum, nititur ad altiora provocare populum, quem jam in signo obtulit in sacrificium, expresse clamans : *Sursum corda,* supple, elevate. Sursum, inquam, intellectu veritatis, sursum affectu charitatis, sursum virtute conversationis, et sursum rectitudine intentionis.

Quadruplex ad Deum elevatio.

De prima ad superna elevatione dicit Psalmista, Psal. LXIII, 7 : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Ad cor altum autem in intellectum veritatis accedit, qui in sacramento nihil carnale cogitat, sed omnia alta esse intelligit, scilicet quod in cibo sumptus Christus dentibus non discerpitur, nec dividitur divisione sacramenti, sed manet integer, et sumptus nos sibi incorporat, et non digeritur ut pereat. In altare descendens manet in dextera Patris, ut incorporatos sibi ad sedem Patris exaltet, et hujusmodi.

De secunda dicitur, ad Coloss. III, 2 : *Quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram.* Sapimus enim et quærimus cœlestia per charitatis nostræ fervidam exsultationem, et hoc in sacramento perficitur, quando nimiam Domini dilectionem pensantes advertimus, quod ipse nobis se dat in cibum, qui nos sibi incorporet. Et sic ad alta domus Patris ubi omnes abundant panibus æternæ vitæ nos elevando perducat.

De tertia elevatione dicitur, ad Philip. III, 20 et 21 : *Nostra conversatio in cœlis est, unde etiam salvatorem,* venientem ad nos in sacramento, *exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui,* incorporando nos sibi, *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

De quarta sursum elevatione dicitur, Job, XVI, 21 : *Ad Deum stillat oculus meus,* hoc est, oculus altæ intentionis, qui devotione et memoria Dominicæ passionis stillat lacrymando, et non nisi in altum ad Deum dirigitur tendendo et pergendo, et omnia in eo soli Deo attribuendo. Hoc autem quod sacerdos hic dicit, ortum habuit ab eo quod Dominus dixit per sanctum Job, XVI, 19 : *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendic lamor meus.* Et ideo terreno et depresso corde sanguis Christi non debet operiri, et clamor quo ad communionem Dei vocamur, latere non debet sub affectu terreno, sed potius corde elevato ad cœlum hæc omnia venerari.

[1] Psal. XCII, 4.

Ad hanc autem allocutionem respondetur ex parte populi : *Habemus ad Dominum* : quia ad altius cor exaltari non potest, nec in aliquo tutius collocari poterit, ut spiritualia et altissima Dei dona percipiantur. Thren. III, 4 : *Levemus corda nostra cum manibus ad dominum in cœlis* : totum enim cor in cœlestibus habitare debet, quod tam cœlestia et sublimia dona exspectat a Domino. Isa. II, 3 : *Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad donum Dei Jacob : et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.*

3. Hoc habito a populo, perfector sanctitatis de tanto dono monet gratias agere, dicens : *Gratias agamus Domino Deo nostro*, se connumerans populo : quia unius sunt doni participes, tam perfector sanctitatis, quam populus sanctitate perfruens. Gratiæ autem aguntur, quando dona Domini digne percipiuntur, et distincte cognoscuntur, et in magna devotione in ipsum referuntur.

De perceptione quidem digna dicitur, I Paralip. XXIX, 13 et 14 : *Nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi, et laudamus nomen tuum inclytum. Quis ego, et quis populus meus, ut possimus tibi universa promittere? Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Sic enim digne percipitur a Deo donum, quod offertur Deo, et in ipso dono offertur offerens donum.

De discreta autem doni Dei cognitione dicitur, I ad Corinth. II, 12 : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Omnia enim dona Deus dat in spiritu, et in spiritu data, cognoscuntur in eodem spiritu quæ et qualia sunt et quanta et quantam in nobis efficiunt virtutem, præcipue quæ in sacramento altaris nobis a Deo donantur.

De relatione autem donorum in Deum dicitur, II ad Corinth. IX, 15 : *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.* Non enim est nisi gratia, quod tantum nobis dat sacramentum. I ad Thessal. V, 18 : *In omnibus gratias agite.* II Machab. I, 11 : *Magnifice gratias agimus.*

Ad hanc autem communem invitationem respondet populus sive chorus loco populi : *Dignum et justum est.* Dignum quidem pro magnifica liberalitate qua dona confert. Justum autem pro debito receptionis donorum : quia sic obligamur ad gratias agendum.

De primo dicitur, Deuter. XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.* Magnificentia enim Deo datur, quando digne liberalitas ejus qua gratis dona dat, exprimitur. Sic enim dicitur, Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Et hoc est perfectum opus donationis, quando nec manu retracta, sed liberalitate tota manu aperta magnum confertur et datur sine improperatione. Jacobi, I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.* Ex hoc enim ipse est gratiarum actione dignissimus.

Justum autem fit ut gratias agamus ex ipsa receptione : quia ex illa obligamur ut gratias agamus manui quæ nobis largitur. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* Et ideo dicit Aristoteles, quod multas amicitas aprosigoria, hoc est, irresalutatio dissolvit, quando dat unus, et ab altero qui accipit, nec mereri potest amicitiæ verbum salutationis.

CAPUT IV.

De ipsa Præfatione.

1. Hac autem habita responsione, statim sanctitatis perfector magnitudinem tam magnifici doni præfatur, ut omnes excitet in admirationem ipsius et laudem : et ideo duo hic se consequuntur, Præfatio scilicet, et laus chori in laudem per præfationem excitati.

Circa Præfationem autem duo sunt attendenda, scilicet auctoritas a qua ortum habuit Præfatio, et expositio eorum quæ in præfatione habentur.

Præfationis Auctor. Nomen enim Præfationis in ante habitis est expositum. De auctoritate autem sic in gestis Paparum, hoc est, re gesta legitur : « Gelasius Papa hymnos et tractus composuit, et sacramentorum Præfationes, cantus quidem et elimato sermone dictavit. Sixtus autem Papa hymnum : *Sanctus, sanctus, sanctus*, cantari in Missa ante confectionem sacramenti post Præfationem constituit. » Et ideo de istis potest intelligi quod dicitur, Eccli. XLVII, 11 : *Stare fecit cantores contra altare, et in sono eorum dulces fecit modos.*

Quæ continentur in Præfatione? Ea vero quæ in Præfatione continentur, in tribus comprehenduntur. Quorum primum est responsionis acceptæ comprobatio. Secundum, sacramenti super eminens ostensa magnitudo. Tertium vero ut voces laudantis Ecclesiæ vocibus angelicis misceantur, devota supplicatio.

In primo horum quatuor continentur, scilicet responsionis approbatio, approbatæ responsionis determinatio, ejus cui gratiæ referendæ sunt in laudem prædicatio, et per quem sicut mediatorem tanti boni perficitur sanctificatio.

2. Responsionis acceptatio In approbatione vero dicitur : *Vere dignum et justum est, æquum et salutare.* Quæ sunt quinque sumpta a quinque quæ sunt in sacramenti consideratione. Si enim consideramus sacramentum ut veritatem umbrarum Veteris Testamenti, sic dicitur sacramentum veritatis : et hoc modo dicitur hic : *Vere.* Ad Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum :* quia boni gratiæ fuerunt signa et non causa : sed hoc sacramentum auctorem in veritate continet omnis gratiæ. Sic enim dicitur, Joan. I, 17, quod *lex per Moysem*, scilicet in umbris et figuris, *data est :* sed *gratia et veritas*, scilicet in verbis, *per Jesum Christum facta est.*

3. Si autem hujus sacramenti consideratur nobilitas, tunc est dignum Deo sacrificium, et sic dicitur *dignum* solum. Et ideo cum in veteri lege quæreretur, quid digne offerretur, non est inventum, dicente Michæa, VI, 6 : *Quid dignum offeram Domino?* Et ideo, Apocal. V, 4, repræsentans gemitum Patrum antiquorum hoc sacrificio carentium, dicit : *Ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.* Istud enim sacramentum omnia aperit secreta divina et cœlestia. Et ideo quibusdam interpositis dicitur, ibidem, ℣℣. 8 et 9, de laude dignitatis istius : *Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt*

coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum : et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. Liber enim est secretum consilium sapientiæ divinæ, quo disposuit in sacramentis ornare et ordinare Ecclesiam : hunc nemo aperire potuit nisi is qui sanguine suo de corde suo sacramenta profluere fecit : et ideo quatuor animalia Evangelicæ prædicationis in se figuram præferentia, ut rationem sacramentorum intelligant, sicut homo : in sacrificium se exhibebant, ut vitulus : fortiter mortem vincant, ut leo : altissima contemplatione Verbum apud Deum comprehendant, ut aquila : et viginti quatuor seniores qui signant duodecim patres Veteris Testamenti et duodecim Apostolos novæ gratiæ patres, statim cadunt in faciem suam in unam fidem præcedentium et sequentium, tam dignum sacramentum venerantes et jucunda laude citharizantes in omnium virtutum consonantia, et phialas auro divinitatis splendentes, hoc est, divinis cordibus flagrantibus omni odoramento pietatis et bonitatis statim in venerationem tam digni excitantur sacramenti. Et ideo clara voce dicit perfector sanctitatis : *Dignum.*

Consideratur autem sacramentum ut nos obligans nobis donatum : quia, sicut dicit Gregorius : « Cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum. » Ex maximo igitur sacramentali dono maxime obligamur, et hoc considerans dicit : *Et justum est.* Est autem ista justitia ab istius sacramenti institutione : quia justum est ut instituta Dei teneamus, præcipue quæ ad tantum instituta sunt utilitatem. Psal. CXVIII, 5 : *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Dixit enim, Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et quia injunxit in tanto charitatis affectu, ideo justum est, imo nihil tam justum, ut omni devotione celebretur.

5. Si autem consideretur sacramentum, et ejus qui dedit ad nos quibus dedit, par vel æquum est, secundum rationem dati et accepti, ut illud nos extollamus magnifica laude. Iniquum enim omnino est et impar invenitur ad Dei dona, magna et multa a Deo accipere, et non ad paria quantum valemus in laude reddere, et hoc attendendo perfector sanctitatis dicit : *Æquum.* Sapient. XI, 21 : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Luc. VI, 38 : *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

6. Si autem hujus sacramenti attendamus effectus, qui omnes salutares sunt et causa salutis æternæ : tunc salutare est Salvatori gratias rependere, ut continuo ab ipso in nos et a nobis in eum fluat et refluat in sacramento effectus salutis. Et hoc, Luc. II, 30, consideravit in ipso Simeon senex, dicens : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Hoc salutare erat in desiderio patrum. Et ideo dixit Jacob, Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum expectabo, Domine.* Sic igitur hic quinque perfector sanctitatis præfatur ad populum.

7. *Nos tibi semper*, etc. Hic tangitur approbatæ responsionis determinatio. Hæc autem est, quod ubique et semper agantur gratiæ de tanto sacramento. Approbatæ responsionis determinatio.

Ubique quidem : quia per ipsum instaurantur quæ in cœlis sunt et in terra : et ideo trina agit gratias machina, cœlum pro ruinæ angelicæ reparatione, terra pro Ecclesiæ militantis redemptione, infernus pro eorum qui ibi erant liberatione : et hoc est ubique. Ad Philip. II, 10 : *Ut in nomine Domini omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.* Et ideo etiam hoc sacrificium offertur pro cœlestibus ad laudem, pro terrestribus ad gratiæ perceptionem,

pro his qui in infernalibus pœnis sunt, ad liberationis supplicationem. Psal. CII, 22 : *In omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino.*

Semper autem : quia et in tempore gratiæ, et in æternitate gloriæ : quia sicut in tempore percipitur in sacramentali et figurali specie, ita in æterna beatitudine percipitur in ipsius rei veritate et manifestatione. Psal. XXXIII, 1 : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Tob. IV, 20 : *Omni tempore benedic Deum.* Sic igitur terminata approbatio est responsionis.

8. Ejus cui gratiæ referendæ sunt in laude prædicatio.

Domine sancte, Pater omnipotèns, etc. Hic tangitur ejus cui gratiæ referendæ sunt in laude prædicatio.

Prædicatur enim per tres combinationes, quarum prima est : *Domine sancte.* Dominus enim, sicut jam diximus, dicit eum qui facultatibus pulchrorum et bonorum hanc potuit ministrare oblationem : quia dives est et copiosus in omni gratia. Quod autem additur : *Sancte*, ideo fit, ut has omnes impensas et divitias in rebus sanctis nos sanctificantibus sciamus esse accipiendas, sicut dicitur, Levit. XI, 44 : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, ne polluatis animas vestras.* Luc. I, 75 : *In sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Tales enim magnificentiæ suæ divitias Dominus majestatis ostendit, cum nobis tam magnificum et omni sanctitate plenum et gratia largitus est sacramentum : et ideo Eucharistiæ nomen accepit, *de cujus plenitudine omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia*, sicut dicitur, Joan. I, 16. Hoc enim est illud gomor de quo dicitur, Exod. XVI, 32 : *Imple gomor ex eo*, scilicet mannate, *et custodiatur in futuras retro generationes, ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti.* Gomor autem vas mensurale est, quod signat sacramentum corporis Dominici, in quo manna ponitur : quia in ipso omnis refectio divitiarum Domini invenitur. Et ideo frequentatio et usus ejus in omnes retro generationes custoditur, ut cuncti fideles panem illum ditissimum in omni sanctitate noverint per devotam venerationem, quo alimur in via hujus solitudinis, per quam redimus ad patriam, ubi ista in rerum veritate facie ad faciem percipiemus. Hoc etiam de ipso dicitur, Psal. LXXVII, 6 : *Filii qui nascentur, et exsurgent, et enarrabunt filiis suis* : et ideo etiam in figura sacerdoti summo servandum est commissum. Exod. XVI, 33 et 34 : *Dixit Moyses ad Aaron : Sume vas unum, et mitte ibi Man, quantum potest capere gomor, et repone coram Deo ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi.* Hac igitur de causa dicitur : *Domine sancte.*

9. Secundum præconium est : *Pater omnipotens.* Qui enim est Dominus omnium cum superpositione possessionis pulchrorum verorum et bonorum, pro affectu dignatur esse pater. Pater, inquam, qui in sua nimia dulcedine talem refectionem nobis præparat. Sapient. XVI, 20 et 21 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Parare enim in uno cibo omnem saporem gratiæ, ostendit non domini terrentis in timore, sed patris dulcescentis in affectu pro nobis benignitatem et pietatem. Unde quod dicitur : *Pater*, intelligitur essentialiter, sicut totam trinitatem Patrem vocamus in dulcedine affectus sui de nobis cogitante. Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Psal. LXIV, 10 : *Parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio ejus.* Propter quod et talis gratia dicitur *panis filiorum.* Matth. XV, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.*

Quia autem in hac benigna præpara-

tione transsubstantiatio panis in corpus Dominicum, et vini in sanguinem Dominicum exigitur, et hæc transsubstantiatio non tam a minori quam ab omnipotentia procedit, ideo Patri præparanti jungitur omnipotentia, qua tantam præparationem potest perficere, et dicitur : *Pater omnipotens*. De omnipotentia qualis et quanta sit, supra in expositione hymni *Gloria in excelsis*, satis dictum est : sicut enim beatæ Virgini Mariæ omnia quæ dixerat, credibilia fecit id quod de omnipotentia subjecit : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum* [1] : ita hoc quod nobis Pater in affectu paterno tantam gratiam paret, indubitatam fidem facit omnipotentia. Vult enim, quia pater : potest, quia omnipotens : scit autem ex diligentia parare, quia sapiens.

10. Tertium præconium ejus cui offertur gratiarum actio, est quod subjungitur : *Æterne Deus*. Æternitas enim est, ut dicit Boetius, in libro de *Consolatione philosophiæ*, interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Deus autem quod Græce Θεός vocatur a θεῖν quod est *ardere*, derivatur. Æternæ igitur vitæ alimonia, ut dicit Gregorius, non nisi ab æterno vitæ fonte qui in sacramento est, per deitatem vegetat et nutrit ad æternitatem : nec a nobis est, sed a Deo nimia charitate sua succenso hoc nobis conferente. Et ideo dicitur *æterne* : quia nos ad æternitatem vegetans est in sacramento. Et dicitur *Deus* : quia hoc factum est nimia charitate Dei, de qua dicitur, Cantic. VIII, 6 et 7 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem*. Sic tibi dignum est gratias agere, *Domine sancte*, qui ad omnes sanctitatis copias quæ in sacramento sunt, habes omnibus superpositas facultates. *Pater*, quia dulcedine patris affectus vis. *Omnipotens*, quia hujusmodi omnipotentia paras. *Æterne Deus*, qui tantæ charitatis sacramentum æternam in eo plantans virtutem exhibes, quod nos vegetat ad æternitatis immortalitatem.

11. Ejus per quem tanti sacramenti perfecta est sanctificatio sicut per mediatorem, jucunda commemoratio.

Per Christum Dominum, etc. Hic tangitur ejus per quem tanti boni perfecta est sanctificatio sicut per mediatorem, jucunda commemoratio. Unde mediationem notat præpositio *per*. Naturas autem quibus mediat, notat cum dicitur, *Christum* qui *unctus* interpretatur, cujus unctio est deitas, et uncta humanitas, ut sicut canalis tangit fontem a quo haurit et hortum quem rigat, ita Emmanuel noster per divinitatem tangit Deum a quo sicut a fonte fluunt gratiarum chrismata, et per humanitatem tangit nos in quos profluunt per ipsum tanta charismata gratiarum. Ad Galat. III, 20 : *Mediator unius non est : Deus autem unus est.* I ad Timoth. II, 5 : *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Ad Hebr. IX, 11 : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum.* Ibi dicit Glossa : « Assistens nobis. » Hoc sancti patres ante Christi præsentiam in carne deploraverunt, quod talem pontificem Dei et hominum non habuerunt : et ideo sua sanctificatio perfecta sacrificia non fuerunt. Unde in persona patrum dicitur, Job, IX, 32 et 33 : *Neque enim viro qui similis mei est, respondebo : nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri. Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.* Et ideo nullus verus pontifex fuit, nec alicujus sacrificium omnino poterat esse acceptum. Modo autem per pontificem Christum acceptum est, de quo dicit Pater : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* [2]. Et ideo per ipsum magnifice gratias agimus : quia sicut gratiæ ad nos a Deo per Christum fluunt, ita per eumdem mediatorem ad Deum per gratiarum actionem revertuntur et reflectuntur, et continue

[1] Luc. I, 37.

[2] Psal. CIX, 4 et ad Hebr. V, 6 et VII, 17.

inter nos et Deum redundant flumina gratiarum, quæ totam lætificant civitatem Dei, hoc est, Ecclesiam.

12. Quod autem additur : *Dominum nostrum*, speciale dominium notat, quo nos sanguine suo redemit in suam possessionem. Dicit enim Chrysostomus super Joannem, quod sicut homo dominus auro servos emit, et emptos ornat et decorat : ita Christus nos suo sanguine in servos emit, et emptos tam digno sui sanguinis sacramento ornavit. I ad Corinth. VI, 20 : *Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* I Petri, I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.*

13. Ejus qui gratiæ referendæ sunt in hoc sacramento supereminens magnitudo.

Per quem majestatem tuam, etc. Ostenditur hic cujus gratiæ referendæ sunt in hoc sacramento supereminens magnitudo.

Et hoc ostenditur præconio angelicæ vocis : et in hoc importantur tria, scilicet laudis altissimæ præconium : reverentiæ ab his quibus omnis reverentia exhibenda est, impensum obsequium : et ab altissimis concelebratum gaudium.

In primo horum tria sunt notanda, scilicet mediatoris in laude officium, laudati culmen eximium, et laudentium dignissimum obsequium.

De primo horum dicit : *Per quem*, scilicet sicut per mediatorem, per quem Angelis data est laudis materia : quia mediatione sua perficitur eorum custodiæ effectus, et casus eorum reparatur defectus, et in custodia promovetur profectus. Custodiunt enim homines Angeli, sicut dicitur in Psalmo XC, 11 : *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Et ideo quia Christus fecit redemptionis opere, quod effectum habet custodia, ideo laudant Angeli per Christum : quia per Christum fit eis laudis materia. Hoc signatum est, Apocal. XII, 10 et 11, ubi sic dicitur : *Audivi vocem magnam in cœlo, dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*, hoc est, accusabiles reddicit : *et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Et post pauca subjungit, ℣. 12 : *Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis.* Vox enim magna hæc, vox est laudantium Angelorum, ut dicit Gregorius, in contemplatione tantæ gratiæ admirantium Dei consilium, qualiter per Christum hominem a diaboli captivitate absolvit et angelicam custodiam ad effectum salutis provexit.

Per hoc etiam ruinæ Angelorum reintegratur defectus. Ad Ephes. I, 9 et 10 : *Secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in ipso.* Ad Coloss, I, 19 et 20 : *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Hæc ergo restauratio casus angelici est causa et materia laudis Angelorum in officio isto mediatoris, qui sicut dicitur, Luc. XV, 9, drachmam decimam invenit, et eam in loco cadentis Angeli reposuit. Amos, IX, 11 : *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit : et reædificabo aperturas mutorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo : et reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* Tabernaculum est hic cœlum cœlestium excubiarum tabernaculum, quod dicitur esse nostri David qui manu fortis et adspectu desiderabilis interpretatur : quia in eo propugnator est ad salvandum, ut manu fortis : et in eum desiderant Angeli prospicere, quia adspectu est desiderabilis. Hoc autem cecidit in ruina Angelorum, et in apertura in defectu vacuarum mansionum stetit. Et unde

poterant suppleri, hoc est, ex homine in cœlum assumendo, etiam corruit in primo hominis peccato, et sic mediatione sua Pater illud per Christum tripliciter reædificavit : quia hominem a casu redemit, Angelorum numerum ex hominibus reintegravit, hominem in cœlum in mansiones paratas introduxit.

Ex mediatione etiam Christi officium proficit Angelis : quia virtute sanguinis adjuvatur manus angelica ut hominem facilius provehat ad virtutum profectum et perfectionem. Et ideo dicitur in Psalmo XC, 12 : *In manibus portabunt te.* Quia operibus Angelorum portamur ad profectum, remoto pondere circumstantis nos peccati per Christi sanguinem. Hoc signatum est, Matth. IV, 11, ubi Christo pro nobis vincente tentatorem, ne inducamur in ipsam tentationem, *Angeli accesserunt, et ministrabant ei.*

Sic igitur triplex angelica laus promovetur per officium mediatoris.

Majestatem tuam. Tangitur hic laudati culmen eximium. Majestas autem est magnitudo supereminens stans, quæ numquam declinat ad parvitatem. Hanc autem maxime ostendit Deus in hoc magno, in quo mirabili majestate effecit, ut incomprehensus comprehendatur in tam parvo, sumptus maneat in seipso, regnans æternaliter in ara mactetur in ministerio. Isa. LXVI, 8 : *Quis audivit umquam tale, et quis vidit huic simile?* III Regum, VIII, 27 : *Si cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi!* et quanto minus forma minima panis et vini, quæ est in altari! Sed hæc est majestas : quia sicut dicitur, ad Roman. IX, 27, incircumscriptus et immensus Deus *verbum breviatum fecit super terram*, ut esset vobiscum, sicut dicitur, Isa. X, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Et hoc ipsum non in substantia, sed in signo totum Deum et hominem continente secundum omnem sui veritatem et magnitudinem fecit, ut esset in nobis corporaliter et spiritualiter in perceptione sacramenti. III Regum, VIII, 11 : *Impleverat enim gloria Domini domum Domini :* sic et natura quam assumpsit in sacramentali specie in qua totus habitavit. Sic igitur dicitur de Ecclesia, Aggæi, II, 10 : *Magna erit gloria domus istius novissimæ*, hoc est, Ecclesiæ, in cujus sacrificio Deus divinitus et corporaliter habitat, *plusquam primæ*, hoc est, synagogæ, in qua non habitavit nisi in figuris umbrarum.

Hic sumimus Christum in sacramento, et integer manet apud Patrem in cœlo. Sumimus, inquam, ut in eo vivamus. Manet ut ipsi in cœlo conregnemus. De primo dicitur, Joan VI, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Et hujus alimoniæ virtute tendimus continue ad hujus sacramenti principium quod est Christus, in figuræ propriæ integritate regnans in cœlo apud Patrem, ut ibi conregnemus. Et hoc signans dixit Dominus apud Lucam, XXII, 29 et 30 : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Nemo etiam secundum naturam ascendit, nisi natura superior efficiatur in ipso. Ita naturam regnantis influit nobis summa majestas, ut per ipsam mensam quam sumimus, ad locum regnantis in cœlo tendamus.

Mactatur in mysterio et immortalis permanet, dicente ipso Domino : *Hoc facite in meam commemorationem*[1]. I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Unde calice utimur pro sepulcro, patena pro lapide ad os monumenti posito, pallis et corporalibus pro sindone qua involutum fuit corpus Dominicum a sancto Joseph pietatis offi-

[1] Luc. XXII, 19.

cio. Et de hoc habentur metra ista, scilicet,

Ara crucis, tumulique calix, lapidisque pa- [tena,
Sindonis officium candida byssus habet.

Scimus tamen et firmiter credimus et simpliciter confitemur id quod dicitur, ad Roman. VI, 9 et 10 : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo*, hoc est, ad similitudinem Dei, *qui solus habet immortalitem et lucem habitat inaccessibilem*, sicut dicitur, I ad Timoth. VI, 16 : quia numquam in cœlo vel in terra ostensa est major majestas prorsus nulla. Et ideo majestatem in hoc sacramento laudandam esse dicimus per Christum, in cujus sacrificio et sacerdotio tripliciter hæc majestas declaratur.

15. *Laudant Angeli.* Angeli hic meo judicio non dicuntur specialiter et infimus cœlestium spirituum ordo, sed potius sicut beatus Dionysius dicit, Angeli hic omnes cœlestes essentiæ vocantur, quorum ut dicit Damascenus : « Unum est commune opus hymnis laudare Deum. » In his enim verbis nec nomina ordinum Angelorum, nec distributio per hierarchias describitur, sed communis laudis præconium cœlestium spirituum in sacramento declaratur. In sacramento enim habemus hujus sacramenti virtutem, honorem, et profectus generalitatem. Virtutem autem decet laus : quia laus est virtutis præconium. Honorem condecet reverentia : quia honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis, ut volunt Philosophi. Generalem autem profectum quem omnia cœlestia et terrestria et infernalia habent in sacramento, condecet concelebratio : quia celebratio, ut dicit Fulgentius, est concentus multorum laudem Dei solemnizantium. Et hæc tria per ordinem inducuntur. Quia igitur commune cœlestium virtutum et essentiarum officium est laudare Dei virtutem, quæ de hoste per hoc triumphavit sacrificium, ideo dicitur : *Laudant Angeli.* Eccli. LI, 15 : *Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione.* Psal. CXLVIII, 2 : *Laudate Dominum, omnes Angeli ejus, laudate eum, omnes virtutes ejus.* Psal. CII, 20 : *Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.* Sic igitur et hac de causa laudant Angeli divinam in sacramento majestatem, quorum laus, ut dicit Gregorius, admiratio est in sapientia et majestate talem in sacramento virtutem perficientis.

Laus, quid? Honor, quid?

Adorant Dominationes, etc. Tangitur hic secundum quod pertinet ad reverentiam tanti honoris, quantus est in sacramento. Est enim hoc sacramentum plenum omni gratia, propter quod sibi honor debetur, quia honor est præmium gratiæ et virtutis : et plenum Deo, propter quod cultus sibi debetur divinus, quia θεοσεβεία vocatur Græce. Et ideo talis hic cultus inducitur Angelorum reverentia quam Deo Patri per Dominum Jesum Christum exhibent Angeli, ut et homines ad similem cultum et reverentiam provocentur.

Inducit enim hic duos ordines Angelorum, qui minus inclinari videntur ad reverentiam, et quando scitur, quod et illi voluntate ad reverentiam inclinantur, quod de omnibus non dubitetur, quin ad eumdem modum inclinentur, et quod et nos cum omni devotione similia faciamus.

Primus ordo est, quod dicit : *Adorant Dominationes.* Dominationum enim, ut dicit Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia*, est omnibus inferioribus et per naturam humilibus superponi, et superpositionis et dominationis divinæ incessanter esse appetitivos. Et talium qui sic in altitudine semper feruntur cum actu et omni desiderio, non est adorare, sed potius adorari. Ex quo igitur adorant,

scitur quod hoc sacramentum est altissimum et in omnibus summis creaturis omni dignitate et veneratione superpositum, utpote vero Deo et omni gratia plenum. Unde, ad Hebr. I, 6 : *Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Adoratio enim est prostratio super terram in recognitionem, quod ille qui adorat, est de nihilo. In hoc quod est elevatus ab eo qui adoratur. Apocal. V, 11 et 12 : *Et vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum : et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.* Igitur *adorant Dominationes.* Et ideo dignum est ut omnis creatura adoret id quod Dominationes adorant. Unde, Apocal. V, 13 : *Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes : Sedenti in throno et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum.* Reverentia autem non tantum est adoratio honoris et majestatis in eo qui adoratur, sed est recisio quædam et relapsus in cognitione propriæ parvitatis in eo qui adorat respectu magnitudinis in eo qui adoratur cognitæ, et quoad hoc inducitur id quod sequitur :

Tremunt Potestates. Potestatum enim, ut dicit Dionysius, libera severitate est corripere omne quod rectitudini legum divinarum non congruit, et vindicare in omne quod legibus obstando repugnat. Et ideo Potestatum non est tremere, sed potius, quod aliqua tremant coram eo. Quod ergo tremant, hoc est coram eo qui eximiæ est potestatis, et tremunt tremore reverentiæ, et non timiditatis, cognoscentes suam nihil esse potestatem respectu potestatis divinæ, quæ in sacramento manifestatur et continetur. Et ex quo sic tremunt et pavent reverentia potestatis qui minus tremere videbantur, oportet quod ad sacramentum omnis tremat et paveat creatura. Et hoc est quod dicit Jacob, Genes. XXVIII, 17 : *Pavensque, Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Et supra, ℣. 16 : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Quamvis autem omnis locus pavendus et terribilis sit, in quo Deus sua ostendit sacramenta, tamen locus specierum sacramentalium specialiter est omni veneratione tremendus, ubi ostendit ea quæ in cruce perfecit, ubi et saxa scissa sunt, et monumenta aperta, et ubi terra tremuit, et ipse sol globos lucis suæ abscondit. Et hoc est illud reverentiæ signum quod dicitur, Job, XXVI, 11 : *Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus.* Si autem sic Potestates cœli et columnæ tremunt in reverentia illius magnitudinis, tunc omnis homo in se concussus in reverentia ad sacramentum debet contremere et pavere.

Cœli cœlorumque virtutes. Tangit celebrationem totius cœlestis concentus, et inducit tria, cœlos, et cœlorum virtutes, et beata Seraphim. *Cœli* autem per metonymiam hic dicuntur angelicæ virtutes, quæ supra se eum qui in sacramento est, venerantur, sicut dicitur in Psalmo CXLVIII, 4 : *Laudate eum, cœli cœlorum.* Et iterum, CXLVIII, 1 : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* Quia ipse ascendit dignitate super omnes cœlos, hoc est, angelicas virtutes. Ad Ephes. IV, 10 : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* 18.

Cœlorum autem *virtutes* sunt quibus virtus cœlestis sine obstaculo perficitur : quia, sicut dicit Philosophus, virtus in omni re est ultimum potentiæ, ultra quod agendo nihil potest potentia. Et hoc sunt Angeli mandata et decreta Dei et voluntates ejus invincibiliter perficientes, ut dicit beatus Dionysius. Psal. CII, 21 : *Benedicite Domino, omnes virtutes ejus,* Virtus, quid?

ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Hi ergo celebrant eum, qui præ omnibus voluntatem Dei perfecit, sicut dicitur, Joan. IV, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Unde, Joan XVII, 4, dicit ad Patrem : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam*, Cœli ergo celebrant eum quem supra se contemplantur. Cœlorum autem virtutes celebrant eum a quo est omnis virtus eorum. Psal. XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Os autem Patris est Filius, a quo in Angelos fluit virtutis spiritus ad omnes voluntates Dei inevitabiliter perficiendas, ita quod nec lex naturæ inferioris retrahat, nec infirmitas potentiæ deprimat, nec aliqua virtus contraria concurrens impedire valeat, quin potenter quod Deus vult perficiatur.

19. *Ac beata Seraphim.* Seraphin per N litteram in fine terminata, Angelorum agmen sive ordinem signant, quæ tota ardentia sive incendentia interpretantur : quia sicut dicit Dionysius, ignis qui Deus est, per attractivam naturam quæ in ipso est, in tantum hoc agmen Angelorum sibi attraxit, quod in vestibulis decoris divini continue debet commorari. Hoc igitur agmen quod altissime in Deum festinat, antonomastice dicitur *beatum*, eo quod admirabilibus et purissimis et firmissimis Dei theoriis et declarationibus perfruatur. Et hoc quantumcumque vis beatum sit et in vestibulis Dei collocatum, tamen super se contemplans altitudinem sapientiæ et delectationis hujus sacramenti, celebrat solemniter et jucunde sacramenti istius altitudinem quod supra se veneratur. Et de his dicitur, ad Hebræos, I, 7 : *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Isa. VI, 2 : *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri* : quia altivolum in divinas est contemplationes. Quia ergo ista altissima agmina concelebrant, ergo omnino irrationabile est si aliquis hominum non concelebrans inveniatur. Job, XXXVIII, 7 : *Ubi eras cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?*

Cum quibus et nostras voces, etc. Tangitur hic devota supplicatio, ut voces humanæ concelebrationibus cœlestibus misceantur. Et hoc est : *Cum quibus*, scilicet Angelis, *et nostras*, humiles tamen rationabiles, *voces*, quia vox est sonus cum intentione prolatus, ut admitti in laude sacramenti, *jubeas*, o Deus omnis sanctitatis perfector, *deprecamur* suppliciter : quia sine tuo jussu juvante non potest fieri a nobis, quod inter Angelos nostra vox audiatur : sicut enim dicit Psalmista, Psal. LXXXVIII, 14 : *Beatus populus qui scit jubilationem.*

Supplici, quam proni ante majestatem tuam facimus, *confessione*, laudis, *dicentes* sanctorum hymnum Angelorum, quem, Isaia referente, cantaverunt [1].

[1] Cf. Isa. VI, 3.

CAPUT V.

Chori responsio.

Sanctus, sanctus, sanctus. Ista est chori responsio quæ etiam est vox Angelorum composita ex tribus ut omni firma auctoritate. Prima enim pars sumitur, Isa. VI, 3, de vocibus Angelorum sic clamantium : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus exercituum : plena est omnis terra gloria ejus.* Apocal. IV, 8, dicitur, quod quatuor animalia *requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.*

Hoc autem quod dicitur : *Hosanna in excelsis ! Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis,* continetur, Joan. XII, 13. Et fuerunt voces turbarum quæ præibant, et quæ sequebantur, et quæ concomitabantur Dominum in Jerusalem ad locum passionis suæ procedentem.

Composita igitur est hæc chori responsio a beato Papa Sixto ex tribus, scilicet ex laude, ex oratione, ex gratiarum actione. Ex laude autem : quia dicit, *sanctus* : ex oratione, quia dicit, *hosanna* : ex gratiarum actione, quia dicit, *benedictus*, etc.

Laus autem est dupliciter, scilicet laus et causa laudis. Laus est cum dicitur *sanctus*, etc. Dicitur autem ter *sanctus*, ut multi dicunt, propter trium personarum distinctionem quæ omnes in hoc sacramento sunt singulariter operatæ. Virtus enim Altissimi, ut dicit Cassianus, per appropriationem est Patris qui obumbravit, dum sui perfectam et indifferentem imaginem in utero Virginis et sacramento nostræ redemptionis impressit : umbra enim forma dicitur in speculo resultans, quæ perfecte exæquat faciem inspicientis. Et sicut dicit Origenes, in hoc sensu sumitur *umbra*, quando dicitur : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* [1]. Spiritus autem sanctus superveniens tam in uterum in quo noster panis a muliere sapientia æterna perfectus est, quam quod etiam in sacramentum in quo substantia panis in ipsum transsubstantiatur, virtute et operatione sua divina perficit omnia. Filius autem est, qui omnia a Spiritu sancto et in utero et in sacramento sibi unit : per talem enim unionem dicitur, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Hac igitur ratione ter dicitur *sanctus* : quia omnia hæc sanguine Christi firmata et mundissima sunt effecta. Pater enim imaginem carni et sanguini impressit, Spiritus sanguinem mundatum formavit, Filius sanguinem sibi univit. *Sanctum* autem secundum primam vocabuli institutionem est, quod sanguine et tactu sanguinis est confirmatum et fundatum. Et sic sanctæ sunt leges, et sic omnia sancta imperia et regna et palatia, leges edentes et in firmitate tenentes, et sic mundantur et confirmantur omnia sanguine. Quia igitur operatione Trinitatis in sanguine tota religio nostra et firmata

[1] Luc. I, 35.

et mundata est, ideo ter in ista celebratione dicimus *sanctus*.

Vel, quia tribus sanctis conficitur sacramentum, scilicet antiquo, novo, et æterno. Antiquo corpore quod de massa corporis Adæ sumptum est : hoc enim sanctum est, quia immune ab omni peccato est assumptum. Et hoc fecit Spiritus sancti purgatio, quæ prævenit in beatam Virginem, purgans et purificans sanguinem ex quo sanctum est corpus Christi. Et illud dicitur, Joan. III, 31 : *Qui de cælo venit, super omnes est.* Quod ibi Glossa exponit : quia de altitudine humanæ naturæ quantum ad immunitatem peccati est assumptum. Secundum in sacramento est novum, scilicet anima humana, quæ a Patre creata, statim in momento creationis omni sanctitate et omni gratia et sapientia est repleta. Et hanc fecit Pater. Ad Coloss. II, 3 : *Omnes thesauri sapientiæ et scientiæ* Dei *sunt* in Christo *absconditi.* Tertium est deitas Filii, quæ sibi corpus sanctum et animam sanctitate plenam assumpsit et in persona Filii univit, ut omni sanctitate redundaret ille homo ad totius Ecclesiæ sanctitatem et copiam. Joan. XVII, 19 : *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Hac igitur ratione iterum ter *Sanctus, sanctus, sanctus,* clamatur.

2. Propter unitatem autem essentiæ in tribus personis hoc perficientem singulariter addimus ex hymno Angelorum : *Dominus Deus sabaoth,* significantes istius operationis facultatem et modum et virtutem.

Facultatem in nomine Domini designamus : quia, ad Roman. X, 12, dicitur, quod *Dominus dives in omnes qui invocant illum,* eo quod omni pecuniæ possessione pulchrorum et bonorum est superpositus.

Modus autem ostenditur in hoc quod dicimus, *Deus* : sapienter enim perficit, quia omnia videt sapientia : pro nobis perficit utiliter, quia omnia circuit providentia et cura qua sollicitus est pro nobis. Psal. XXXIX, 18 : *Dominus sollicitus est mei.* Charitate maxima facit : quia ardor est et ignis. Ad Hebr. XII, 29 : *Deus noster ignis consumens est* [1]. Et hæc omnia in nomine importantur *Dei,* sicut jam dictum est in ante habitis.

Sabaoth autem virtutum vel exercituum interpretatur, eo quod omnis virtus exercituum cœlestium vel terrestrium est in manu ejus : sancta enim Ecclesia in triumphantibus et militantibus est *ut castrorum acies ordinata, terribilis* dæmonibus, sicut dicitur, Cantic. VI, 3. Et totus ille exercitus vel assistit vel ministrat in sacramento : ministrat enim Ecclesia et assistit cœlestis curia, ut dæmonum virtus excludatur ne impediat corporis mystici ad caput unionem. Et hæc virtus profluit ab eo de quo dicitur in Psalmo XXIII, 10 : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Et ratione illius dicitur : *Deus sabaoth.* Et hæc omnia dicuntur, ut describatur in Trinitate laudabilitas in operatione sacramenti.

Quod autem subjungitur : *Pleni sunt cæli et terra gloria tua,* causa est laudis inductæ. Et quod dicitur : *Pleni sunt cæli,* non est ab Angelis dictum, sed a patribus, hoc est, a beato Sixto appositum, et a beato Gregorio ordinatum : quia Angeli dixerunt : *Plena est omnis terra gloria tua* [2].

Cœli autem sunt pleni gloria pro beatitudine triumphantium in quorum memoriam sacrificium illud offertur in laudem, ut dicunt Gregorius, Augustinus et Ambrosius. Terra autem pro terrigenis ponitur pro gratia in qua offertur sacrificium in adjutorium militantium, et in cibum : et in terra comprehenduntur, qui sub terra sunt in pœnis, pro quibus offertur in suffragium. Sic enim *Spiritus Domini* qui operatur in sacramento, *replevit orbem terrarum, et hoc quod con-*

[1] Cf. Deuter. IV, 24.

[2] Isa. VI, 3.

tinet omnia, quod nihil aliud est nisi cœlum, quia sicut dicit Damascenus : « Cœlum est continentia visibilium et invisibilium creaturarum, sicut dicitur Sapient. I, 7. Sic, ad Philip. II, 10 et 11 : *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus*, qui oblatus est pro nobis in sacramento, *in gloria est Dei Patris.*

Hæc igitur est laus istius resalutationis, qua ad perfectorem sanctitatis resalutat chorus in aula Ecclesiæ in qua fit sanctitatis perfectio.

Hosanna in excelsis! Hæc est oratio, et sicut dicit Hieronymus in quadam epistola, *Hosanna* verbum Hebræum est, et componitur ex verbo hebræo quod est *osy*, et Latine *salva* interpretatur. Unde in Psalmo XI, 2, dicit littera nostra secundum translationem Septuaginta : *O Domine, salvum me fac*, Hebræus sermo habet *adonai osy*. *Anna* autem quod additur in compositione, est interjectio obsecrantis, et ut exaudiatur signat affectum : et ideo affectum illum ut conceptum exprimentes tantum valet *Hosanna*, quantum *salva*, *obsecro* : et hæc est vox tubæ Dominum ad locum oblationis prosequentis [1]. Ac si dicat Ecclesia : Salus non est nisi in sanguine tuo, sicut dicitur, ad Hebr. IX, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et illud Zachariæ, IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Ex quo salvati sumus per sanguinem et sine sanguine non est salus, obsecramus ut salves in celebratione sacramenti sanguinis, in quo totius relucet operatio Trinitatis, et per quod cœli et terra pleni sunt gratia et gloria tuæ majestatis. Et hæc petitio est ut salvet gratia sanguinis ab omni inquinamento terræ contagionis.

5. Sequitur autem : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, quod est gratiarum actionis, ut sicut eum patres præcedentes adventum, ut Abraham et alii, et sicut concomitantes, ut Apostoli, et sequentes, ut martyres prosecuti sunt diversis temporibus, in una tamen fide ad passionem advenientem, ubi semetipsum hostiam pro omnibus obtulit : ita in eadem fide et gratiarum actione recipiamus et prosequamur venientem in altare offerendum pro nobis omnibus in sacrificium salutis.

Dicimus autem in hac gratiarum actione : *Benedictus*, non quod a nobis benedicatur benedictione eum sacrante, sed quia, sicut dicitur, Deuter. XXXIII, 23 : *Plenus erit benedictionibus Domini.* Et quia, sicut dicitur, Eccli. XLIV, 25 : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum*, scilicet novæ gratiæ, cui numquam aliquid super ordinandum est, in sanguine suo *confirmavit super caput ejus.* Sic enim secundum Apostolum, ad Ephes. I, 3 : *Benedictus est,... qui benedixit nos in omni benedictione spirituali.* Sic enim benedicendo gratias agentes in laude, dicimus sibi bona quæ ipse in nos profluxit. Psal. XLIV, 1 : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.*

Sic benedictum dicimus, *qui venit*, hoc est, quia venit ipse sicut semel se offerendo, ita quotidie oblationem illam in sacramento repræsentando. Psal. LXVII, 20 : *Benedictus Dominus die quotidie! Prosperum iter* (ad salutem per suam oblationem) *faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*

In nomine Domini, hoc est, in notamine Domini, quod nominis divini notam faciet, nos ab infimis exaltando, a paupertate suis copiis relevando, et dominali virtute continendo, ne ad pedestria et scabellaria declinemus.

Et de his quæ *in nomine Domini* continentur, in ante habitis dictum est.

Et subjungitur : *Hosanna*, ut salvet se-

[1] Cf. Joan. XII, 12 et seq.

cunda salute a miseria per gloriam, qui a priori miseria quæ est peccatum, salvavit gratia, sicut dicitur, I Regum, II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum*, etc., *ut sedeat cum principibus, et solum gloriæ teneat*, scilicet in cœlis.

Ideo et nunc ut prius additur : *In excelsis* : quia ista sunt excelsa gloriæ suæ, sicut et illa fuerunt excelsa gratiæ suæ, quæ nullus attingere poterit, nisi per ipsum. Unde Angeli canunt, Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus*, etc.

CAPUT VI.

De his quæ pertinent ad oblationis sanctificationem, ac triplici communione. Et primo, de prima.

1. *Te igitur, clementissime Pater.*

Habitis omnibus his quæ pertinent ad oblationem, ea consequenter adnectenda sunt quæ pertinent ad hujus oblationis sanctificationem. Omnia enim quæ ad oblationem pertinent, in Præfatione conclusionem acceperunt, quæ non recipit variationem, nisi quod aliquando patrocinium illius festi quod agitur, interponitur, in quorum Ecclesiæ festo etiam Angeli ad majorem laudem accinguntur, sicut in festo Nativitatis, Epiphaniæ, Crucis, Resurrectionis, Ascensionis, Spiritus sancti, et sicut beatæ Virginis et Apostolorum, et sicut in tempore quadragesimali : ibi enim specialis gratiæ ostensio specialem commovet ad laudem : et hoc videre in singulis non est difficile.

Et ideo hoc singulorum meditationibus et studiis relinquentes, hujus oblationis sanctificationem pertractamus.

Quia autem supra quatuor partes in Canone esse diximus, jam una habita, secundam incipimus, quæ incipit : *Te igitur, clementissime Pater*. Et habet tres partes, ex quibus et in quibus integre continetur.

In quarum prima per sanctificationem idoneitas efficitur in oblatis, ut in transsubstantiatione eorum sanctitas compleatur. In secunda autem complentia transsubstantiationem panis et vini et confectionem sacramenti perficientia plene ponuntur, ibi, *Qui pridie*. In tertia autem ut in altari perfecta ad ea quæ in conspectu Dei gloriosa sunt, et in cœlum elevata, suppliciter Deus exoratur, manibus Angelorum perferantur, ibi, *Unde et memores nos*.

Adhuc autem in prima harum particularum duo continentur. Primum horum continet omnium istud sacrificium offerentium communionem, et secundum ipsam quam diximus ad idoneitatem munerum oblatorum continet sanctificationem, et incipit ibi, *Hanc igitur oblationem*.

Propter communionem enim hoc sacramentum *communio* sive *sacramentum communionis* vocatur : quia nemo est pertinens ad sacramentum, qui aliquo schismate vel hæresi a communione Ecclesiæ est separatus : sic enim dicit Psalmista, Psal. LXXXIII, 3 et 4 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum*. Passer enim mobile et

inquietum animal sæculares in inquietudine sæculi vagantes signat. Turtur autem casta et simplex et innocens avis clericum significat, et sive sit clericus, sive laicus, extra altaria Domini quæ in unitate Ecclesiæ sunt, offerre aliquid de suo gratum non poterit.

Bonus ordinatio.

Et ideo sic Canon est ordinatus, ut in prima parte supplicationes pro omnibus Deo fiant, ut de unitate et communione sint, quam signat sancta communio, et tunc sic Deo sanctificentur oblati : sacra enim communio in panis substantia quæ vertitur in corpus Christi, ex multis granis frumenti puris sicut panis conficitur, ita unitas Ecclesiæ ex multis fidelibus adunatur, ut unum corpus mysticum efficiatur. I ad Corinth. x, 17 : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus,* etc. : sic calix ex multis fluit uvis unum calicem perficientibus, et sic unitas Ecclesiæ et communio in electis elementis sacramenti designatur.

Et ideo primo de perfectione hujus communionis præmittitur.

2.

De membrorum communione in corpore.

Et sunt tres in corpore membrorum communiones : sunt enim in corpore membra nobilia quæ a Philosophis *officialia* vocantur, quia ex officio bonitates suas influunt in corpus, sicut caput a cerebro, quod est in eo, sensum influit et motum in totum corpus et omnia membra ejus : ideo oportet ea ad caput habere colligationem, et vincula sic ligantia membra ad caput, ut sensum et motum ab eo capiant, vocantur *nervi* a Philosophis. Sic hepar est membrorum principale, quod haustum a stomacho chymum nutrimentalem omnibus ministrat membris per vias quibus ei membra colligantur, quæ vocantur *venæ.* Similiter principale membrorum est cor : quia omnibus influit vitam et pulsum : ideo ei omnia colligantur membra : et viæ quibus ligantur ad cor, vocantur *arteriæ,* per quas fluit vita et pulsus ad ea.

Alia communicatio est membrorum simplicium ad invicem. *Simplicia* dico quæ simpliciter sunt membra, et officia quibus influant super alia, non habent, sicut pes, manus, etc. Hæc enim communicant in corpore : quia pes non sibi soli ambulat, sed omnibus aliis membris. Sic est de oculo, aure, ore, et omnibus aliis membris, quod quodlibet illorum toti subservit corpori.

Tertia communio in corpore est, qua virtutes ejus cœlestibus virtutibus communicant, sine quibus sua non possunt explere officia, sicut calor naturalis in hepate non digereret cibum ad formam membrorum, nisi virtute cœlesti juvaretur, sed potius incineraret cibum et consumeret eum. Similiter calor cordis non esset vivificus, sed potius ustivus et substantiæ destructivus, nisi informaretur cœlesti virtute ad vitam. Similiter spiritus animalis in capite vitam et motum luminis habens, non veheret formas cognitionis ad imaginationem, memoriam et intellectum, nisi communicet et conveniat cum cœlestibus.

Hæ tres communiones sunt præcipue in corpore humano, et ad modum istarum sunt tres in corpore mystico, quorum prima est ex connexione obedientiæ et auctoritatis quam habemus cum nobilibus membris Ecclesiæ, quæ sunt Papa, Patriarchæ, Episcopi, et alii secundum ordinem descendendo inferiores prælati, quorum officio corpori mystico gratia influitur ad sensum spiritualem et motum meritorum et nutrimentum spirituale, quod est in verbo doctrinæ et Eucharistia et similibus. Alia est communio societatis et charitatis, qua fideles sibi communicant, prælationem super se invicem non habentes in charitatis, justitiæ, misericordiæ operibus, et hujusmodi. Tertia est, qua militans Ecclesia tota communicat triumphanti in cœlo, cujus adjutorio innititur et suffragiis adjuvatur, et in cujus gaudio hostiam laudis offert Deo : sic enim dicitur, quod *una est co-*

lumba [1], id est, Ecclesia, sive in cœlo, sive in terra conversetur. Omnis autem qui ad corpus Domini pertinet, esse debet in his communionibus sanctorum. Primam scindunt schismatici et hæretici. Secundam autem per malum exemplum violant falsi Christiani. Ad tertiam autem nullo modo pertinent damnati, et ideo nec tales pertinent ad oblationem sacramenti istius.

Istas tres communiones in quibus offertur sacrificium sacramenti hujus, et extra quas non offertur, beatus Gregorius ordinator Canonis tangit in primis tribus capitulis per ordinem positis. Prima enim tangitur in *Te igitur*. Secunda autem in illo capitulo quod incipit, *Memento, Domine, famulorum*. Tertia autem tangitur in illo quod incipit, *Communicantes*, etc.

In primo horum tria dicuntur : quorum primum est, quod oblatam hostiam Deus acceptet, suppliciter ibi exoratur. Secundo, quod in communione offeratur, ipse perfector sanctitatis profitetur. Tertio, ipse modus illius communionis describitur.

In primo horum adhuc tria dicuntur : in quorum primo quod hostia offertur et orationes porriguntur, exprimitur. In secundo, modus supplicationis innuitur. Et in tertio quid ab eo petatur, exprimitur.

Dicit ergo : *Te igitur*, et continuatur ad *Sanctus* quod est cantatum. Ex quo sanctus est omnis sanctitatis perfector in unitate Trinitatis, et omnis terra et cœlum per hoc sacramentum impletum est gloria tua, *igitur te rogamus :* rationem enim et causam te rogandi dedisti per hoc quod cœlum et terram gloria tua per sacrificium implesti.

Et hoc est quod dicitur :

3. Deus Pater clementissimus.

Te igitur. Oratur autem *clementissimus :* clementia enim est virtus quæ facit præstabilem et condonabilem super malitia quæ commissa est contra ipsum, et hoc in sacramento fit quod pro condonatione peccatorum offertur. Matth. XXVI, 28 : *Qui pro multis effundetur in remissionem*. Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia*. Qui virtute paterna nos formas, affectu paterno dulcissime de nobis cogitas, providentia paterna nos hæredes bonorum tuorum ordinas, disciplina paterna instruens utiliter nos sanctificas : non enim nisi virtute paterna nos format ad imaginem suam, quia nullius virtutis in cœlo vel in terra est proprium formare natum ad imaginem propriam, nisi paternæ virtutis. Isa. LXIV, 8 : *Nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos*. Eccli. XVII, 1 et 2 : *Deus creavit de terra hominem, et ad imaginem suam fecit illum... Et secundum se vestivit illum virtute*. Formamur autem dum invisibili imagini Dei, hoc est, Filio in sacramento unimur et incorporamur, imaginem ejus portantes, ad Coloss. I, 15, *qui est imago Dei invisibilis*.

De formatione nostri ad eum dicitur, I ad Corinth. XV, 49 : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis*. Et supra, ℣. 48 : *Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes*.

De dulcedine autem affectus Patris quam maxime filiis exhibuit in sacramento, dicitur, Sapient. XVI, 20 et 21, ubi sic dicitur de sacramenti istius præparatione : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur*. Unde etiam hic panis dicitur *panis filiorum*, qui non est projiciendus canibus, hoc est, immundis peccatoribus [2].

[1] Cantic. VI, 8.

[2] Matth. XV, 26.

De ordinatione nostri in hæredes, quod in sacramento efficimur, quando corpori ejus incorporamur, et veri hæredes spiritu qui vaporatur de sanguine ejus, potamur, sicut dicit Apostolus, ad Galat. IV, 6 : *Quoniam estis filii*, scilicet Dei, *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater* [1]. Et, ad Roman. VIII, 18 : *Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hoc enim nullo convenientiori modo fieri poterat, quam quod per sacramentum vero incorporamur hæredi.

De disciplina quæ nos instruendo sanctificat dicitur, ad Hebr. XII, 9 et 10 : *Non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus ? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos : hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.* Hanc enim licet multis recipiamus modis, modo sacramenti maxime in quo per spiritum illi unimur, qui numquam recessit a disciplina Patris.

1. *Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum,* sicut per mediatorem et nostri sacerdotii pontificem : quia ut Deus humanatus, mediat, et ideo dicitur *Jesus* : et ut homo deificatus, mediat, et ideo dicitur *Christus* : et manum in te ponit per naturæ quam a te per generationem accepit identitatem, et ideo dicit *Filius tuus* : et manum mediantem in nobis ponit divinitatem, et nobis debitam per naturæ nostræ conformitatem, et ideo dicitur *Dominus noster*, ut sic velut verus et pleno nomine pontifex sit assistens nobis, sicut, dicitur ad Hebr. VIII, 1 et IX, 11.

Te igitur sic per ipsum *supplices rogamus.* Modum tangit orationis in orante quidem, quia dicit *supplices* : in oratione autem, quia dicit, *rogamus ac petimus*, supplices quidem et proni propitiationem tuam. Ad Ephes. III, 14 et 15 : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur.* Et ideo sacerdos in isto modo inclinat quasi pronus ante altare. Isa. II, 11 : *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum : exaltabitur autem Dominus solus.*

Rogamus. Rogatio est inclinatio ejus qui rogatur ab eo qui rogat ad exauditionis consensum. Petitio autem est expressio ejus quod desideratur fieri, ab eo qui exauditurus rogatur. Tob. XII, 4 : *Peto te, pater mi, ut roges*, etc. Ad Philip. IV, 6 : *In omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.*

Uti accepta. Tangitur quod hic a clementissimo Patre petitur, dicens : *Uti accepta habeas*, per acceptationem : quia licet dona ista de frugibus terræ sint, et in ipsis tibi tui fideles offerantur, et quoad hoc indigne videantur tuæ majestati, tamen quod per Filium tuum qui hoc instituit, tibi offertur, petimus ut in honore ejus tibi sit acceptum. Psal. L, 21 : *Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta.* Legis enim oblata numquam tibi fuerunt accepta, sicut dicit Propheta tuus : « Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, » dicit alia translatio [2]. Isa. I, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum ? dicit Dominus. Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui.* Ubi dicit Glossa : Numquam volui.

Ex quo igitur reprobas illa sicut non tibi accepta, petimus ut hæc in quibus nil potest esse nisi acceptum, habeas accepta *per Filium tuum* hoc instituentem, *et benedicas,* benedictionem virtutis tuæ

[1] Cf. ad Roman. VIII, 15.

[2] Vulgata habet, Psal. XXXVII, 7 : *Sacrificium et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi*, etc.

et gratiæ in ea diffundendo, ut idonea sint tanto sacrificio : non enim nostrum est benedicere, sed tuum, et nostrum est te invocare ut benedicas. Numer. VI, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.*

5. Quæ autem sunt quæ petimus benedici, exprimit cum dicit : *Hæc dona, hæc munera,* etc. Id quod offerimus, tripliciter consideratur, scilicet ut ex liberalitate Dei in nos profluens, et sic dicitur *donum :* quia sicut dicit Philosophus, donum est datio irreddibilis. Potest etiam considerari ut a nobis acceptum, et sic dicitur *munus,* quia donum dantis est datum, munus autem accipientis. Ad Ephes. IV, 8 : *Dona dedit hominibus.* Esther, II, 18 : *Largitus est munera juxta magnificentiam principalem. Sacrificium* autem dicitur secundum quod a nobis Deo est oblatum, et a Deo sacratum. Psal. LIII, 8 : *Voluntarie sacrificabo tibi.* Oblata autem ad altare, dona Dei sunt, sicut dicit David, I Paralip. XXIX, 14 : *Quod de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Nec offerri possunt nisi dona Dei : quia injuste acquisita et turpia lucra offerri non possunt, ut in ante habitis dictum est. Nec offerri possunt nisi vestra essent munera : quia munera sunt voluntaria, et hæc reponi possunt in Dei donaria et non alia. Psal. XLIV, 13 : *Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Filiæ Tyri sunt animæ in angustiis hujus sæculi, et in labore, vel acquirentes vel possidentes ea quæ Domino debent offerri. Matth. II, 2 : *Venimus,* scilicet cum muneribus, *adorare eum.* Sicut igitur ex hoc quod dona Dei sunt oblata, sunt bona : et ex hoc quod munera, sunt voluntaria et devota : et ex hoc quod sacrificia, sunt sancta.

Filius Dei donum, munus et sacrificium.

Sic etiam Filius Dei qui oratur venire in ipsa dona et munera et sacrificia, dicitur donum Patris, et est nobis datus. Isa. IX, 6 : *Filius datus est nobis.* Ad Roman. VIII, 32 : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex hoc autem quod seipsum obtulit, est munus. Isa. LIII, 12 : *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit,* scilicet ut non perirent. Et ibidem, ℣. 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* In eo autem quod a se et a pontificibus ad crucem oblatus est, sacrificium est, quod et Pilatus confessus est, dicens : *Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi* [1], supple, ad crucifigendum.

Sic igitur et offerentes et oblata et ille qui in eo offerendus Patri signatur, sunt dona et munera et sacrificia. Crux autem fit super quodlibet istorum : quia in virtute crucis sanctificationis virtus procedere intelligitur a perfectore sanctitatis, qui loco Dei stat ad aram, in totum oblatum, sive sit signum, ut panis et vinum, sive sit significatum, sicut ex voto in oblatis suis offerentes ea accipiuntur, sive sit is qui sacramentaliter ibi offerendus supplicatur. Et istæ cruces tres similiter, propter triplicem differentiam quæ dicta est. Et quod quidam dicunt, quod sint propter Christi illusiones, quibus coram Pontificibus et coram Herode et coram Pilato illusus legitur, est derisio : quia de hoc nulla fit mentio in littera.

6. Sacrificia autem dicuntur *sancta* : quia sunt virtute propria sanctificantia, non a sanctitate vacua, sicut Veteris Testamenti sacrificia, nec sunt immunde cruore pecorum fœdata, et ideo omni sanctitate munda, sicut talia quæ debent esse deitatis summæ vasa deitatem continentia. Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Unde sacerdos Abimelech, I Regum, XXI, 4, dixit ad David in figura hujus sacrificii : *Non habeo panes laicos ad manducandum, sed tan-*

[1] Joan. XVIII, 35.

tum panem sanctum. Laicus enim panis communis panis est, qui sacerdotibus in sacrificio non committitur, sed panis Deo sanctificatus et sanctis ministrandus.

Dicuntur etiam *illibata*, hoc est, non degustata : quia libare idem est quod degustare, et ideo *illibata* dicuntur, quia ad usum humanum non sunt adhibita, ne aliquam contagionem contraherent manibus vel gustu libantium ea. Hoc autem non videtur competere : quia, Numer. XXIX, 11 et seq., præcipiuntur fieri libatoria vascula quibus libentur quædam sacrificia [1], ut sint digna ad ea Deo offerenda : et ex hoc forte videtur alicui, quod etiam ista essent ante libanda. Ad hoc dicendum est, quod libatoria fiunt ad ea libanda in quibus suspicio est corruptionis et contagionis, quod non est in sacrificio novæ gratiæ : quia illo omni puritate munda nullam habent suspicionem contagionis et maculæ, præcipue quantum ad eum qui oratur venire ut in sacrificium offeratur : et ideo libatoria essent hic nociva, quia suspicionem inducerent alicujus contagionis : et ideo in Veteri Testamento de sacrificio illibato nihil invenitur, quia nullum fuit illibatum, sed per simile dicitur de agno, Exod. XII, 5, quod *erit masculus, anniculus, absque macula.* Et ideo dicit Petrus, I Petri, I, 19 : *Pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.*

De speciebus autem istis oblatis, hoc est, frumento et vino, dicitur, Zachar. IX, 15 et seq. : *Bibentes inebriabuntur quasi vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Hæc enim de sacramento altaris intelliguntur : quia bibentes Domini calicem, inebriantur ad oblivionem sui et terrenorum, quasi vino quod Deum lætificat et homines, et isto calice implentur devotione ut quædam phialæ spirituales, quorum intima sanguis Domini infundit, et sic omni replet devotionis odoramento : et his sanctificati et confortati sacramentis efficiuntur cornua altaris ad ventilandum omne quod Deo non militat. Et sic salute sacramenti salvabit eos Dominus Deus eorum in die novæ gratiæ : quia tunc sol clare fulget ad tenebrarum purgationem. Salvabit autem sicut peculiarem gregem populi sui, cui de seipso pabulum præparavit : lapides enim sancti, hoc est, ministri Novi Testamenti, solidi et vivi et pretiosi tunc elevantur in dignitatem super terram Ecclesiæ, quibus dignitatis merito perpetuæ sanctitatis sacramenta committuntur. Et hanc refectionem in illibato sacrificio determinat, dicens : *Quid enim bonum ejus est?* bonum, inquam, omnis boni quod omnia bonificat, sine quo nihil bonum est. *Et quid pulchrum ejus,* quod omnia mundat, et omnia pulchrificat, *nisi frumentum,* quo toto amore fruendum est, et cui soli inhærendum est? *Electorum* autem qui a massa perditionis per gratiam vocationis et electionis divinæ separati sunt, qui *electi sunt ante mundi constitutionem,* ut dicitur, ad Ephes. I, 4, *in ipso,* de quo dicitur, Cantic. V, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Hoc autem frumentum illibatum sacrificium est quod ad gustum vel ad usum alieni a Deo numquam libatum fuit. Apocal. II, 17 : *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Sanguis autem Christi est *vinum germinans virgines,* hoc est, virgineas mentes : et has tam virgineas non germinaret omni germine virtutis, nisi et ipsum esset virgineum : et ideo penitus illibatum.

[1] Cf. I Machab. I, 23.

7. *In primis quæ tibi offerimus*, etc. Tangit hic communionem primam in qua offerendum est sacrificium. Et hoc quod dicit : *In primis*, notat ordinem communionis ad alias communiones. Prima enim inter illas est secundum quam distillat unguentum a capite in barbam et per barbam in oram vestimenti et totius Ecclesiæ fimbrias.

Hanc autem communionem tangit sub triplici doctrina, scilicet generalitatis, sublimitatis, et ordinabilitatis.

Dicit ergo : *In primis* : quia ista communio est prima in corpore mystico : et ideo secundum ordinem charitatis *in primis* est pro ea et in ea offerendum. Cantic. II, 4 : *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* I ad Timoth. II, 1 et seq. : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus : pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt*, scilicet constituti : *ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est, et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

Quæ tibi offerimus : non enim offerimus nisi tibi : quia tibi soli clementissimo Patri est offerendum. Exod. XX, 5 : *Non adorabis ea*, scilicet idola, *neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus.*

Offerimus, hoc est, ad te porrigentes et elevantes ferimus, ut sicut diximus : *Sursum corda, habemus ad Dominum :* ita nos ad te extendentes elevamus oblationem, cordium elevatione et manuum protensione, ad te, Domine, clementissime Pater. Levit. IX, 21 : *Pectora eorum, et armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino.* Pectora quidem pro cordis elevatione, armos autem dextros pro operis perfectione, elevans per intentionem et devotionem coram Domino. Sic enim et Moyses extensis in cœlum brachiis [1] stabat coram Domino cum pugnaret Israel contra Amalec : sustentabant autem brachia ejus Aaron et Hur : quia virtus orationis in una parte vice Aaron elevat, et charitas in altera levat vice Hur : et sic vincit in oratione perfectorem sanctitatis populus Dei.

8. *Pro Ecclesia tua sancta*, etc.

Hic generaliter exprimitur ista prima communio : quia nulla communio est extra Ecclesiam : Græco enim nomine *Ecclesia*, etiam Latino nomine dicitur *convocatio* : et quia voces et convocationes sunt rationabilium tantum animalium, et inter homines rationales non sunt nisi fideles verbum rationabile fidei audientes et intus percipientes, ideo dicitur Ecclesia congregatio fidelium. Aliorum dicitur esse synagoga, quæ sonat conductionem : et quia irrationabilia alieno tractu ducuntur se invicem, ideo synagoga est in his qui irrationabiliter conveniunt. Apocal. III, 9 : *Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur.* Unde conventus hæreticorum et schismaticorum et peccatorum in Ecclesia non sunt. Eccli. XXI, 10 : *Stuppa collecta synagoga peccantium.* Psal. XV, 4 : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus.* De Ecclesia autem dicitur, Psal. XXXIV, 18 : *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Populus enim Ecclesiæ dicitur esse *gravis* maturitate virtutis : et illi sunt qui soli rationem colunt, et rationabiles Dei voces intelligunt, et audiunt vocationem ipsius.

Hæc Ecclesia dicitur *sancta* : quia Spiritu sancto sanctificata, sicut in ante habitis in expositione Symboli dictum est [2]. I Petri, II, 9 : *Vos gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos*

[1] Cf. Exod. XVII, 11 et 12.

[2] Cf. supra, Tract. II, cap. 9 ad artic. IX.

vocavit in admirabile lumen suum.

Dicitur *Catholica* : quia generaliter principia ejus sunt vera absque instantia, et quia ubique terrarum diffusa et diffundenda sunt, ut in ante habitis dictum est. Unde ipsa Ecclesia clamat dicens : *A finibus terræ ad te clamavi* [1]. Isa. XXIV, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.*

9. In hujus igitur Ecclesiæ communione rogamus dicentes, *quam*, scilicet Ecclesiam, *pacificare*, hoc est, in triplici pace ponere, scilicet temporis, pectoris, et æternitatis custodire a malo incurrente et in bono ad utramque vitam conferente. Psal. XVI, 8 : *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi : sub umbra alarum tuarum protege me.* Pupilla enim custoditur, ne aliquid incidat quod turbet : et custoditur in visus sui limpiditate, ut virtutem propriam non amittat. Umbra autem protectio Domini est sub alis veritatis et virtutis suæ, ut veritate illuminemur, et virtute ad bonum perficiamur.

Adunare, hoc est, ad unum redigere. Hoc, inquam, unum quod est commune per omnem ordinem graduum Ecclesiæ, quo ad unum caput ordinatur in cœlis quod est Deus, et in terra quod est Dei vicarius. Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Psal. CX, 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione.* Hæc enim congregatio et adunatio in cœlo præfulget, in naturis ostenditur, in operibus Christi exemplificatur, in divinis legibus præcipitur, et in toto Christi corpore mystico observatur. In cœlis enim Angeli ad Archangelos, Archangeli ad Principatus, Principatus ad Potestates, Potestates ad Virtutes, et Virtutes ad Dominationes, et Dominationes ad Thronos, et Throni ad Seraphim, et Seraphim ad Cherubim, et Cherubim secundum obedientiæ et illuminationis ordinem ordinati ordinantur. Et ipsa multitudo Angelorum quæ in quolibet est agmine, ad unam personam quæ in quolibet ordine præeminet, adunatur : et ideo *ordo cœli* vocatur, quia omnis ordo est relatio multorum in gradibus differentium ad unum. Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et rationem ejus pones in terra ?* Hoc in naturis ostenditur, ubi multi ramusculi ad virgas, ubi multæ virgæ ad ramum, ubi multi rami ad stipitem unum, ubi multi stipites ad unam radicem infiguntur, ut omnia fiant socia et participia succi qui est in radice. Ad Roman. XI, 17 : *Socius radicis et pinguedinis olivæ factus es.* Sic multæ grues unam sequuntur ordine litterato. Sic multa membra in corpore uno unius capitis percipiunt beneficium. Ad Roman. XII, 4 et 5 : *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo.* In Christi operibus hæc adunatio exemplificatur : quia Christi opus est semper in unum colligere dispersa, diaboli autem opus est ordinata dividere et dispergere. Hoc est quod dicitur, Joan. X, 11 : *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Matth. XII, 30 : *Qui non est mecum, contra me est : et qui non congregat mecum, spargit.* Hoc præcipitur in legibus divinis : quia sicut dicit beatus Dionysius : « Lex divinitatis est per prima media, et per media ultima reducere. » Talis autem reductio ultimorum ad media et mediorum ad prima non potest esse nisi in ordine ad unum primum. Sic igitur divinitatis lex sicut est descensus illuminationum et charismatum ab uno, sic reductio est ad unum : hæc enim lex sicut superiora movet et ligat ad inferiorum providentiam et curam, ita inferiora ligat ad superiorum obedientiam, ut omnia hoc modo sint connexa. Psal. XLVII, 14 : *Distribuite gradus* [2] *ejus, ut enarretis*

[1] Psal. LX, 3.

[2] Vulgata habet *domos*.

in progenie altera. Daniel. x, 11 : *Sta in gradu tuo.* Sic enim *octo gradibus* ascenditur ad divinitatis templum et culturam, ut dicitur, Ezechiel. XL, 49, Papatu scilicet, Patriarchatu, Primatu, Archiepiscopatu, Episcopatu, Abbatu, reverentia, præpositura, decanatu, cura parochiali : curam enim archidiaconorum sub *præpositura* comprehendimus. Hoc enim in toto Christi mystico corpore, quod est Ecclesia, observatur, in quo omnia ad unum rediguntur quæ Petri clavibus committuntur. Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum est in cœlis.* Et supra, ỳ. 18 : *Et portæ inferi non prævalabunt adversus eam.* Ecce cœlum imminet clavibus : quia *claves cœli* dicuntur. Terra clavibus subjicitur : et quidquid in terris ligant vel solvunt, coram Deo ligatum vel solutum reputatur. Infernus comprehenditur in potestate : quia non prævalet tenere quem clavis eruere vult de inferno. Hæc clavis uni committitur, ut plenitudo potestatis in uno ostendatur, et in alios ab illo secundum partem sollicitudinis in quam vocantur, committatur. Isa. XXII, 22 et seq. : *Dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris sui. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus.* Paxillus autem dicitur, eo quod imminet sibi totum Ecclesiæ tabernaculum. Gloria autem non esset tota suspensa in eum, nisi dispositione et patrocinio et regimine haberet omnem gloriam Ecclesiæ, quæ est domus Dei patris sui. Et quid diu loquar, Trinitas ipsa hanc custodit adunationem, in qua Pater ordine naturæ principium est totius divinitatis, Filius a Patre solo per generationem omnia accepit, et accepit Spiritus sanctus a Patre et Filio omnia per communem Patris et Filii spirationem.

Hac igitur adunatione petimus, o Pater, ut adunare velis Ecclesiam, *et regere.* Regere est regulis et principiis legalibus et canonicis unumquemque in explanationem sui officii dirigere. Psal. XLIV, 7 : *Virga directionis, virga regni tui.* In virga significatur regiminis potestas, in virgæ autem rectitudine signantur præcepta et principia legalia quibus regendum est : unde, Exod. IV, 17, dicitur, cum Dominus mitteret Moysen ad regendum populum, dixit : *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* 10.

Hæc igitur quatuor quæ oramus sic diversificantur, ut duo sint secundum recessum a malo, et duo secundum ordinem ad bonum.

Secundum recessum a malo dupliciter. Est enim malum Ecclesiæ extrinsecus illatum impugnans, et est malum intrinsecus surgens et bonum adimens. Contra malum quidem extrinsecus impugnans Ecclesiæ tranquillitatem, petimus pacificationem. Esther, XIII, 2 : *Ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.* Contra malum autem a nobis factum, bonum Ecclesiæ adimens, petentes dicimus, *custodire.* Hoc autem malum est peccatum, a quo nos custodiri per gratiam oramus : quia *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* [1]. Sapient. X, 12 : *Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum.*

Alia autem duo sunt in ordine ad bonum, quod dupliciter accipitur, scilicet in participatione boni Ecclesiæ, vel perfectione boni personæ. Et ut percipiamus bonum Ecclesiæ, dicimus, *adunare* : quia bonum Ecclesiæ non perci-

[1] Psal. CXXVI, 1.

cipitur nisi in adunatione cum membris Ecclesiæ. Psal. CXVIII, 63 : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* In perfectione autem boni personæ indigemus divino regimine, ut congrue et recte tendamus in bonum proprium unicuique personæ : et ideo dicimus, *regere.* Apocal. VII, 17 : *Agnus qui in medio throni est reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Hæc autem omnia secundum ordinem a capite descendunt in corpus : quia pacificatio Ecclesiæ est in prælatis sicut ab incursu malorum præservantibus Ecclesiam. Et ideo sicut murum se debent ponere pro Ecclesia, et suscipere in se ictus et insultus hostium, sicut dicitur, Joan. X, 11 : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Et ideo Dominus improperat quibusdam, Ezechiel. XIII, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Similiter ad prælatos refertur custodia : quia ipsi sunt custodes Ecclesiæ, sicut dicitur, Isa. LXII, 6 : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte non tacebunt.* Adunatio etiam est in ipsis : quia ab ipsis profluunt charismata quibus adunamur : unde, ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Regnum autem totum est in manibus eorum. Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Sic igitur primam communionem significantes dicimus : *Quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris* : quia suæ dignationis est quod facit et non nostri meriti. Psal. CXIII, 9 : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Toto orbe terrarum : quia sicut diximus, Ecclesia vel diffusa vel diffundenda est in toto orbe terrarum, sicut vocata est de omnibus finibus terrarum. Et hoc significatur, Act. II, 5, quod cum omnium linguis inciperent prædicare Apostoli, erant in Jerusalem habitantes viri Dei ex omni natione quæ sub cœlo est. Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Act. I, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

Una cum famulo tuo Papa nostro N., etc. 12.

Tangit membra officialia a quibus principaliter hæc profluit unitas. Et hoc est quod dicit : *Una.* Et est adverbium quod idem est quod *simul*, et notat associationem capitis cum corpore. Dicitur autem *famulus* : quia ad Ecclesiasticum hujus sacrificii pertinet famulatum. *Papa* autem dicitur : quia est pater patrum, et successor Petri, vicarius Jesu Christi. *Noster* autem dicitur : quia per ipsum nobis hæc influitur communio : et ideo non valet oblatio si ab unione ordinis et obedientiæ ad Papam scindatur vel separetur. Unde Leo Magnus Papa : « Sicut divinæ religionis cultum quem in omnes gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis salvator instituit, ut hujus numinis sacramentum et beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, et ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret hic esse qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium divinæ unitatis assumptum id quod ipse erat voluit nominare dicendo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* [1]. » Et ideo Papæ nomen sicut ab eo a quo hæc profluit Ecclesiæ unitatis communio, est hic exprimendum. Unde Pelagius Papa dicit : « Ab universi orbis commu-

[1] Matth. XVI, 18.

nione separati sunt, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis nomen secundum consuetudinem non frequentant ».

Et antitiste nostro N. Secundo gradu : quia antistes noster est quasi canalis per quem in nos a primo capite Papa communio descendit unitatis, sicut unguentum primo descendit a capite in barbam quæ capiti adhæret, et a barba stillat in superiora, et a superioribus in media, et fluit usque in oram et fimbriam vestimenti [1]. Papa enim et Episcopi quamvis super homines sint constituti, et in hoc sint loco perfectoris sanctitatis, tamen et ipsi homines sunt et fragiles : et ideo indigent ut oretur pro ipsis, et magis etiam indigent quam alii : quia quanto plus innititur eis Ecclesia, tanto indigent majori adjutorio gratiæ : quia plus eis quam aliis diabolus insidiatur. Unde, Thren, I, 5 : *Facti sunt hostes ejus in capite, et inimici ejus locupletati sunt.*

Et rege nostro N. Hic etiam in exterioribus defendendis et regendis unitati pacis et communionis Ecclesiæ subministrat, et fluit ab eo in nos rectitudo justitiæ et pacis. Unde sanctum Jeremiam invenimus scripsisse per manum Baruch notarii sui. Sic dicit Baruch, I, 11 : *Orate pro vita Nabuchodonosor, regis Babyloniæ, et pro vita Balthassar, filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cæli.* Inde etiam Dominus, Luc. XXII, 38, cum diceretur. *Ecce duo gladii hic,* dixit : *Satis est.* Quia feritas quorumdam sæviens in Ecclesia, comprimenda est gladio materiali : aliorum contumacia se unitati Ecclesiæ objiciens, gladio spirituali est ferienda. Et ideo pro personis illis quibus usus gladiorum Dei est commissus, quia continent Ecclesiæ unitatem, specialiter est orandum, sicut supra in auctoritate Apostoli ad Timotheum est ostensum.

His autem sicut membra simplicia adjunguntur omnes cum dicitur : *Et omnibus orthodoxis.* Orthodoxum dicitur a Græco ὄρθον quod est rectum, et δοξά quod est doctrinalis regula, hoc est, qui rectam et sanam tenent fidei doctrinam, sicut dicitur, ad Galat. VI, 16 : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia , et super Israel Dei.*

Aque catholicæ et apostolicæ fidei, hoc est, universalis et ab Apostolis fundatæ fidei, cujus symbolum exposuimus, *cultoribus.* Cultus autem est servitus Deo et tali fidei debita, quæ servitus θεοσηβεία vel εὐσηβεία vocatur, hoc est, Dei servitus vel bona servitus, qui cultus sacrificiis in oratione et bonis exhibetur operibus, ut in ante habitis diximus. Omnes enim talis fidei cultores sunt in civitate Ecclesiæ, hoc est, Ecclesiasticorum civium unitate : et ideo orandum est in oblatione sacramenti pro ipsis. Jerem. XXIX, 7 : *Quærite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.*

Hanc quam exposuimus orationem, quidam dicunt a Pelagio Papa factam, quæ aliquando sola et nulla alia confectioni sacramenti præmittebatur : quia beatus Petrus Antiochiæ primam dicens Missam, dicitur non nisi tres in Missa dixisse orationes : ante confectionem, unam, et eam quam dixit in confectione, et Dominicam orationem post sacramenti confectionem. Quidam autem dicunt, quod eam fecit beatus Gregorius.

[1] Cf. Psal. CXXXII, 2.

CAPUT VII.

De communione secunda.

Memento, Domine, etc.

Tangitur hic secunda communio corporis mystici, qua quodlibet membrum cuilibet membro suo communicat actiones et utilitates.

Tanguntur autem hic tria : quorum primum est pro quibus et qualibus hic oratur. Secundum, quid pro eis petitur. Tertium, quid ad exaudiendum allegatur.

In primo autem horum duo ponuntur, scilicet pro quibus oratur, et pro qualibus.

In primo duo facit, scilicet memoriam specialem, et memoriam communem.

Dicit ergo : *Memento, Domine*, non quod Deus umquam alicujus obliviscatur, sed quod in nobis est per passionem, attribuimus Deo per effectum. In nobis quidem memoria est reflexiva potentia, quæ prius notum per reditum notitiæ ad ipsum stare facit ante oculos cordis ac si esset præsens, quia imaginem præteriti reducit ad notitiam. Et hoc modo Deus non meminit : quia non habet naturam compositam ab huc illuc reflexam, et ab inde huc, cum omnia sibi sunt præsentia : sed potius cum aliquando effectum gratiæ alicui non apponat, videtur Deus illius esse oblitus : et cum postmodum iterum gratiam dat, videtur notitiam beneplaciti convertisse ad illum : et sic dicimus, quod memoretur. Isa xxxviii, 3 : *Obsecro, Domine, memento, quæso, quod ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Psal. cv, 4 : *Memento, Domine, in beneplacito populi nostri, vivifica nos in salutari tuo.* Aliter quam diximus Deus nec oblisvicitur nec meminit. Unde, Job, x, 13 : *Licet hæc celes in corde tuo, scio tamen quia universorum memineris.* Hoc igitur modo per appositionem gratiæ *memento, Domine*, qui dives es in misericordia, et omnis gratiæ locuples possessor.

Famulorum, de quibus propter dignitatem sexus prius est memoria. *Famularumque tuarum*, quia aliter nisi per famulatum cultus divini ad Ecclesiæ unitatem non referuntur.

N. Hic nominandi sunt vivi, maxime tamen et primo loco qui oblationes suas ad altaria tulerunt, et in hoc famulos se esse agnoscunt. Unde cum peteret Salomon mitti sibi sapientiam a sede magnitudinis divinæ, ut secum esset et secum laboraret, per quam sciret quid acceptum esset coram Deo omni tempore, stans statim famulatum subjunxit, Sap. ix, 5, dicens : *Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ*, scilicet Ecclesiæ per quam natus sum ad tua obsequia. Et David in Psalmo cxv, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.*

Postea in communi vivorum memoria subjungitur : *Et omnium circumstantium*, et jam seipsos sacrificio exhibentium, ut ipsi sacrificio immixti tibi offerantur. Ad Roman. xii, 1 : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem,* 2.

sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Quales autem sunt qui in memoria oblationis habentur, subjungit dicens : *Quorum tibi fides cognita est,* per quam in unitatem sacramenti recipiuntur : quia fides operans per dilectionem purificat eos, ut tibi in oblatione ista quæ in puritate sua puritatem mystici corporis importat, offerantur. Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Fides enim quæ veritati innititur, unit eos veritatis sacramento. Charitas autem per quam fides operatur, perficit eos ad sacramenti virtutem, ut sic veritate et virtute tibi uniti sint per intellectum et affectum. Hæc enim fides tibi cognita est per approbationem. II ad Timoth. II, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Joan. x, 14 : *Cognosco meas,* scilicet oves, *et cognoscunt me meæ.*

Et nota devotio : quam devotionem ostenderunt se et sua offerendo. Psal. LXV, 13 et 14 : *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.* Devotio enim est fervor cordis, ut dicit Ambrosius, quo propria voluntate se vel sua Deo promittit. Et ex hoc patet, quod specialiter pro istis quæ offeruntur, oratur.

Unde sequitur : *Pro quibus tibi offerimus.* Hoc respondet illi quod dixerat : *Quorum tibi fides cognita est* : quia illi non nisi fide referuntur ad munus quod offertur a sacerdote : sacerdos enim ut perfector sanctitatis offert pro populo et pro se, sicut dicitur, ad Hebr. v, 3 : *Propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Quod autem dicit : *Offerimus,* notat unitatem corporis mystici, quæ in tota multitudine fidelium et cleri totius servitute offert hostiam salutarem.

3. Quod autem sequitur : *Vel qui tibi offerunt,* respondet ad hoc quod dixit : *Nota devotio* : speciali enim voto offerunt illi qui se et sua deferunt ad altare. Et ideo etiam specialiter illi in altaris oblatione continentur et offeruntur : quia sicut sacerdos offert mysteriis, ita illi offerunt spirituali voto : et ideo illorum specialis est recordatio. Unde Innocentius secundus in quadam sua ostendit epistola ad sacerdotem quemdam missa, qui consultationem faciebat, pro quibus esset in oblatione Missæ memoria facienda. Dicit autem sic : « Superfluum est ut cujus hostiam necdum offeras, ejus ante nomen insinues, licet illi incognitum nihil sit. Prius ergo oblationes commendandæ sunt, ac tunc eorum nomina quorum ipsæ sunt oblationes, edicenda, et inter sacra mysteria nominentur, ut inter illa quæ præmittimus in ipsis mysteriis, viam futuris precibus aperiamus. » Fit ergo hæc oratio specialiter pro offerentibus, et consequenter pro aliis : et ideo monendus est populus ut offerat : quia per oblationes speciali voto hostiæ conjungitur, qui offertur : ipse hostiam offert voto, quam sacerdos offert mysterio. Hoc est ergo quod dicit : *Vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis. Sacrificium* autem dicitur, quia sacros facit : *laudis* autem dicitur, quia nihil est in eo nisi quod est laudis et pulchritudinis et honoris. Psal. XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me : et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Iter enim ad salutem per nullum umquam fuit sacrificium nisi per istud.

Quid autem his in sacrificio per nomina recitatis oratur, aperitur cum subditur : *Pro se,* etc. Q

Dicit autem tria, scilicet personas cum personis adhærentibus, et quod pertinet ad partem personnæ quæ est anima, et quod pertinet ad partem personæ quæ est corpus.

De primo dicit : *Pro se* : quia offerimus, et ipsi offerunt pro se : quia unicuique in ordine dilectionis principalitas conceditur. III Regum, XVII, 13 : *Fac mihi primum de farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me : tibi autem et filio tuo facies postea.*

Suisque omnibus. Sunt personæ adhærentia, sicut amici conjuncti sanguine et beneficio, et bona temporalia quæ in adminiculum vitæ sunt concessa : quamvis enim Dominus dicat : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* [1] : tamen temporalia prout sunt in Dei servitio sustentantia et adminicula ad virtutem, quæri possunt. Et sic dicit Salomon in Proverbiis, xxx, 8 : *Tribue victui meo necessaria.* Sic igitur oramus hic pro amicis et rebus ad servitium Dei necessariis, sicut Centurio rogavit pro servo, Matth. VIII, 6, et commendatus est. Sic et patriarcha Jacob, Genes. XXVIII, 20 et 21, oravit pro necessariis, quando dixit : *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Sic Dominus docuit orare, Matth. VI, 11, dicens : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Pro redemptione animarum suarum, hoc est, quo indigemus secundum animam. Redemptio enim animæ est per gratiam et virtutes a peccato, per sanguinem autem Christi ab originali debito, et per beatitudinem est ab his miseriis quæ causantur ab isto in quo sumus exsilio et corporis ergastulo.

Et de prima redemptione dicitur in Psalmo LXXI, 14: *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.* Usuræ enim excrescentes sunt cumulata peccata post primam diaboli deceptionem, a quibus usuris et iniquitate Deus redimit per gratiam et virtutum collationem. Sic enim secundum sapientem redemptio animæ viri est propriæ divitiæ virtutum. Sic redemit se uxor prophetæ a creditoribus per olei in vasa vacua infusionem et multiplicationem [2].

De secunda redemptione dicitur in Psalmo CXXIX, 7 : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Psal. XLVIII, 16 : *Verumtamen Deus redimet animam meam de inferno, cum acceperit me.*

De tertia redemptione dicitur, Isa. XXXV, 9 et 10 : *Ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.*

Pro spe salutis, etc. Hoc pertinet ad corpus : et duo petuntur : pro infirmis enim offertur pro spe salutis, et pro sanis offertur pro spe incolumitatis eorum. Sanitatem infirmis petimus, ut fortiores sint in Dei servitio, sicut et Dominus in corpore multos sanavit. Sanitas autem illa proprie *salus* vocatur, quando ex infirmitate et animæ et corporis separat salutem, sicut, Joan. V, 14 : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Psal. CII, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas,* etc. Est etiam quædam spes salutis evadendi machinationes inimicorum, sicut in Psalmo XXI, 22, dicitur : *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Daniel. XIII, 62 : *Salvatus est sanguis innoxius in die illa.* De his simul dicitur : *Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus* [3].

Et incolumitatis suæ. Incolumitas dicitur perfectæ sanitatis integritas : et hanc petimus pro sanis in sacrificii istius oblatione, quia nisi Deus conservet, sanitas non stabit : quia super fundamen-

[1] Matth. VI, 33.

[2] Cf. IV Regum, IV, 1 et seq.

[3] Psal. XL, 3 et 4.

tum debile est ædificata, quod est continua pugna calidi et frigidi, et humidi et sicci, levis et gravis, duri et mollis, et aliarum contrarietatum quæ sunt in corpore. Et hoc petitur in Psalmo xv, 1 : *Conserva me, Domine, quoniam ego speravi in te.* Et iterum, Psal. lxx, 9 : *Ne projicias me in tempore senectutis, et cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Sapient. xvi, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos : sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.*

5. *Tibi reddunt vota sua.*

Quid ad exauditionem alie-gatur ?

Tangit rationem exauditionis : quia tibi reddunt vota sua, quæ voto proprio et non obligatione alicujus necessitatis in se et in suis obtulerunt ad altare. Psal. lxxv, 12 : *Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus offertis munera.* Quia sicut dicitur, Proverb. xx, 25 : *Ruina est hominis devotare sanctos, et post vota retractare.* Unde dicit Augustinus, quod vovere est voluntatis, reddere necessitatis. Vota ergo quibus se devotaverunt, ad sanctum reddunt altare.

Æterno Deo vivo et vero. Sunt enim dii participatione divinæ potestatis : dii facti sicut Moysi dictum est, Exod. vii, 1 : *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Et in Psalmo lxxxi, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Et isti sunt veri et vivi, et non æterni : unde de his in Psalmo lxxxi, 7, dicitur : *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* Joan. x, 35 : *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.*

Sunt etiam dii qui divinitatis gloriam usurpant, sicut dæmones : et ideo dicitur, Matth. iv, 9, ad Christum : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, supple, ut Deum. Unde eidem respondit Dominus : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Psal, xcv, 5 : *Omnes dii gentium dæmonia*, et illi sunt æterni quoad finis carentiam, et sunt vivi, sed non veri.

Sunt etiam dii sola nuncupatione, ut idola lignea et lapidea et metallica. Osee, xiv, 4 : *Non dicemus ultra : Dii nostri opera manuum nostrarum.* Et isti dii nec æterni, nec vivi, nec veri sunt.

Ad exclusionem enim omnium istorum dicitur : *Æterno Deo vivo et vero*, de cujus æternitate dicitur, I ad Timoth. vi, 16 : *Qui solus habet immortalitatem.* Quia sicut ibidem dicit Glossa : « Vera immortalitas est vera æternitas et incommutabilitas. » De vita dicitur, III Regum, xvii, 1 : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.* De veritate, Joan. iii, 33 : *Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est.*

Hæc est igitur secunda communio.

CAPUT VIII.

De communione tertia.

1. *Communicantes*, etc.

Tertia hic tangitur communio. Et dicuntur in ea tria : modus scilicet communionis, et ad quos est ipsa communio, et qualiter hæc communio descendat a beatis in Ecclesiam militantem.

Dicitur igitur : *Communicantes.* Occultior est ista communio quam duæ

præcedentes : et ideo in voce præmittitur qualiter sanctis in patria in sacramento altaris communicamus : quia quod illi percipiunt in rei veritate, nos frequentamus in sacramentali specie. Communio enim est perceptio unius et ejusdem, in quo uniuntur quæ communicant, quamvis diversimode illud unum participant. Sic enim in symbolo dicimus : « Credo sanctorum communionem. » Ad Hebr. XIII, 16 : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus.* Act. II, 42, de fide conversoris dicitur : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.*

Non enim est ista communio terræ tantum, sed etiam cœlo communicamus in ea : et ideo addimus : *Et memoriam venerantes.* Veneranda est enim memoria sanctorum a quibus dum viverent, istam accepimus communionem, et quorum patrociniis stamus in ea : hoc enim non novum est, quia, Exod. XXXII, 13, etiam Moyses patrum memoriam coram Deo allegavit, ut averteret iram ipsius, dicens : *Recordare Abraham, Isaac, et Israel.* Et post pauca sequitur, ℣. 14 : *Et placatus est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.* Similiter, III Regum, XI, 12 et 13, sic Dominus loquebatur ad Salomonem : *In diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum : de manu filii tui scindam illud,* scilicet regnum tuum. *Nec totum regnum tuum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, et Jerusalem quam elegi.* Hac igitur freta auctoritate Ecclesia charissimos Deo martyres et Apostolos ponit in sanctæ communionis supplicatione. Dicit enim Apostolus, ad Roman. IX, 8 : *Qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.*

In primis, quæ merito semper prima ponitur : quia per secundum propitiatorium designatur, Exod. XXVII, 34, in quo Deus corporaliter apparuit ut propitiaretur, et in quod omnes Angeli versis vultibus respiciunt, ut ab ipsa accipiant splendoris illuminationem, quæ duas habet excellentias. Quarum unam tangit dicens : *Gloriosæ semper virginis Mariæ.* Gloriosa autem est : quia sic tóta mente et corpore virgo fuit, ut sola illibata ab omni concupiscentia : et pro ea dicitur, Tob. III, 16 et 17 : *Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui. Gloriosa* iterum recte : quia prima cœlibatum Deo devovit, Angelorum munditiam terrenis inferens, et victoriam carnis et sanguinis viriliter agens, super primum castitatis inimicum triumphans.

Et quoad primum dicitur, Cantic. II, 5 : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* In tantum enim desiderio sponsi cœlestis amoris teneritudine elanguit, quod nullo carnis amore potuit consolari, sed floribus cœlestis munditiæ fulta virginibus in cœlibatu viam et exemplum dedit, et malis odoriferis munditiæ paradisi stipata est. Primæ incorruptionis qua virgines a Deo factæ sunt æmula integritatis angelicæ, connubia et lenocinia carnalis commercii fastidivit, quam multi virginum chori postea sunt secuti. Et hoc alia innuit translatio Septuaginta in eodem loco, sic : « Vidi sponsam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus, et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. » Speciosa enim virginitate fuit columba simplicitate decorata. De ea sicut de Judith, X, 4, dicitur : *Omnis compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* Super rivos aquarum ascendit ad virginitatis fastidium calcando concupiscentiæ fluxum omni virtute pertingens, in vestitu conversationis ejus inæstimabilis odor fructuum paradisi flagrabat, quia nihil nisi integritatem divinam

et angelicam meditabatur, et ostendit: hanc circumdant flores rosarum in rubore martyrum qui ad ejus imitationem prius omnia pati quam virginitatem vellent amittere, circa ipsam lilia convallium virginitatis lilium in humilitate sine gladio persecutoris conservantium. Hæc super castitatis triumphat inimicum in se et in suis: quia verificatur in ea quod in honorem matris suæ prædixit Dominus: *Ipsa conteret caput tuum* [1]. De caudæ enim inflexione et corporis tortuosi et vectis nocumento secura fuit, quæ statim in principio ante omnis libidinis vulnus caput draconis contrivit et exclusit.

Gloriosa iterum virgo fuit, quæ sola Filio Dei satis munda parata fuit: ea enim puritate qua sub Deo major esse non potuit, eam nitere dignum fuit, in quam tota divinitas infudit se. Sapient. VIII, 1: *Attingit ergo a fine usque ad finem*, scilicet ubique propter suam munditiam: *et ideo nihil inquinatum in eam incurrit* [2]. Quare dicitur, Isa. VII, 14: *Ecce virgo*, vel alma ab omni macula custodita, *concipiet, et pariet filium.* Hæc semper virgo ante partum, in partu, et post partum, sicut dicitur, Ezechiel. XLIV, 2: *Porta hæc*, quam vidisti, *clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

Genitricis Dei, etc. Et ideo secundum concilium Θεοτόκος et non Χριστοτόκος est dicenda: filius enim suus ideo *Emmanuel* vocatur [3], quia verus Deus et verus homo est, et ipsa personæ Filii mater, quæ in duabus naturis est verus Deus Patris æterni Filius, quem sicut Pater secundum divinitatem sine corruptione genuit ab æterno, ita eumdem verum Deum mater virgo sine virginitatis diminutione aliqua secundum humanitatem genuit in tempore. Propter quod genitura matris unicum et speciale exemplum est genituræ æterni Patris. Propter quod clamat Isaias, LXVI, 7 et 8: *Antequam parturiret peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile?* Tempus enim quo aliæ mulieres pariunt, est ut post corruptionem semen conceptum formetur, et post pondus et angustias uteri cum magnis doloribus pariant filium matris miseria infasciatum. Propter hoc dicitur igitur: *Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi*, hoc est, mediatoris Dei et hominum in gratia et nobis per conformitatem naturæ: et de his jam sæpius dictum est.

Unde dicitur: *Sed et beatorum Apostolorum*: quia fidei nostræ fundatores et prædicatores fuerunt, sicut dicitur in Psalmo LXXXVI, 1: *Fundamenta ejus in montibus sancti*, in montibus istis *unde veniet auxilium mihi* [4]. Apocal. XXI, 14: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Hi sunt duodecim lapides electi de Jordanis medio [5], propter fidei suæ soliditatem. Hi sunt duodecim boves sub mari æneo [6], propter sui laboris in messibus spiritualibus in figura boum præfigurati. Hi duodecim fontes inventi in Elim [7]. Fontes propter verissimum fluxum suæ doctrinæ vocati. Hi sunt duodecim portæ civitatis [8]. Portæ dicti sunt: quia per eos est ad Ecclesiam introitus. Hos elegit Dominus, et dixit illis: *Elegi vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* [9]. Hi sunt principes nostri in hac communione congregati cum Deo Abraham merito ante omnes alios ponendi.

[1] Genes. III, 15.
[2] Sapient. VII, 25.
[3] Isa. VII, 14.
[4] Psal. CXX, 1.
[5] Cf. Josue, IV, 20.
[6] Cf. III Regum, VII, 25.
[7] Cf. Exod. XV, 27.
[8] Cf. Apocal. XXI, 12.
[9] Joan. XV, 16.

Ac martyrum tuorum, qui fuerunt testes nostræ fidei : quia μαρτύρ in Græco, *testis* est Latine. De his dicitur, ad Hebr. II, 3 et 4 : *Quæ*, scilicet salus, *cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem*. Patriarchæ autem et Prophetæ non ponuntur : quia ad limbum descenderunt, ibi spe felici consolationem redemptionis exspectantes. Nec ponuntur Confessores, quia de merito illorum non adeo certa est Ecclesia : et ideo Leander in ordine Canonis sui quem Ecclesiæ reliquit Sibiliensi, facit offerri pro Confessoribus, et non in venerationem memoriæ Confessorum.

Petri, qui summus et caput fuit Apostolorum, cui collatæ sunt claves regni cœlorum, qui confirmator fuit aliorum postquam a negatione trina respectu Domini resurrexit : de quo dixit Christus, Luc. XXII, 32 : *Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos :* cujus adhuc successor totam habet confirmare Ecclesiam, et ideo Petrus a petra vocatus, quia Syra lingua *petros* rupes interpretatur.

Et Pauli, qui non ab hominibus neque per hominem electus est, sed per Jesum Christum merito et gradui Apostolorum est additus, ut sit vas electionis quod portet nomen Domini coram gentibus et regibus et filiis Israël [1]. Hic in tertium cœlum et in paradisum rapitur, ut audiat secreta verba quæ non licet hominibus loqui [2]. Loquitur tamen ea quæ sunt sapientiæ inter sapientes et perfectos, et post tantum fastigium contemplationis disposuit cubile matrimonio junctorum. Hic gloriatur in tribulationibus [3]. Hic non ignorat cogitationes satanæ [4]. Hic abundantius omnibus laboravit. Hic omnia gratiæ attribuit [5]. Et tandem pro fide ense triumphat, postmortem testimonium ferens fidei, sicut legitur in historia passionis ejus.

Andreæ, qui voce Joannis ad Christum veniens, fratrem suum Petrum adduxit.

Jacobi majoris, qui inter Apostolos in hoc primatum tenuit, quod primus inter eos martyrio laureatus est, sicut dicitur, Act. XII, 2, de Herode : *Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio.*

Joannis, qui dilectus discipulus Domini fuit, qui transfigurationi interfuit, qui in cœna supra pectus Domini recumbens, fluenta Evangelii, ut Beda dicit, ab ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, et ideo cæteris altius de Verbi scripsit deitate, cui virgini Christus virgo matrem virginem in cruce commendavit.

Thomæ, qui tactu Christi post resurrectionem sic in fide Christi est roboratus, quod amplius nullo modo dubitavit.

Jacobi minoris, qui primus Episcopus fuit Jerosolymorum, tam similis Christo configuratione corporis et imitatione religionis, ut ab Apostolis *frater Domini* vocari mereretur.

Philippi, qui de divinitate Patris et Filii instructus est [6], et panis illius quo Christus voluit pascere turbas, meruit audire eruditionem [7].

Bartholomæi, qui et nobilis et philosophus solus dicitur fuisse inter Apostolos, unde et Evangelium scripsit, de quo Dionysius meminit, dicens eum in proœmio sui Evangelii dixisse : « Evangelium est breve et longum. »

Matthæi, qui ex telonario et Apostolus et Evangelista ad spem peccatorum pœnitentium factus est, et talentorum spiritualium distributor, et conviviorum Dei præparator [8].

Simonis, qui fuit frater Jacobi mino-

[1] Cf. Act. IX, 1 et seq,
[2] Cf. II ad Corinth. XII, 1 et seq.
[3] Cf. Ad Roman. V, 3.
[4] Cf. II ad Corinth. II, 11.
[5] Cf. I ad Corinth. XV, 10.
[6] Cf. Joan. XIV, 8 et seq.
[7] Cf. Joan, VI, 5-13.
[8] Cf. Luc. V, 27 et seq.

ris, qui *Cananæus* dicitur a zelo quem habuit Christianæ religionis.

Et Thaddæi, qui Judas Thaddæus, *corculus* propter diligentem cordis custodiam ab Apostolis dicebatur. Fuit autem tertius frater Jacobi, fratris Domini, et Simonis Cananæi. Hos duodecim elegit Dominus, undecim in terra, et duodecimum Paulum de cœlo.

4. His etiam martyres quosdam adjungit de quorum fide et causa martyrii indubitata exstitit certitudo. Multos autem Ecclesia non ponit : quia in Ecclesiastica historia legitur, quod hæretici aliquando cum martyribus passi fuerunt, eo quod tunc Ecclesia synodos et visitationes et examinationes habere non potuit propter persecutiones tyrannorum. Ponit autem in principio eximios martyres quos Ecclesia Romana in gremio habuit et habet, dicens : *Lini*, qui Papa fuit per plurima genera tormentorum pro Christo triumphans. *Cleti*, qui et ipse Papa fuit multis passionibus et signis clarissimis. *Clementis*, qui et ipse Papa Petri fuit discipulus et pedissequus, duodecim libris omnes actus Petri scribens. *Sixti*, Papæ et martyris, qui in ipsis Missarum solemniis *Sanctus*, et *Agnus Dei* cantari ordinavit. *Cornelii*, cujus indubitatum apud sanctos Patres Augustinum et Ambrosium fuit martyrium. *Cypriani*, cujus tanta fuit fides, ut lecta a tabellione condemnatione ejus in consistorio Romano, Deo gratias publice clamaret, in cujus corde in testimonium fidei figura crucis in specie auri dicitur fuisse depicta. *Laurentii*, qui Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus existens, certa et indubitata fide rogum sustinuit, ut vivus in Decii imperatoris præsentia assaretur. Hic etiam Ecclesiæ facultates larga manu dispersit et dedit pauperibus : ideo justitia ejus manet in sæculum sæculi. *Chrysogoni*, cujus mira fides fuit, ita ut sponte gaudens subiret mortis supplicia. *Joannis et Pauli*, qui primicerii fuerunt aulæ imperialis, et se gloriosos martyres esse signis magnis probaverunt et publica confessione contra Julianum apostatam. *Cosmæ et Damiani*, qui ambo medici gratis exhibuerunt medicinam, plus virtute crucis et fidei quam herbis vel malagmate homines curantes.

Et omnium sanctorum tuorum, in communi, quorum nomina Deo nota sunt.

Quorum meritis precibusque concedas : quia merita supererogationis eorum etiam aliis possunt subvenire. Preces autem semper suffragantur : hoc enim de eis dici potest quod de Jeremia legitur, II Machab. xv, 14 : *Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias, propheta Dei.*

Ut in omnibus, intelligendis, credendis, agendis, et appetendis, *protectionis*, sive defensionis *tuæ*, Domine, *muniamur*, contra omnes inimicorum visibilium et invisibilium machinationes, *auxilio*. Auxilium enim tuum et tuorum habentes, securi stabimus dicentes : *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* [1].

Hæc est ergo tertia communio, qua Ecclesia cum cœlo communicat.

[1] Psal. cxx, 2.

CAPUT IX.

De petitione qua oblatio acceptari petitur.

Hanc igitur oblationem. In hac communione triplici Christo et omnibus bonis communicantes, petimus oblationem nostram acceptari, duo intendentes, scilicet quod acceptemur, et modum quo omnes acceptemur. Et hunc modum exprimimus, ibi, *Quam oblationem tu, Deus.*

In prima autem oratione tria dicimus, scilicet qualiter hæc oblatio ad nos refertur, et quid in ea petimus acceptari, et quid petimus nobis fieri a Deo nos in oblatione acceptante.

Dicit igitur : *Hanc igitur oblationem* : quia scilicet in sanctorum omnium offertur communionem, qui numquam possunt non acceptari. *Igitur hanc* (et debet hic inclinatione capitis a sacerdote fieri nutus ad hostiam demonstratam) *servitutis.* Hoc dicitur pro clero, quia sicut est servitus regis in cubiculariis et dapiferis et pincernis et mariscalcis et ducibus et aliis ministris aulæ regalis, ita est servitus Dei in templo ad oblationes consecrato, et hæc servitus est janitorum, ceroferariorum, exorcistarum, acolythorum sive lectorum, subdiaconorum, diaconorum, presbyterorum, Episcoporum, etc. : quæ servitus θεοσεβεῖα seu *Dei cultus* vocatur : et sicut victoria non est regis tantum, sed omnium eorum qui in servitute regis ad victoriam aliquid conferunt, ita oblatio non est solius sacerdotis, sed omnium eorum qui in servitute Dei templo aliquid conferunt et faciunt ad oblationem. In exercitu enim regis unus exercitui coquit, alter parat arma, tertius sellat equos, quartus parat milites, quintus ordinat acies, sextus pugnat, septimus præcedentes refrænat, octavus postremos ad adjutorium primorum recurvat : et victoria est per modum diversum omnium illorum : quia quicumque ipsorum defuerit, rex victoriam non consequetur. Ita in oblatione janitor templum in quo est oblatio, mundum custodit : ceroferarius tenebras visibiles et invisibiles propellit : exorcista vim dæmonis excludit, ne communicantes a perceptione communionis impedire possit : acolythus veritatem fidei exponit : subdiaconus materiam hostiarum immolandarum ad sacramentum ingerit : diaconus oblationem et pallas corporales in altari disponit : sacerdos autem ut perfector sanctitatis oblationem perficit. Et ideo omnium clericorum aliquo modo est oblatio. Et hoc attendens Gregorius dicit : *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, hoc est, ad cujus perfectionem tota nostra ordinatur servitus.

Sed et cunctæ familiæ tuæ. Hoc pro laico populo est adjunctum, qui sicut sæpius dictum est, per votum est in oblatione altaris : et sic totus est in oblatione Ecclesiæ exercitus. Propter quod dicitur, Cantic. VI, 9, quod Ecclesia *terribilis est ut castrorum acies ordinata.* Genes. XXXII, 2 : *Castra Dei sunt hæc.* I Regum, V, 11 : *Dimittite arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro.* Et omnium istorum differenti modo, est oblatio.

Hoc autem sic habito cujus est oblatio,

perfector sanctitatis petit hujus oblationis in omnibus, his acceptationem, sicut dicit Gregorius, ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio. Et hoc est quod dicitur : *Quæsumus, Domine, ut placatus accipias : placatus*, inquam, servitute cleri et voto totius populi : *accipias*, hoc est, acceptes, pro omnibus pro quibus offertur. Malach. III, 4 : *Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui.* Judas enim qui interpretatur *confitens* et *glorificans*, signat clerum confitentem confessione veritatis in prædicatione et glorificantem in laude. Jerusalem autem populum signat, cujus sacrificium placet per acceptationem Deo *sicut dies sæculi*, hoc est, sicut sacrificium a diebus sæculi a sanctis oblatum : et placet *sicut anni antiqui*, qui sunt anni æterni, qui non deficient, hoc est, sicut est acceptum ab æterno in præordinatione Dei.

2. *Diesque nostros.* Hoc est quod petitur ab acceptante Deo nobis præstari. Petuntur autem duo, unum pertinens ad tempus, et alterum pertinens ad æternitatem. Ad tempus quidem pertinet hoc quod dicit : *Diesque nostros*, huic vitæ concessos, in quibus multa turbantia oriuntur. Ad Ephes. V, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Genes. XLVII, 9 : *Dies peregrinationis meæ pauci et mali.*

In tua pace, quia illa sola secura est : et est triplex, temporis, pectoris, et æternatis. *Disponas :* quia tuæ solius sapientiæ est et mala oritura prævidere, et nos in eis ad tuam pacem disponere. Sapient. VIII, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.*

Deinde tangit quod est æternitatis duplex, scilicet secundum mali æterni devitationem, et secundum æterni boni adeptionem. De mali devitatione dicitur : *Ab æterna damnatione nos eripi*, per indulgentiam mortalis peccati. Psal. IX, 19 : *Patientia pauperum non peribit in finem.* De secundo dicit : *Et in electorum tuorum*, qui per gratiam finalis et specialis electionis a massa peccatorum separati sunt, *jubeas grege numerari* : quia ille unus verus est certus in prædestinatione Patris. Psal. CXLVI, 4 : *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* Hoc enim de electis dicitur, quorum nomina in libro vitæ sunt descripta : non enim scribuntur ibi per præsentem justitiam, sed per gratiam electionis finalis. Hoc est signatum, I Esdræ, X, 1 et seq., ubi illi qui non potuerunt invenire genealogiam suam, separati sunt a populo Domini : quia non fuerunt in numero sanctorum descripti.

Quod autem sequitur : *Per Christum Dominum nostrum*, est conclusio ad quam nullus respondet *Amen*, sicut in aliis secretorum conclusionibus, nisi Angeli qui in ministerio esse dicuntur.

CAPUT X.

De modo quo oblatio petitur acceptari.

1. *Quam oblationem*, etc.

Tangit hic modum quo oblatio petitur acceptari. Tangit autem duo, scilicet modum quintuplicem, et in quo modus iste compleatur.

Dicit igitur : *Quam oblationem*, cleri

et populi, *tu, Deus,* cui soli offe rendum est, quia dixisti, Exod. xx, 3 : *Non habebis deos alienos coram me.*

In omnibus, gradibus cleri et populi, *quæsumus,* hoc est, rogamus, nullum ab oratione excipientes. Sapient. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.*

Benedictio et oblatio vetus et novi Testamenti.

Benedictam. Quinque fuerunt in antiquis oblationibus ad exclusionem quorum hic quinque dicuntur : antiquæ enim oblationes fuerunt vacuæ a gratia : et ideo nulla ab ipsis profluxit benedictio. Antiquæ oblationes ob memoriam æternam non fuerunt adscriptæ, sed potius ab hominibus inventæ, et a Deo, ne idolis fierent, ordinatæ. Antiquæ etiam oblationes non fuerunt ratæ : quia multa ratione improbatæ, et quia convulsæ fuerunt irrationabiles, et numquam secundum cor Dei acceptæ. Et ideo contraria dicit quinque de ista : *Benedictam,* hoc est, benedictione gratiæ plenam. Deuter. xxxiii, 5 : *Vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te.* Eccli. xxxix, 27 : *Benedictio illius quasi fluvius inundavit,* etc..

Adscriptam, inter acceptissima munera Dei ad tantæ rei æternam memoriam. Habacuc, ii, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Apocal. iii, 5 : *Non delebo nomina eorum de libro vitæ.*

Ratam. Ratum est firmum, quod nulla ratione potest esse convulsum : numquam enim illa oblatio patietur repulsam, et numquam erit convulsa : quia sicut dicit Psalmista, Psal. cix, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ita enim rata est oblatio, quod propter eam sacerdotium quod, sicut diximus, est servitus ejus, manet in æternum, cui numquam aliud succedet sacerdotium. Ad Hebr. vii, 24 et 25 : *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Tres autem cruces hic fiunt, ut significetur ista procedere in hostiam a primo perfectore sanctitatis, cujus vicarius stat ad altare.

Rationabilem : quia omni ratione plenum est, quod Christi sanguis emundet inquinatos. Penitus autem fuit irrationabile, quod sanguis hircorum aut taurorum aut agnorum aliquem emundaret. Unde, ad Hebr. ix, 13 et 14 : *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortis, ad serviendum Deo viventi ?*

Acceptabilemque facere digneris : quia in illis nihil fuit acceptum, sicut in ante habitis est ostensum. Ista autem rationem habet acceptationis ex unione ejus cui offertur.

In istis autem duobus cruces non fiunt : quia rationabilis et acceptabilis est hæc oblatio ex seipsa, sed benedictionem et adscriptionem et ratitudinem habet a Patre qui est primus perfector sanctitatis, et hanc in eam sacerdos signat procedere per crucem quam facit triplicem.

2. *Ut nobis.* Sic est autem ordinanda constructio : Quam oblationem benedictam, etc., hoc est, quæ est benedicta et adscripta, etc., tu, Deus, in omnibus, quæsumus, facere digneris talem, *ut nobis,* hoc est, ad utilitatem nostræ incorporationis, ut incorporemur tibi, *fiat corpus,* ad incorporationem, *et sanguis,* ex quo spirat spiritus tuus Spiritum sanctum nobis influens, quo vivamus in te : quia tibi incorporati vivemus spiritu tuo. Et propter hoc fiunt iterum duæ cruces, ut virtus incorporationis et virtus vivificationis nostræ a Deo procedere notetur in sacramentum. Joan. vi, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet* (ut incorporatus mihi et

spiritui meo sociatus) *et ego in eo*, ut caput in membris et vita in viventibus.

Dilectissimi Filii tui: quia nimiæ dilectionis fuit, quod eum sic nobis in sacramendo dedisti. Propter quod etiam hoc sacramentum *charitatis sacramentum* vocatur: sic enim dicitur, ad Coloss. I, 13 et 14: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, et remissionem peccatorum.*

Domini nostri, qui omnium facultatum boni et pulchri habet possessionem perfectam. *Jesu Christi*, qui verus mediator est in nobis, et in te veræ mediationis mittens manum.

Hic autem quidam absurda dicunt dicentes, quod quia Christus venditus fuit triginta argenteis, qui sunt ter decem, ideo fiunt tres cruces primæ: et quia ibi fuit venditio et emptio, ideo fiunt duæ cruces secundo loco factæ. Addunt alii, quod ideo quia Christus fuit venditus tribus generibus hominum, scilicet sacerdotibus, scribis, et Pharisæis, ideo fiunt tres cruces, et propter emptionem et venditionem fiunt duæ cruces secundæ. Dicunt alii, quod quia Judas traditor accepit buccellam panis postquam introivit in eum satanas, et sic maledictus fuit, ideo per oppositum oblatio Ecclesiæ dicitur *benedicta*. Et quia proscriptus fuit a cœtu fidelium, ideo per oppositum ista oblatio dicitur *adscripta*. Et quia factum suum non fuit ratum, sed irritum, ideo per oppositum ista oblatio dicitur *rata*. Quia omni caret ratione, ideo per oppositum dicitur oblatio *rationabilis*. Et quia Judæ factum condemnatum fuit, ita quod laqueo se suspendit, ideo per oppositum dicitur *acceptabilis*. Hæc et hujusmodi reputamus nos deliramenta et hominum illitteratorum qui se doctores profitentur per insanias et nugas, et suis doctrinis detestabilem faciunt theologiam.

CAPUT XI.

De perficientibus sacramenti confectionem. Et primo, de perfectione sacramenti corporis.

1. *Qui pridie*, etc.

Hic post sanctificationem hostiæ per quam ad transsubstantiationem ipsi hostiæ confertur idoneitas, tangitur de sacramenti perfectione.

Habet autem duas partes: in quarum prima tangitur de sacramenti corporis perfectione, et in secunda tangitur de sacramenti sanguinis perfectione, ibi, *Simili modo*.

Circa primum octo inducuntur per ordinem: in quorum primo tangitur tempus quo Christus hoc sacramentum celebravit. In secundo, qualiter tactu suarum divinarum manuum materiæ sacramenti transsubstantialitatem contulit. In tertio, qualiter Patri hoc sacramentum offerendum est, ostendit. In quarto, qualiter de tanto dono et beneficio gratias egit. In quinto, qualiter benedictionem omnis gratiæ in hoc sacramentum profluxit. In sexto, qualiter ad mensuram uniuscujusque hoc frangendum significavit. In septimo, qualiter a discipulis

hoc sacramentum frequentandum esse instituit. In octavo, qualiter formam sanctificationis expressit.

Dicit ergo : *Qui pridie*, hoc est priori die, *quam pateretur*, hoc est, feria quinta in nocte in qua tradebatur, post quam in Parasceve, hoc est, in sexta feria patiebatur. In illa autem nocte luna fuit quartadecima, et non erat fermentatum in domibus Judæorum : et ideo convincitur celebrasse in azymo. Exod. XII, 15 : *Septem diebus azyma comedetis, et non erit fermentatum in domibus vestris.* Hoc enim competit signato. I ad Corinth. V, 7 et 8 : *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* De hoc tempore Apostolus dicit, I ad Corinth. XI, 23 et 24 : *Quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit.*

De secundo dicit : *Accepit panem* de frumento puro azymum, *in sanctas*, hoc est, sanctificantes, *ac venerabiles*, propter unitam manibus deitatem, *manus suas*, ut tactu suarum sanctarum et divinarum manuum tali materiæ sacramenti conferret, quod in omni tempore in corpus Christi transsubstantiari posset, sicut ipse tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam conferebat aquis : talem enim virtutem creatura accipit ad tactum Creatoris. Et hoc significatum est, Joan. VI, 11, ubi *Jesus* ad manus *accepit panes*, de quibus turbas pascere voluit. Hinc est quod dicitur, Cantic. V, 14 : *Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Tornatiles* dicuntur, id est, omnium volubiles operationum. *Aureæ* autem, quia in omnibus earum operationibus splendet virtus deitatis mutans divinitus omne quod tangit manus. *Plenæ* autem dicuntur *hyacinthis*, qui cœlestis est virtutis et coloris : quia in omnibus operibus cœlestem indicat vitam et intentionem.

Et elevatis oculis suis in cœlum. Tertium est, in quo oblationem istam semper in cœlum esse elevandam significat : quia et ipse sacerdos et hostia sic pro nobis ad Patrem in cœlum ascendit. Ad Hebr. IX, 24 : *Non enim in manufacta sancta introivit Jesus, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et hoc est : *Ad te, Deum* secundum humanitatem, *Patrem suum*, secundum divinitatem, *omnipotentem* autem propter transsubstantiationis potentiam, quia in omnipotentia Dei radicatur : quia, sicut dicitur, Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et ideo dixit, Joan. XX, 17 : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* 2.

Tibi gratias agens. Quartum est : gratias enim dignum fuit agere de tanto dono, de tam excellenti gratia, de tam efficaci cibo, de tam digno sacrumento. Joan. XI, 41 et 42 : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis.* II ad Corinth. IX, 15 : *Gratias ago Deo super inenarrabili dono ejus.*

Benedixit. Quintum est : quia in sacramentum omnis gratiæ plenitudinem effudit, ut sit verum de sacramento quod dicitur, Eccli. XLIV, 25 : *Benedictionem omnium gentium dedit illi.* Dicunt autem hic quidam, quod signo quodam manus benedixit. Quidam autem, quod verbo occulto, quo etiam panem in corpus suum transsubstantiavit. Quidam autem, quod virtute divinitatis sine signo et verbo transsubstantiavit : quia Christus corporalibus signis et verbis uti opus non habuit, sicut qui habuit potestatem excellentiæ, et non sicut minister clave utebatur. Sed quia nullum istorum probatur aliqua Apostolica auctoritate, et prima expositio dubium non habet, ideo primum plus placet inter ista. Deus enim benedicere dicitur, quando gratiam influit, sicut dicitur, Numer. VI, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel,*

ego autem benedicam eis. Psal. cxm, 15 : *Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram.*

Fregit, postquam panem in corpus suum transsubstantiavit, et hæc fractio est in solis formis sacramentalibus et non in corpore Christi. Hæc enim specialis est fractio in qua virtus cognoscitur deitatis, ut forma panis frangatur et corpus integrum remaneat. Luc. xxiv, 35 : *Cognoverunt eum,* scilicet Dominum, *in fractione panis.* Hoc semper petierunt Christum esurientes, ut dicitur, Thren. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Parvuli dicuntur omnes qui ad istam fractionem ante Christum inventi sunt infirmi. Quare autem fregit, posterius ostendetur.

Deditque discipulis suis. Dono dedit, sicut dicitur, Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Sapient. iii, 14 : *Dabitur illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.* Non autem dedit nisi discipulis suis, significans quod indignus accedere non debet. I ad Corinth. xi, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Et ibidem, ℣. 27 : *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Et ideo indigno in confessione interdici debet, et si publice inter alios accedit, sacerdos illi porrigit, quia nullum prodit, sed ille tunc rapit, sicut Judam Dominus inter alios accedentem non prohibuit.

Dicens : *Accipite,* in officium. Luc. xxii, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.*

Et manducate ex hoc omnes, discipuli, ut omnes mihi incorporemini et spiritui meo sociemini : quia aliter non potestis Deo Patri offerri.

Hoc est enim corpus meum. Forma est sacramenti, qua omnis sacerdos deinceps debuit uti, et continetur in Evangelio [1]. In hac enim forma Verbum increatum descendit in verbum creatum, et sua invisibili potentia operatur transsubstantiationem panis in corpus Christi, sicut etiam a principio in Verbo instituta et facta est omnis creatura. Joan. i, 3 et 4 : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* Ad Hebr. i, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.*

For
conse
tion
iii

CAPUT XII.

De confectione sacramenti sanguinis Christi.

1. *Simili modo postquam cœnatum est,* etc.

Hic post confectionem sacramenti corporis, tangit confectionem sacramenti sanguinis.

Et circa hoc tangit septem per ordinem, scilicet tempus institutionis, tactum virtutis transsubstantiationis, gratitudinem gratiarum actionis, profluxum benedictionis, officium institutionis, formam sanguinis, et effectum sanctificationis.

[1] Cf. Matth. xxvi, 26; Marc. xiv, 22; Luc. xxii, 19.

De primo horum dicitur : *Simili modo :* quia simili bonitate et charitate et virtute. Bonitas enim fecit sanguinem communicare, quia sicut dicit Dionysius, boni est bona adducere. Charitas fecit nos sanguine redimere, sicut dicitur, Jerem. XII, 7 : *Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Virtus autem divina fecit vinum in sanguinem convertere, sicut dicitur, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Postquam cœnatum est, utraque cœna, scilicet agni typici et corporis sui : ultimo enim post omnes cibos hoc sacramentum tradidit, ut arctius imprimeret memoriæ discipulorum. I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quamvis autem sic fecerit Christus dicta de causa, tamen propter sacramenti reverentiam institutum est ab Apostolis, ut sacramentum hoc jejuno ore a fidelibus accipiatur, nisi necessitas infirmitatis aliud exposcat, sicut reprehendit Apostolus quosdam, I ad Corinth. XI, 20 et 21, quod non jejuni Christi sacramentum acceperunt, dicens : *Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare : unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*

Accipiens et hunc præclarum calicem. Præclarus dicitur : quia præ aliis clarus : et ideo de calice Veteris Testamenti tamquam non satis claro dixit, Matth. XXVI, 29 : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* De isto autem dicit : Usque dum impleatur in regno Dei, hoc est, in Ecclesiæ confirmata potestate. Et ideo, Matth. XXVI, 29, dixit : *Usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Hunc enim præclarum calicem quotidie bibit et sibi imbibit in membris. Psal. XXII, 5 : *Calix meus inebrians quam præclarus est !* Calix autem dicitur calida potio : quia calore charitatis accendit. Psal. CXV, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.*

In sanctas ac venerabiles manus suas. Hoc exponitur sicut prius : quia tactu suæ manus vino contulit ut semper posset in suum sanguinem converti.

Itemque gratias agens, de humani generis per sanguinem redemptione. Hanc enim in tantum desideravit, quod etiam sanguinem in passione crucis gaudens fudit. Unde Apostolus, ad Hebr. XII, 2 : *Præposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

Benedixit, omni benedictione gratiæ, a quo omnibus nobis proflueret benedictio salutis. Genes. XXIV, 35 : *Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est.*

Hic autem fit crux ut significetur hæc benedictio a primo perfectore sanctificationis Patre cœlesti profluere in sacramentum. Utrum autem signo benedixerit, vel verbo, vel virtute suæ divinitatis sine verbo vinum in suum sanguinem transsubstantiavit, ut quidam dicunt, non est probatum : et ideo primus expositionis modus nobis melior esse videtur.

Dedit, non vendidit, non reddidit, sed dono, hoc est, gratis dedit. Unde, I ad Corinth. XI, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.*

Discipulis suis, qui soli digni fuerunt. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

Dicens, officium sacramenti instituens : *Accipite,* in officium. I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

Et bibite, ad incorporationem mei. Eccli. XXIV, 29 : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. Ex eo,* calice sanguinis, *omnes,* sine distinctione. Act. X, 54 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.*

2. Forma consecrationis vini.

Hic est enim calix sanguinis mei. Intransitive legitur. *Hic est calix,* qui est sanguis meus, qui vere est potus in redemptionem peccatorum. Ad Hebr. IX, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Apocal. I, 5 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et quia nullus lavatur a peccatis nisi intus lavetur, quia peccatum intus maculat, ideo necesse est ut sanguis bibatur, ut intus lavet. Et usque huc meo judicio forma sacramenti terminatur : quia in tantum etiam forma corporis et non amplius extenditur.

De effectu autem sanguinis quem supra septimo loco posuimus, quatuor inducit : quorum primum est, quia testatur nobis hæreditatem. Secundum, quia declarat in mysterio fidem. Tertium, quia remissivum est peccatorum. Quartum autem, quia ad memoriam reducit Christi mortem.

De primo autem dicit : *Novi et æterni Testamenti. Novi* autem dicit : quia in ritu et effectu novum. Apocal. XXI, 5 : *Dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.* Isa. LXV, 17 : *Ecce enim ego creo cœlos novos, et terram novam : et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor.* Levit. XXVI, 10 : *Novis supervenientibus vetera projicietis. Æternum* autem dicitur : quia numquam alterius testamenti vel sacramenti recipiet superordinationem, sicut superordinatum est sacramentis veteris legis. Jerem. XXXI, 40 : *Sanctum Domini non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.* Isa. LV, 3 : *Feriam vobiscum pactum sempiternum.* Ad Hebr. X, 14 : *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Et ideo dicitur *testamentum* : quia in sanguine confirmavit omnes testatas promissiones. Ad Hebr. IX, 17 : *Testamentum in mortuis confirmatum est : alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.* Ideo, Zachariæ, IX, 11, dicitur : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Hoc enim promiserat, quod vinctos de lacu miseriæ educeret per sanguinem.

Mysterium fidei. Mysterium dicitur a græco μύστης quod est secretum : quia secretum fuit qualiter in morte vitam æternam et in sanguine perficeret sanctitatem. Et ideo multis hujus mundi sapientibus stultitia videbatur. Inde dicit, Isa. XXIV, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Job, XXVIII, 11 : *Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita in lucem produxit.* Fluvii enim sunt flumina vulnerum, quorum est profunda sapientia, qualiter sanguine Christi redemptus est mundus. Et in hoc profundo omnia mysteria fidei sunt revelata.

Sic ergo est sanguis testamenti æterni et mysterium fidei. Ad Hebr. XIII, 20 : *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum.*

Qui, scilicet sanguis, *pro vobis,* discipulis, qui tamen estis perfectores sanctitatis : quia sicut diximus, Episcopus et sacerdos etiam indigent sanguine redemptionis : *et pro multis,* bonis scilicet efficaciter, pro omnibus tamen *effusus est* sufficienter. Et hæc verba, Luc. XXII, 20, continentur.

In remissionem peccatorum : quia sedes animæ in sanguine est, qui est pretium redemptionis. I Petri, I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.*

Hæc quotiescumque feceritis, ad aram devotando sacramentum, *in mei,* abeuntis ad passionem, *memoriam facietis.* Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii et fellis.* Et respondet Propheta, ℣. 20 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.*

Hæc breviter de confectione sacramenti transcurrimus : quia post officium Missæ specialem de hoc tractatum longum faciemus, in quo ipsum sacramentum in

sex generibus ponemus, scilicet in genere gratiæ, in genere doni, in genere cibi, in genere communionis, in genere sacrificii, et in genere sacramenti [1]. Ponemus et singulorum generum species et differentias proprias et effectus subtiliter investigabimus. Et ille tractatus supplebit prolixe quidquid hic breviter est transcursum : si enim ille tractatus hic positus fuisset, multa dici oporteret, quæ ad officium Missæ non viderentur multum pertinere.

CAPUT XIII.

De elevatione et de eam perficientibus. Et primo, quæ Christus in seipso perfecit ?

Unde et memores, Domine, etc.

Hic ponitur pars Canonis istius in qua post hostiæ sanctificationem et post sacramenti confectionem, tangitur de perfecti sacramenti cum omnibus sacramento communicantibus in cœlum ad conspectum Dei elevatione et præsentatione.

Habet autem tres partes : in quarum prima tangitur de sacramentis hanc elevationem perficientibus. In secunda, de ipso modo elevationis, ibi, *Supplices te rogamus.* In tertia fit supplicatio pro his qui in sacramento sunt elevandi, ibi, *Memento etiam, Domine,* etc.

Adhuc autem prima harum partium dividitur in duas partes : in quarum prima sacram elevantia hostiam ponuntur quæ perfecit Christus in seipso. In secunda autem ponuntur ea quæ facta sunt in sacramenti figura et typo, ibi, *Supra quæ propitio.* Unde tres orationes quæ per ordinem hic ponuntur, sic ordinantur, quod in prima tangitur oblatio hominum virtute sacramentorum hostiam elevantium. In secunda, ad elevationem supplicatio intercessionis patrum. In tertia, cum oblatione ministerium Angelorum.

In prima harum tria innuuntur, scilicet cujus sit oblatio, memoria elevantium hostiam, et ipsa oblatio elevationis ad Deum.

De primo dicit : *Unde et memores,* etc. Constructio sic ordinanda est : Unde, o Domine, nos, sacerdos et clerici tui servi, qui nostrorum ordinum servitutem ad hæc offerenda accepimus. Isa. LXI, 6 : *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis.*

Sed et plebs tua sancta, quæ sacramentis est imbuta et consecrata : *Catholica,* Catholicam fidem corde credens et ore confitens et opere ostendens. De duobus primis dicitur, ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* De tertia autem confessione dicitur, Jacobi, I, 25 : *Non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Et ideo dicitur, I ad Corinth. XII, 3, quod *nemo potest dicere : Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Et ibi dicit Glossa Am-

[1] Cf. tractatum proxime sequentem, *De Eucharistia,* Distinct. VI præcipue.

brosii, quod qui dicit Dominus Jesus in Spiritu sancto, dicit illud corde, ore, et opere. Nos, inquam, servi tui et plebs, *memores tam beatæ passionis*, etc., *ejusdem Christi Filii tui. Ejusdem* cujus corpus et sanguinem conficimus.

2. Sic ergo est constructio ordinanda : *Memores* , cujus numquam habenda est oblivio. Psal. LXII, 7 et 8 : *Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Psal. CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.*

Ejusdem Christi, mediatoris Dei et hominum, cujus corpori et sanguini participamus, ita quod in Christo incorporati manemus, sicut ipse dicit, Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Joan. XV, 4 : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.*

Filii tui, tibi consubstantialis, ut sic per ipsum ad te habeamus accessum. Ad Roman. V, 1 et 2 : *Pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Propter hoc enim, ut dicit Augustinus, univit sacrificium et offerentem cum Patre, ut per sacrificium et offerentem accedentes non sisteremus, sed accederemus usque ad Patrem. Iste enim est verus cubicularius et verus ostiarius, qui ad secreta Patris introducit. Genes. XLIII, 16 : *Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium, quoniam mecum sunt comesturi meridie,* hoc est, in plena luce et fervore charitatis reficiendi sunt dulcedine deitatis meæ. Joan. X, 9 : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et ingredietur, et pascua inveniet.* Et ibidem, ℣. 3 : *Huic ostiarius aperit,* ubi dicit Glosa Augustini, quod Christus mediator est ostium et ostiarius fideles inducens ad Patrem.

Domini nostri, qui facultatibus dives est in omnes. Ad Roman. X, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.*

Dei nostri : quia nisi Deus esset, nos usque ad te per hostiam suam non induceret. Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Tam beatæ passionis. Hæc enim sunt sacramenta Christi, per quæ nos elevat, quorum primum ab infirmis absolvit. Secundum ad beatitudinis elevat gloriam. Tertium autem extollit ad beatorum locum.

Et hoc est : *Tam beatæ,* hoc est, tam excellenter beatificantis *passionis,* quæ mortuos a vinculis mortis absolvit. Matth. XXVII, 52 et 53, Christo in passione moriente, *monumenta sunt aperta, et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, et venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Sic ergo mors Christi mortuos in imis solvit, ut elevari possint. Psal. CXLV, 7 : *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Unde gratulantes jam soluti dicunt : *Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo* [1].

Nec non et ab inferis, qui multos tenuerunt absorptos in anima, et multo plures in culpa per malum meritum quo descendere meruerunt ad inferos. Psal. XLVIII, 16 : *Verumtamen Deus ab inferno redimet animam meam, cum acceperit me.*

Resurrectionis, qua resurrexit et alios secum resurgere fecit, quosdam in re, et quosdam in certa et felici spe. Isa. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.* I ad Corinth. XV, 22

[1] Psal. CXV, 16 et 17.

et 23 : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur : unusquisque autem in suo ordine : primitiæ Christus : deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.* Et sic in ipso resurgimus a morte animæ ad justificationem, et a morte corporis ad gloriam. Ad Romanos, IV, 25 : *Qui traditus est propter nostra delicta, et resurrexit propter nostram justificationem.*

Sed et in cœlos. Tangit tertium nos elevans sacramentum, et dicit *cœlos* pluraliter, quia quamvis Christus ad dexteram Patris ascenderit *super omnes cœlos*, sicut dicitur, ad Ephes. IV, 10, tamen in omnes cœlos omnium per ordines singulos ascendit : quia omnibus et singulis illuminationes suas invehit et invexit et invehet in æternum. Et ideo decem sunt dies quibus celebratur ascensio : quia novem Angelorum cœlos conscendit, et sic decimo in dextera Patris resedit. Psal. XVIII, 17 : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus.*

Gloriosæ : quia omnia quæcumque fecit et dixit, credibilia fecit. Psal. XCII, 4 et 5 : *Mirabilis in altis Dominus. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Ascensionis, quæ nos in hostia Christo incorporatos in cœlum ascendere facit. Michææ, II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos,* Joan. XIV, 2 : *Si quo minus dixissem vobis : Quia vado parare vobis locum.*

5. Hostiæ oblatio.

Offerimus. Tangit tertium, quod est hostiæ in cœlum a sacerdote cum clero et populo oblatio : et ideo dicit pluraliter, *offerimus.* Ad Hebr. XIII, 15 : *Per ipsum,* scilicet Christum, *offeramus hostiam laudis semper Deo.*

Præclaræ majestati tuæ, quæ licet in omnibus clara sit, tamen præclara, hoc est, præ aliis clara est in cœlis et gloria beatorum, ubi nihil habet obscuritatis admixtum, ubi in dispari claritate sanctorum est per gaudium, ut dicit Augustinus. Unde, Matth. XIII, 43 : *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

De tuis donis, quæ a te accepimus. Donum autem cum sit datio irreddibilis, ponitur pro gratuitis donis, inter quæ potissimum est donum sacramenti Eucharistiæ.

Ac datis, quæ communi nomine *data* dicuntur, quæ sunt naturalia data, ut species sacramentales frugum frumenti et vini cum omni clero et populo, quæ in ipsis offerri significantur. Jacobi, I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Hæc enim acceptat quæ ipse donavit : quia illa sunt bona et spiritu gratiæ plena. Luc. XI, 13 : *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?*

Hostiam puram. Hæc quinque quæ hic dicuntur, in duo dividuntur, ita quod tria prima sint perficientia omnimodam hostiæ ad elevationem in cœlum idoneitatem. Alia duo sint significantia populi cum Christo in hoc sacrificio communionem.

Dicit igitur : *Hostiam,* quæ jam ad ostium cœli elevata offertur. *Puram,* hoc est, a fomite originalis peccati nos depurantem, sicut, I ad Timoth. I, 5 : *Charitas est de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Sic enim fons puritatis Christus in hostia purificat.

Hostiam sanctam, hoc est, omnis sanctitatis virtutem tribuentem, in qua Sanctus sanctorum continetur. Joan. XVII, 19 : *Ego pro ipsis sanctifico meipsum.*

Hostiam immaculatam, hoc est, maculam a nobis actualem abstergentem, eo quod immaculatus Dominus in ea continetur, qui est agnus sine macula. Ad Ephes. V, 27 : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam.*

In his autem cruces tres facit sacerdos, ut hic benedictionis plenitudinem ostendat a primo perfectore sanctitatis in corpus mysticum, quod in vero corpore ut in signo ibi offertur, procedere.

Panem sanctum. Tangit ea quæ sunt communionis. Dicitur enim, I ad Corinth. x, 17, quod *unus panis, unus corpus multi sumus*, scilicet in Christo, *omnes qui de uno pane participamus :* et sic dicitur *panis* per similitudinem : quia substantia panis quæ ibi fuit, jam in corpus Christi est transsubstantiata, et non est ibi. Hic panis dicitur *sanctus* : quia sanctis et non immundis est communicandus. I Regum, xxi, 4 et 5 : *Non habeo laicos ad manum, panes sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus ?* tunc manducare eos poterunt, propter necessitatem. *Et respondit David sacerdoti, et dixit ei : Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudiustertius*, hoc est, a præterito legis, et a præterito naturalis rationis : *et fuerunt vasa puerorum sancta*, hoc est, corpora in quibus panis sanctus est reponendus. Et addidit : *Porro via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis.* Via enim hujus vitæ pollutionem habet, quæ continuis remediis sacramentorum Ecclesie est sanctificanda, ut digne communicemus sanctæ hostiæ.

Hic panis dicitur *vitæ æternæ* : quia vegetat ad vitam æternam. Joan. vi, 33 : *Panis Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* Et ibidem, ℣. 59 : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Eccli. xv, 3 : *Cibavit eum pane vitæ et intellectus.*

Et calicem, a quo spirat spiritus cui per sanguinem Christi communicamus : et quia sanguis lavando salvat a peccatis et periculo, ideo additur : *Perpetuæ salutis.* I ad Corinth. xii, 13 : *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes in uno Spiritu potati sumus.* I ad Corinth. x, 4 : *Omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra : petra autem erat Christus).*

Quod autem quidam dicunt quinque cruces fieri hic propter quinque vulnera, reputo derisionem. Sed hic attendendum, quod quamvis sacerdos perfector sanctitatis omnes orationes dicat cruciformiter extensis brachiis, ut populo det signum Christi crucis, ut veritas figuræ respondeat : quia Moyses sic orabat [1] : et ut omnes sit paratus accipere in amplexum charitatis, sicut dicitur, Isa. lxv, 2 : *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum* : tamen hanc orationem dicit in altum porrectis manibus, brachiis plus quam in aliis orationibus extensis, ut significet elevationem hostiæ quam dicimus per intentionem in cœlum esse elevandam, quasi diceret : « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum, quod a Christo in vespera mundi in cœlum est elevatum. » Hanc autem facit manuum distensionem et elevationem usque ad signa quæ hic fiunt : tunc enim retrahit ut cruces faciat ad eorum quæ diximus significationem.

Hæc igitur est elevatio hostiæ prima.

[1] Cf. Exod. xvii, 12.

CAPUT XIV.

De his quæ facta sunt in sacramenti figura et typo.

1. *Supra quæ propitio*, etc.

Hoc est secundum in quo elevatio istius hostiæ petitur per memoriam acceptationis de cœlo factæ figurarum.

Continentur autem hic duo, in quorum primo id quod petitur, exprimitur. In secundo figuræ de cœlo receptæ commemorantur.

In primo quatuor innuuntur : in quorum primo primus respectus de cœlo super elevandam hostiam habendus significatur. Secundo, modus desuper respicientis describitur. Tertio, respectus petitur. Et quarto, inspicientis acceptatio hostiæ respectæ.

Dicit ergo : *Supra quæ*, scilicet dona et data tibi oblata. Et per hoc quod dicit, *supra*, notat cœlestem desuper venturum respectum. Psal. LXXIX, 15 : *Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam*, scilicet meam, sanguinis tui tibi oblatam. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*. Et post pauca, ℣. 2 : *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?* Pauperculus enim Christus fuit cum nudus offerebatur : contritus spiritu, cum spiritu voluntario totus contritus plagis et livoribus et vulneribus propter nos offerebatur. Isa. LIII, 5 : *Attritus est propter scelera nostra*. Tremebat autem sermones Patris, quando offerens se dixit : *Non mea voluntas, sed tua fiat* [1].

Et hanc offerimus hostiam, et nos in hostia : et ideo petimus te respicere de supra ista, *propitio et sereno vultu*. Propitius quidem in facilitate dimissionis peccati pro quo offertur hostia. Jerem. XXXI, 34 : *Propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius*. Sereno autem : quia benignitas et hilaritas serenum faciunt vultum. Et hoc dicit propter bonos qui in hostia offeruntur. Unde Christus duo dixit, oblatus pro nobis. Primum, Luc. XXIII, 34 : *Pater dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt*, ecce propitiatio. Dixit etiam : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* [2], hoc est, spiritum sanctorum, ecce vultus serenitas. Et de hoc dicitur in Psalmo LXVI, 1 : *Illuminet vultum suum super nos*, ecce serenitas : *et misereatur nostri*, ecce propitiatio. Sumitur autem istud, Numer. VI, 25, ubi sic dicitur : *Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui*. Facies enim Dei semper serena est et misericordia ejus facit propitium. Et ibidem, Numer. VI, 26 : *Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem*.

Respicere digneris, scilicet oculo amoris : quia ubi amor, ibi oculus. Eccli. XXXVI, 1 : *Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum*.

Et accepta habere, pro omnibus quæ in ipsa offeruntur hostia. Psal. L, 21 : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta*. Hoc est quod

[1] Luc. XXII, 42.

[2] Luc. XXIII, 46.

pro omnibus fecit justitiam satisfactionis.

2. Figurarum commemoratio.

Sicuti accepta, etc. Ecce commemorationem figurarum, quarum semper una plus manifestat de veritate sacramenti quam alia. Prima enim manifestat oblati passionem, secunda oblati unigeniti dignitatem, tertia ritum et veritatem.

Dicit igitur : *Sicuti*. Hoc autem non dicit æqualitatem : quia nostrum multo acceptius est illo, et illud non fuit acceptum nisi in fide istius : et ideo adverbium notat relationem respectus ad typum, et sic notat non æqualitatem, sed talem similitudinem qualis potest esse typi ad veritatem.

Accepta habere, per adspectum de cœlo factum, *dignatus es*, eo quod typi fuerunt istius nostri sacrificii, *munera*, quæ de tuis donis accepit offerens, sicut dicitur, Genes. IV, 4 : *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Pueri tui*, obedientia et puritate et non sensu. I ad Corinth. XIV, 20 : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote : sensibus autem perfecti estote. Justi*, per fidem hujus sacramenti justificati. Ad Roman. V, 1 : *Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum. Abel*, in quo primo iste agnus occisus est. Apocal. XIII, 8 : *Agnus qui occisus est ab origine mundi.*

Et sacrificium Patriarchæ, qui est princeps patrum, in hoc quod ipse prima via credendi est in quo adoptionis gratia est, significatur. *Abrahæ*, patris multarum gentium, quæ modo tibi in sacrificio offerunt. *Abrahæ*, qui tibi unigenitum obtulit, sed pro unigenito arietem occidit [1] : quia in hoc sacrificio non unigeniti tui deitas quæ tibi offertur, mactari significatur, sed humanitas per arietem significata occiditur et immolatur. Et sicut scriptum est, Genes. IV, 4 : *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus:* ita scriptum est, quod de cœlo vocasti Abraham, dicens, Genes. XXII, 16 et 17 : *Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*, etc.

Et quod tibi obtulit primus, quia summus, *sacerdos*, sacra dans, vel sacra dos tua, *Melchisedech*, quod interpretatur *rex justitiæ* et *rex pacis* secundum Apostolum, ad Hebræos, VII, 1 et seq. : de quo dicitur, Genes. XIV, 18 et 19 : *At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei.* Ad Hebr. VII, 1 et seq. : *Melchisedech, rex Salem,... sine patre, sine matre, sine genealogia :... assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.*

Sanctum sacrificium, quoad plenitudinem gratiæ et virtutum copiam. Joan. III, 34 : *Non enim dat Deus ad mensuram spiritum*, supple, Filio qui in sacrificio continetur. *Immaculatam hostiam*, quoad innocentiam et peccati immunitatem. I Petri, II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

Et attende, quod tres illi typi de naturali lege sunt adducti : quia illi in fide patrum semper fuerunt accepti. Hostiæ autem legis Moysi numquam acceptæ fuerunt, sed ad tempus tolerabantur a Deo, ut potius Deo quam idolis immolarentur : eo quod carnalis populus pronus fuit ut hæc idolis immolaret. Et hoc dicit Petrus Apostolus in libro qui dicitur *Clementis Itinerarium*. Psal. XLIX, 13 et 14 : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.*

Et de hoc in ante habitis dictum est, et multa de hoc in ultimo tractatu continentur [2].

[1] Cf. Genes. XXIII, 13 et seq.

[2] Cf tractatum proxime sequentem, *De Eucharistia.*

CAPUT XV.

De modo ipso elevationis.

1. *Supplices te rogamus*, etc.

Supplicabi hostiæ Jesu et ministerio Angelorum levatur et altare perfertur

Hic post sacramenta virtute quorum ad Deum elevatur hostia, tangitur de ipsius sublevationis modo quo cum omnibus ad hostiam pertinentibus ad Deum in cœlum sublevatur.

Tanguntur autem hic quinque per ordinem : quorum primum est imploratio ut jussu Dei sublevetur. Secundum, ut elevetur ministerio Angelorum. Tertium, ut in altare Dei perferatur. Quartum, ut cum ipso et in ipso communicantes sacramento ad cœlum perferantur. Quintum, ut sic in cœlum perlati benedictione gratiæ repleantur.

Hanc autem orationem pronus et inclinatus ante altare dicit perfector sanctitatis, ut corpore ostendat mentis humilitatem per pronitatem et inclinationem, attendens hoc quod dicitur, Eccli. xxxv, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit : et donec propinquet non consolabitur : et non discedet donec Altissimus adspiciat.* Hoc ergo est quod dicit : *Supplices te rogamus, omnipotens Deus* : quia omnipotentiæ effectus est perlatio oblationis ad cœlum.

Jube hæc perferri : quia sine jussu Dei nihil de hoc fecit : quia jussus Dei omnia perficit. Psal. xxxii, 9 : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. Perferri* autem dicit, ut latio ad cœlestia perficiatur : quia multi incipiunt et non perficiunt. Perficitur autem latio ista in perseverantia. Matth. xxiv, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Per manus, hoc est, per operationes *sancti Angeli tui.* Non dicit hic *Angeli* pro uno Angelo, vel uno choro Angelorum, sed pro omnibus. Omnes enim cœlestes essentiæ, ut dicit beatus Dionysius, Angeli vocantur. Dicitur autem, Daniel. vii, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Hoc autem intelligendum maxime est fieri in sacramento altaris. Unde beatus Gregorius : « Quis fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri in illo Jesu Christi mysterio, Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus et invisibilibus fieri? » Sic ergo perfertur per manus sancti Angeli Dei.

In sublime altare tuum. Hic alludit ei quod præceptum est, Exod. xxxvii, 25 et 26, ubi præcipitur altare totum aureum fieri in templo ante sancta sanctorum, ad quod Pontifex introivit cum incenso thymiamatis, et adolevit illud.

In conspectu divinæ majestatis tuæ, quæ de propitiatorio quod erat intra sancta sanctorum, ad istud incensum adspexit. Unde altare illud radians auro divinitatis splendentis beatitudo est Filii hominis ad quem sociant nostrum sacrificium, et sibi sociatum est in altare aureum, quod semper est in oculis Domini prolatum. Unde Gregorius tractans illum versiculum Psalmi cxvii, 27, secundum translationem Aquilæ : *Constituite diem solemnem in frequenta-*

tionibus [1], *usque ad cornu altaris*, dicit sic : « Dies solemnis est Domino compunctio cordis nostri : sed tunc in frequentatione dies solemnis constituitur, cum in lacrymis pro amore ejus assidue mens movetur. Cui velut si diceremus : Tamdiu ista acturi sumus, quamdiu in tribulatione afficiemur ? illico terminum quousque fieri debeat, subjungit dicens : *Usque ad cornu altaris*. Cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris, ubi cum venerimus, jam nulla necessitas est ut solemnem diem Domino de nostri lamentatione faciamus. » Hæc sunt verba Gregorii. Constat autem, quod sacrificium interius spiritus contribulati non exaltatur nisi incorporatum altaris sacrificio. De hoc Augustinus super eumdem Psalmum sic dicit : « Est quoddam altare invisibile, ad quod non accedet injustus. Ille solus accedit, qui ad illud securus accedit. Illic invenit vitam suam, qui in isto altari visibili discernit causam suam. Non igitur sufficit in terra dies iste solemnis, quo Agnus occisus est, sed constituite illum in condensis Scripturarum, alta et secreta rimantes quousque perveniatis, exaltatis a Deo mentibus, usque ad ejus divinitatem. Et quid ibi aliud nisi laudes cantabimus ? Quid aliud dicemus, nisi, *Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus es tu, et exaltabo te* [2] ? non strepitu verborum ista dicemus, sed dilectio inhærens illi per seipsam clamat istam vocem. Dilectio enim nostra vox est. » Sic igitur perfertur in sublime altare Dei, quando omnes in sacrificio adhærent deitati Christi in conspectu majestatis Patris existentis. Psal. XLII, 4 : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

2. *Ut quotquot* de cleri servitute vel voto populi, *ex hac altaris participatione*, per metonymiam, hoc est, sacrificii altaris communione. Et hic osculatur sacerdos altare, ut se participem cum omnibus offerentibus sacrificii altaris ostendat. Psal. CXVIII, 63 : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua*, Domine.

Sacrosanctum Filii tui, tibi consubstantialis, et ideo in sublimi altari tuo oblati, *corpus*, nos sibi incorporans, *et sanguinem*, in uno spiritu nos potantem, *sumpserimus*, communicando sibi in corpore et spiritu, *omni benedictione* nos tuis benedictionibus replente, *cœlesti*, hoc est, cœlestium bonorum, *et gratia*, quæ gratum facit habentem et opus ejus gratum reddit, *repleamur*. Et de benedictione quidem dicitur, Deuter. XXXIII, 23 : *Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini.* Nephthali autem *latitudo* interpreratur, et signat eum qui dilatatus est in communione charitatis. De gratia autem dicitur, Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

Hic autem quando dicitur, *corpus*, fit crux super corpus, ut significetur benedictionis plenitudo a primo perfectore sanctitatis in corpus mysticum procedere. Et cum dicitur, *sanguinem*, alia fit crux, ut significetur in idem corpus mysticum procedere gratia. Et cum dicitur, *omni benedictione*, fit crux ante faciem sacerdotis, ut figuificetur in sacerdotem ut in hominem infirmum, qui pro se et pro populo offert, hæc eadem gratia manare a Deo. Quod autem hic quidam dicunt, quod per osculum altaris quod hic facit sacerdos, significetur osculum Judæ, quo tradidit Dominum : et per duas cruces quæ fiunt super corpus et sanguinem, significantur vincula et tractiones quibus trahebatur Dominus ad Annam pontificem : et per crucem qua faciem suam signat sacerdos, significentur sputa quibus consputus est Dominus : omnino profanum est, et omnibus fidelibus abominandum.

Quod autem sequitur : *Per eumdem* 3.

[1] Vulgata habet *in condensis*.

[2] Psal. CXVII, 28.

Christum Dominum nostrum, conclusio est sæpius exposita, cui nemo respondit *Amen* loco idiotæ : quia hic hoc sicut in aliis secretis conclusionibus, Angelis relinquitur qui assistunt sacramento, sicut dicit beatus Gregorius. Unde, Tob. XII, 12 : *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Et, Daniel. IX, 23, dixit Gabriel Angelus : *Ab initio precum tuarum egressus est sermo : ego autem veni ut indicarem tibi*, etc. : et in his omnibus nemo est adjutor meus nisi Michaël princeps noster. Unde Gregorius : « In ipsa immolationis hora cum adstantibus sibi ministris cœlestibus Christus, ut proposita consecret, adesse credendus est. » Hoc enim non est mirum, quod in isto sacramento Angeli ministrant, qui sicut dicitur, ad Hebr. I, 14 : *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi.* Sicut enim dicit Augustinus : « Ista sunt munera, ista sunt dona super omnem gloriam constituta, quibus fideles suos omnipotens Deus reficiens glorioso Filii sui corpore vivificat, sanctificat, et præparat æternitati. Per hæc corda fidelium omnium benedictione replet et gratia, tribuens corporibus castimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem. Per hæc tuetur suos misericordia, spe confirmat, munit charitate, ut tanti Domini participatione qui intra se Deum suscipiunt, templum ejus effici mereantur. »

De hoc eodem sacramento ita dicit Ambrosius : « Christus Ecclesiæ cibus est, Christus est potus, caro Dei cibus, et sanguis Dei est potus, Christus nobis quotidie ministratur : cibus iste non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Hic est panis vitæ. Qui ergo vitam manducat, mori non potest. Accedite ad eum, et satiamini : quia panis est. Accedite ad eum, et potate : quia fons est. Accedite ad eum, et illuminamini : quia lux est. Accedite ad eum, et liberamini : quia ubi spiritus Domini, ibi libertas est. Accedite ad eum, et absolvimini : quia remissio peccatorum est. Corpus autem Domini nostri Jesu Christi postulatio est divinæ reconciliationis et protectionis æternæ. Accipe tibi monimentum, suscipe tibi Dominum Jesum tuæ mentis hospitio : ubi enim corpus est, ibi est Jesus. »

CAPUT XVI.

De supplicatione pro his qui in sacramento sunt elevandi. Et primo, pro mortuis.

Memento etiam, Domine, famulorum, etc.

Hic tangitur specialiter de his qui in hostia ad cœlum oblata Deo offeruntur : et quia mortuis citius subveniendum, ideo tangit primo de mortuis, et postea de vivis, ibi, *Nobis quoque peccatoribus*, etc.

De mortuis etiam tangit dupliciter, scilicet in speciali, et in communi, ibi, *Ipsis et omnibus*, etc.

In speciali innuit tria, scilicet supplicationem memoriæ, mortuorum pietatem et professionem, et mortuorum per nomina designationem.

Dicit ergo : *Memento etiam, Domine,* Supplica-

tio pro defunctis.

hoc est, non sicut de his de quibus nullam vis habere memoriam et nullam notitiam, de quibus dicit Psalmista, Psal. XV, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Et, Matth. VII, 23 : *Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos.* Illi enim in Dei memoria non sunt, qui non sunt in libro vitæ, de quibus dicitur : *In civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*[1]. Non sint ergo tales, sed sint in notitia tua, sicut dixit, Exod. XXXIII, 12 : *Novi te ex nomine : invenisti enim gratiam coram me.* Qualis autem sit Dei memoria, in præmissis dictum est.

Famulorum famularumque tuarum, qui tibi in obedientia mandatorum famulati sunt : quia de ipsis qui numquam famulari voluerunt, nulla est apud Deum recordatio. II ad Timoth. II, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Joan. X, 14 : *Cognosco meas, et cognoscunt me meæ.*

Qui nos præcesserunt cum signo fidei. Tangit mortuorum pietatem et professionem. Præcesserunt autem nos decedendo *cum signo.* Cum signo autem *fidei*, hoc est, sacramenta fidei venerabiliter et reverenter suscipiendo. De illis etiam spes est apud Ecclesiam, et pro illis intercedit. II Machab. XII, 42 et seq. : *Vir fortissimus Judas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans : (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis).* Hæc est enim resurrectio prima, quod anima resurgat a peccatis in quibus detinetur. Et secunda resurrectio est corporum de sepulcris. Et de hac eadem fide suffragii mortuorum dicitur, Apocal. XX, 5 et 6 : *Hæc est resurrectio prima. Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima : in his secunda mors non habet potestatem :* quia illi æternaliter non damnabuntur.

Et dormiunt in somno pacis. Mors enim piorum somnus est : quia in dormiente magis quam in vigilante agit vita occulta, sed in eo tantum ligata est vita manifesta : et ita est in his qui mortui sunt cum signo fidei. In his agit plus vita gratiæ quam in vivis : sed vita manifesta operans in corpore, ligata est in eis usque ad corporum resurrectionem. Unde, Joan. XI, 11 : *Lazarus amicus noster dormit.* Luc. VIII, 52 : *Non est mortua puella, sed dormit.* Psal. CXXVI, 2 et 3 : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii : merces, fructus ventris.* Hi ergo *dormiunt in somno pacis :* quia si sunt in regno perfectionis, pacem acceperunt dicentes : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam*[2]. Apocal. XIV, 13 : *Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis.* Si autem sunt in purgatorio, tunc certa exspectatione in pace cordis exspectant suæ purgationis terminum, et liberationem a pœnis et locis pœnarum. Et ex verbo isto videtur innui, quod animæ in purgatorio non affliguntur ministerio dæmonum : quia cum dæmonibus somnum pacis non haberent : sed purgantur per seipsas sicut aurum purgatur et rutilat in igne. I ad Corinth. III, 13 : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Et infra, ℣. 15 : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Unde etiam non opinor, quod dæmones animas purgandas deferant ad loca pœnarum : quia sanctæ sunt animæ, et dicit David in Psalmo LXXIII, 19 : *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi*, hoc est, non trades eas potestati dæmonum affligendas, qui sunt bestiæ quasi vastiæ dictæ : *et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*, quia purgatas educes de locis pœnarum : sed potius animæ pondere venialium quæ secum portant de corpore exeuntes, tendunt profundius et minus profunde ad loca

[1] Psal. LXXII, 20.

[2] Psal. IV, 9.

pœnarum pro diversitate venialium quæ secum deferunt, sicut diversi ponderis gravia tendunt deorsum. Et ideo, Zachar. v, 7, dicitur iniquitas sedere super talentum plumbi. Et in Psalmo XXXVII, 5, dicitur de peccatis : *Et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Istis ergo valent suffragia.

Net N. Et hic fit mentio specialis quorumdam defunctorum, et præcipue pro quibus oblationes factæ sunt ad altare : quia vota eorum sunt in sacrificio, sicut diximus in ante habitis.

2. Et post mentionem specialium, quos sola cogitatione non verbo vocali recolit, stans ad aram perfector sanctitatis, prosequitur in communi dicens : *Ipsis, Domine,* quos in speciali designavimus recordatione, *et omnibus in Christo,* hoc est, in signis fidei Christi, *quiescentibus,* a laboribus vitæ exterioris. Job, III, 17 : *Requieverunt fessi robore.* Et ibidem, ℣. 13 : *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem.*

Locum refrigerii : quia jam non sunt in locis refrigerii, in quo divina foveantur consolatione. Et alludit ei quod dicitur, Zachar. IX, 11 : *Tu in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Hoc est refrigerium divinæ consolationis, et hoc dictum est quoad ignis afflictionem. Non ergo sunt de illis quibus nullum subvenit refrigerium. Luc. XVI, 24 : *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Et respondit Abraham post aliqua, ℣. 26 : *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hanc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Chaos enim illud profundissimum immobilitas est divinæ sententiæ, quæ nullum sanctorum in patria per compassionis suffragium permittit transire ad subventionem in inferno damnatorum, nec aliquem damnatorum per adoptionem refrigerii permittit transire liberatum ad locum beatorum.

Hic est ergo locus *refrigerii,* hic locus *lucis,* contra illud, quod in tenebris sunt qui in purgatorio purgantur : quæ lux maxime est in aperta Dei visione, de qua dicitur, I ad Timoth. VI, 16 : *Lucem inhabitat inaccessibilem.* De tenebris autem dicitur, Sapient. XVII, 20 : *Ipsi sibi fuerunt graviores tenebris.* Quia tamen interiorem habent candentem fidei lucem, merito illius lucis aliquando purgati ad fruitionem æternæ lucis exibunt. Mich. VII, 8 et 9 : *Consurgam cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum. Educet me in lucem, videbo justitiam ejus.*

Hic etiam dicitur locus *pacis* : quia animæ in locis pœnarum pacem ab extrinsecus affligente non habent, sicut dicitur, Baruch, III, 3 : *Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna,* hoc est, in loco beatorum, ubi, sicut dicitur ibidem, ℣. 17, est *lumen oculorum, et pax,* scilicet Christi, quam inveniunt illi qui perfecte custodiunt mandata : quia sicut dicit Psalmista, Psal. XVIII, 12 : *In custodiendis illis retributio multa.* Psal. CXVIII, 165 : *Pax multa diligentibus legem tuam.* Hæc autem pax quæ post turbationem purgationis oratur animabus omnibus, est pax Jerusalem cœlestis, de qua dicit Augustinus in libro XIV de *Civitate Dei* : « Pax cœlestis civitatis est concordia fruendi Deo, et invicem in Deo. »

Ut indulgeas, hoc est, ex bonitate tua indulgentiam tribuas, *deprecamur,* omnes qui tibi sacrificium offerimus, sive servitute, sive voto, dicentes cum Psalmista, Psal. CXLII, 2 : *Non intres in judicium cum servo tuo,* Domine, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et, Daniel. IX, 18 : *Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Et ideo oramus, ut

ex indulgentia dones locum refrigerii, lucis et pacis defunctis.

Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui defunctos in fide sua liberavit a locis pœnarum.

3. Suffragia Ecclesiæ quibus prosint?

Est autem hic annotandum quibus et ad quid prosint suffragia Ecclesiæ, et quæ sint suffragia, et qualiter sunt facienda.

Et circa primum quidem quatuor ordines defunctorum distinguit Augustinus, scilicet valde malos, et valde bonos, mediocriter bonos, et mediocriter malos.

Valde mali quidem sunt, qui in vita desperata vitam finierunt, dicentes dicto oris, vel perfidia cordis, vel facto operis illud Job, XXI, 14 : *Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiarum viarum tuarum nolumus.* Quia si etiam dicto oris vel fide cordis non dixerunt, tamen omni facto clamaverunt illud Apostoli, ad Titum, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Judæi ergo et pagani et hæretici dicunt illud perfidia cordis, blasphemi dicunt illud dicto oris, falsi Christiani dicunt illud facto operis. Illis ergo non prosunt suffragia Ecclesiæ : quia ut dicit Augustinus : « Dum viverent, non se dignos, sed potius indignos fecerunt ut eis talia salutis adminicula prodesse possent. »

Valde boni autem sunt statum puritatis tenentes, et nullis mundi sordibus inquinati, sicut sunt qui cum Apostolo dicunt, ad Philip, I, 21 : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Et post pauca, ℣. 23 : *Coarctor autem e duobus : desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* Hoc autem dicere debent devotione cordis, et veritate oris et intentionis, et facto operis : quia si etiam illis aliquid adhæret parvum ex terrena ista et contagiosa inhabitatione, dicit Augustinus, quod illud quod facit gutta in camino, hoc facit tale parvum veniale in tali viro justo. Consumitur enim calore ferventissimæ charitatis. Hi ergo, ut dicit Augustinus, tam boni sunt, quod talibus remediis non indigent.

Mediocriter autem boni sunt, qui sine mortali aut sunt, sicut innocentes, aut mortalia sua per compunctionem et confessionem et satisfactionem venialia fecerunt, et bonis operibus inhærendo, et obedientia mandatorum et decretorum Ecclesiæ vixerunt, tamen perfectam consiliorum vitam non tenuerunt : et ideo multa de terrena contagione eis venialia adhæserunt, quæ tamen levia sunt et otiosa et neglecta, et non satis devota, bona, perfecta : et isti quidem in purgatorio cremabilia habent, sed magnam et notabilem ad ignem non habent resistentiam : et ideo lignum, fœnum et stipula non vocantur [1].

Mediocriter autem mali sunt, qui mandatorum quidem habent custodiam et mortalia sua per pœnitentiam in venialia commutaverunt, sed tamen more et sollicitudine curæ sæcularis pro domibus et uxoribus et filiis multa non mortalia, sed a servitio et sollicitudine Dei et fervore charitatis et devotionis multum retrahentia et fortiter ad imum tendentia et illaqueantia in concupiscentia carnis et cupiditate rerum, citra Deum tamen et divinum præceptum commiserunt et committunt quolidie, qui notabilem ad ignem habent resistentiam antequam crementur : et ideo illi ligna, fœnum, et stipulam superædificant supra fidei fundamentum [2]. Ligna in majoribus diutius ardentibus, fœnum in mediocribus, et stipulam in minimis, tamen ad ignem ordinatis. Et illis duobus defunctorum generibus prosunt suffragia Ecclesiæ. Et sit patet primum, scilicet quibus prosunt suffragia. Unde Augustinus dicit : « Si scirem patrem meum esse in inferno, non plus rogarem pro ipso quam pro diabolo. » Illi enim, ut diximus, sunt ultra chaos divinæ misericordiæ, et

[1] Cf. I ad Corinth. III, 12.

[2] Ibid.

eorum non erit recordatio ad bonum.

Ad quid autem prosunt, iterum dicit Augustinus, dicens quod quibus prosunt vel ad hoc prosunt, ut velocior sit eorum liberatio, vel ut tolerabilior sit eorum damnatio. Mediocriter autem bonis et mediocriter malis prosunt, ut velocior sit eorum liberatio : et ideo tot possunt fieri suffragia pro uno aliquo, quod statim in momento liberatur : et ideo in hoc solo casu melior est conditio divitis quam pauperis : quia habet unde suffragia fiant pro ipso. Unde, Proverb. XIII, 8, dicitur : *Redemptio animæ viri divitiæ suæ.* Quod autem dicit Augustinus, quod ad hoc prosunt ut tolerabilior sit eorum damnatio, diversimode intelligitur a Doctoribus magnis. Præpositivus enim dicit, quod propter hoc verbum suffragia prosunt valde malis in inferno damnatis, sed non ad liberationem : dicebat enim, primum quidem quod fit pro tali aliquo, tantum tollit pœnam vel partem pœnæ a damnatis, sequens autem suffragium non tollit tantam ut primum in mensura quantitatis, sed tollit tantam in proportione : et quia pœna eorum extensive accepta secundum modum continui divisibilis est in infinitum, ideo illa pœna numquam finitur per suffragium et tamen per omne suffragium tolerabilior efficitur. Hujus autem exemplum dabat in continua linea, quæ si dividatur per æqualia in quantitate mensuræ, sicut per duo æqua, vel tria, vel quinque, et sic deinceps æqua in mensura, tunc procul dubio stabit divisio et finietur linea : quia tales partes non infinitæ sunt in ipso. Si autem sic dividatur, ut primo dividatur per duo, vel per tria, et sic deinceps, et residuum iterum dividatur per duo, vel per tria quæ sunt dimidia, vel tertia residui non æqualia primis nisi proportione residui, numquam stabit divisio, sed procedit in infinitum : quia definitio continui est in infinitum divisibile esse. Tali ergo divisione dicebat a damnatis pœnarum divisionem per suffragium Ecclesiæ fieri. Sed quæratur a Præpositivo, quæ sit causa quod secundum suffragium minus in quantitate pœnæ tollit quam primum, cum in omni natura duo æqualiter agentia, æqualiter tollant et abjiciant de passivo? et non poterit causam rationabilem assignare. Aduc autem secundum plus debet tollere quam primum : quia pœna illa diminuta per primum, minus potest resistere secundo quam primo.

Et ideo dicimus hanc opinionem fictionem esse. Ideo dixerunt Cantor Parisiensis et Stephanus Cantuariensis, quod in veritate secundum tantum in mensura quantitatis pœnæ tollit, quantum primum, et quod pœna tolli potest totaliter a damnato per suffragium Ecclesiæ multiplicatum : sed pœna totaliter suspensa iterum in infinitum relabitur : quia non liberatur nisi per gratiam, cujus damnatus non est susceptibilis. Hoc autem confirmant isti per dictum Joannis Chrysostomi, qui distinguit, quod duplex est misericordia Dei, scilicet liberans et relaxans. Liberans est, quæ ex toto indulgens liberat : et hæc, ut dicit, non est super omnia opera Dei : quia non est super damnatos. Est autem misericordia relaxans : quia citra condignum puniens in omni judicio partem pœnæ relaxat, et numquam totam : et hanc dicit esse super omnia opera Dei, etiam super damnatos. Et sic intelligi potest illud Psalmi CXLIV, 9 : *Et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et illud Psalmi XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Et illud Jacobi, II, 13 : *Superexaltat autem misericordia judicium.* Quærimus autem ab his quæ sit causa, quod jam liberatus relabitur in pœnam : quia apud justum judicem si aliquis satisfecit pro reo, et judex acceptavit satisfactionem, omnino injustum est iterum reum in pœnam revocare : et isti de hoc nullam convenientem possunt assignare rationem. Adhuc autem auctoritates Canonis sunt contra istam opinionem : dicitur enim, Job, XV, 30 et 31, de damnato : *Non recedet de*

tenebris : ramos ejus arefaciet flamma, et auferetur spiritu oris sui. Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. Proverb. VI, 34 et 35 : *Quia zelus et furor viri non parcet in die vindictæ : nec aquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

Ideo post istos venit magnus doctor Gulielmus Altisiodorensis, et dixit, quod pro certo pœna ignis non diminuitur, nec suspenditur a damnatis per Ecclesiæ suffragium, tamen prodest ut tolerabilior sit eorum damnatio : quia confortat patientem, ut confortato vigore levius ferat ignis incendium. Hujus autem dedit exemplum, sicut quando aliquis pondere magno gravatus, lassitudine debilitatur : si quis in faciem ejus fundit aquam frigidam, in nullo quidem pondus alleviat, et tamen illum ad levius sustinendum confortat et refrigerat : et in hoc sensu dixit divitem suffragium guttæ aquæ petere ut refrigeretur. Sed hoc valde mirabile est, qualiter etiam fingi possit hoc quod dicit iste : cum Abraham dicat tantum esse chaos [1], quod etiam minimum compassionis suffragium a sanctis ad damnatos non poterit derivari. Adhuc constat, quod nihil potest relevare pœnam damnati nisi peccati diminutio vel dimissio : quia nihil facit animam ab igne passibilem nisi peccatum : peccatum autem nec dimittitur nec diminuitur nisi per gratiam. Gratia autem secundum fidem Catholicam non sunt susceptibiles damnati : quia dicit Damascenus, quod oportet scire, quia quod in Angelis est casus, hoc est in hominibus mors : et sicut Angeli post casum non sunt reparabiles vel gratiæ susceptibiles, ita nec homines post mortem.

Et ideo temporibus nostris in doctrina florentes Theologi omnes istas opiniones abhorruerunt, et dixerunt, quod si prosunt damnatis suffragia, quod in altera parte pœnæ prosunt eis, et non in tota. Sunt enim damnati ad ignem et conscientiæ vermem, sicut dicitur, Isa. LXVI, 24 : *Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur.* Et ideo ad mitigationem ignis nihil prosunt, sed conscientiæ vermis remordet de tribus, scilicet de peccato commisso, et de bono a seipso omisso, et de bono cujus ipse potuit esse causa ut fieret ab altero non facto. Dicunt igitur, quod non mitigatur de duobus primis : quia hæc duo sunt præterita et necessaria, sed de tertio et crescit et mitigatur. Si enim per malum suum causa est mali in alio, toties crescit vermis, quoties crescit et dilatatur malum illud in alios quos involvit : et in hoc sensu dicit Ambrosius, quod ignoratur pœna Arii, quia nescitur quot errore ejus sunt subvertendi. Si autem causa fuit ut bonum fieret per alium, toties decrescit vermis, quoties bonum illud multiplicatur, et quoad hoc solum prodest damnatis Ecclesiæ suffragium : et hoc quia rationem habet Catholicam, puto esse tenendum. Et ideo dicitur, Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas.*

3. Quæ et quibus facta suffragia pro sint?

Quod autem quæritur, quæ sunt suffragia quæ valent mortuis, dicit Gregorius in *Dialogo*, quod eleemosynæ, vigiliæ, et orationes, et cætera bona Ecclesiæ sunt suffragia : maxime tamen defuncti apparentes vivis requirunt sibi fieri oblationem sacræ hostiæ in Missa : quia illa liberavit de inferno in limbo patres detentos, quando in crucis altari offerebatur, sicut in ante habitis diximus.

Et quod quæritur, a quibus sunt facienda, quia scriptum est, Joan. IX, 31 : *Peccatores Deus non audit.* Dicendum quod omnibus tam justis quam peccatoribus fieri debent : quia non recipiuntur a Deo in charitate viventium, sed in charitate defunctorum qui sunt causa, quod ista

[1] Cf. Luc. XVI, 26.

fiunt a vivis. Si enim quæreretur justus qui faceret, cum nemo sciat utrum odio vel amore dignus sit [1], revocaretur in dubium totum quod facit Ecclesia de suffragiis defunctorum.

Sic igitur Ecclesia Catholica tali fide offert pro defunctis omnibus: quia de quolibet præsumit, quod sit in loco purgandorum, cum sibi constare non possit de impœnitentia finali alicujus, quia solus Deus novit corda decedentium. Scit ergo Ecclesia illud dictum Domini, Ezechiel. XVIII, 21 et 22: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et pie credit Ecclesia, quod multi etiam post positionem loquelæ de peccatis suis ingemiscunt in pœnitentiam salutarem. Pro excommunicatis tamen et publice damnatis non nisi silenter in corde et non publice orare consuevit Ecclesia.

Hæc igitur breviter de memoria defunctorum sint dicta.

CAPUT XVII.

De supplicatione seu elevatione vivorum in hostia.

Nobis quoque peccatoribus, etc.

Tangitur hic vivorum elevatio in hostia ad Deum. Dicuntur autem hic tria, scilicet qui et quales Deo in hostia offeruntur, et ad quid. Secundum incipit ibi, *Cum tuis sanctis.* Tertium, ibi, *Intra quorum nos consortium,* etc.

In primo horum tria dicuntur, scilicet qui, quales, et qualiter.

Dicit igitur: *Nobis quoque peccatoribus,* qui pro aliis intercedimus, cum tamen nos magis hac gratia indigeamus. Ad Hebr. v, 3: *Quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso debet offerre pro peccatis.* Dixit enim Jacob, Genes. XXX, 30: *Justum est ut aliquando provideam etiam domui meæ.* Dicit enim, *peccatoribus:* quia dicitur, Proverb. XVIII, 17: *Justus prior,* scilicet a principio orationis, *est accusator sui.* Unde etiam sacerdos in hac oratione aliquantulum elevat vocem, et tundit pectus: quia tunsio per hoc quod ictus est inferens afflictionem, significat satisfactionis laborem. Per hoc autem quod sonus est, cum sono vocis significat confessionem. Per hoc autem quod cum gemitu est, significat contritionis compunctionem. Quod autem quidam dicunt, quod hæc elevatio vocis significat Christi cum clamore in cruce mortem, reputo derisionem: quia submisse clamat sacerdos, et Christus clamavit alte, et propterea nulla fit mentio de Christi clamore.

Famulis tuis. Ecce quales sint, quia famuli per obedientiam: *et de multitudine miserationum tuarum sperantibus,* per spem quam habent ad veniam. Tales enim jam incorporati Christo cum ipso Patri in cœlum ad sublime altare offeruntur, sicut diximus. Unde Christus dixit, Joan. XII, 26: *Et ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Minister autem est verus famulus. De misericordia autem dicitur, Thren. III, 22: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: quia*

[1] Eccle. IX, 1.

non defecerunt miserationes ejus. Multitudo autem dicitur miserationum : quia et in multis est, et ad multa quibus indigemus. Isa. LXIII, 15: *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum?* Psal. XXXII, 5 : *Misericordia Domini plena est terra.*

Partem aliquam. Eccce qualiter partem aliquam meritis et tuæ largitati condignam. Ad Coloss. I, 12 : *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine.* Et sic in Psalmo XV, 5, dicitur : *Pars hæreditatis meæ.* Et sic dicitur, ibidem, ℣. 6, quia *funes* partes sortium nostrarum in beatitudine mensurantes *ceciderunt nobis in præclaris* partibus hæreditatis æternæ.

Et societatem: quia ex societate sanctorum bona uniuscujusque efficiuntur omnium in beatitudine communia. Psal. LXXXVI, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

Donare digneris: quia omnia Dei dona sunt, et de suo nemo aliquid in bonis influit. Unde versus :

Quidquid habes meriti, præventrix gratia donat.
Nil Deus in nobis præter sua dona coronat.

I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti : si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?*

2. *Cum tuis sanctis.* Ecce cum quibus : et tangit Ecclesia tantum eos de quorum fide et beatitudine sufficienter est certificata, et alios non tangit nisi in communi. *Apostolis* non a Domino electis, sed potius sorte vel alio signo Spiritus sancti electis : *et martyribus*, fidei testibus.

Cum Joanne. Illum opinor esse Joannem Baptistam, qui martyr est, ut habetur, Matth. XIV, 10, et sic inter martyres ponitur : de quo Christus dixit, Matth. XI, 11 : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* Hic finis est legis et prophetiæ et initium Evangelii. Unde, Matth. XI, 13 : *Omnes prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Et supra, ℣. 12 : *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

Stephano, qui propter privilegium virginitatis primus prælatus est ab Apostolis viduis et virginibus, sicut legitur, Act. VI, 5. Qui sanctitatis habuit præconium. Unde, Act. VI, 8 : *Stephanus autem, plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.* Et ibidem, VII, 55 : *Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei.* Qui propter sanctitatem et sapientiam confutator fuit erroris et veritatis defensor invictus. Act. VI, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.* Qui per mortem lapidum testis fidei, et se suscipientem in cœlo paratum vidit Jesum. Act. VII, 56 : *Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Qui propter nimiam charitatem pro se lapidantibus oravit Dominum, et se lapidantem converti impetravit Paulum. Act. VII, 59 et 60 : *Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, etc.

Mathia, qui sicut dicitur, Act. I, 23 et seq., sorte electus est in Apostolum, ut *acciperet locum ministerii et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas*, ut esset testis resurrectionis Christi. Sors autem illa, ut dicit beatus Dionysius, non fuit nisi impetratio signi quo Spiritus sanctus illum assumendum esse ostendit et non alium. Act. I, 26 : *Cecidit sors super Mathiam : et annumeratus est cum undecim Apostolis.*

Barnaba, qui etiam signo quod dedit Spiritus sanctus, segregatus est in apostolatus officium cùm Paulo. Act. XIII, 2 : *Dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.* Hic primus cum Paulo fuit Apostolus gentium et ideo a gentium reliquiis specialiter honorandus. Actu.

XIII, 46 et 47 : *Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt*, scilicet ad Judæos : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ* [1].

Ignatio, qui gloriosissimus fuit martyr contemporaneus Apostolorum, pedissequus Virginis beatæ, qui condemnatus ad bestias, et Romam delatus, rogavit ut sancti in passione ejus non deficerent. Qui protestatus est in theatro, quod non ut malefactor puniretur, sed sicut Christi discipulus. Qui bestias quæ sibi Dei virtute mansuetabantur, contra se, ut devoraretur, provocavit. Qui publice hæc verba dixit : « Ignis, crux, bestiæ, ossium confractio, membrorum divisio, tormenta diaboli in me veniant, ut Jesu fruar. » Et hæc omnia ipse Ignatius in epistola quam Romanis direxit, scribit. Qui cum esset in dentibus leonis, alta voce dixit : « Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molor, ut panis mundus inveniar. » Qui, ut scribit Dionysius de eo, in ore aliud non habuit, nisi hæc verba : « Amor meus crucifixus est. » Qui multas laudes in diversis epistolis de matre Dei, cujus capellanus fuit, scripsit. Cujus ignitum cor cum partibus multis divisum esset, nomen Christi in singulis partibus, aureis litteris scriptum inventum est, ut habetur in Chronica Martiniana sub Trajano imperatore, anno Domini 96. Romæ autem passus, Antiochiæ requiescit in basilica nomini suo consecrata in suburbio civitatis.

Alexandro, qui Papa fuit urbis et orbis, et cum Eventio et Theodolo passus Romæ quiescit ad sanctam Sabinam in altari majori.

Marcellino, *Petro*, qui comites fuerunt individuæ passionis et fidei, quos eadem fides et passio fratres effecit.

Felicitate, cujus fides mirabilis fuit, ut septem filios sicut mater Machabæorum offerret passioni pro Christo.

Perpetua, quæ privilegio castitatis et fidei meruit martyrio coronari.

Agatha, quam mammillis abcissis ipse in carcere consolatus est Apostolorum princeps Petrus, et exhibuit beneficium plenæ curationis.

Lucia, quæ patrimonio distracto et contempto thoro pro fide et religione Christiana pugnavit, et per martyrium triumphavit.

Agne, sive *Agnete*, cujus tanta est auctoritas, quod ipse doctor veritatis Ambrosius scribit passionem ejus, et in die passionis ejus missa et sermone solemnizasse legitur eam Augustinus.

Cæcilia, quæ Evangelium Christi semper gerebat in pectore, et non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione vacabat. Quæ cilicio membra virginea domabat. Quæ Tiburtium et Valerianum sponsum suum ad coronam martyrii vocabat. Quæ tandem flammis balneariis superatis, martyrium detruncato capite promeruit, et pacem sanctis sui martyrii merito concessam esse prædixit.

Anastasia, cujus eleemosynæ ipsi martyrii palmam promeruerunt.

Et omnibus generaliter *sanctis tuis*, quorum fides et merita Deo sunt nota. De quibus dicitur, Job, XXV, 3 : *Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surget lumen illius ?*

Intra quorum. Tangit qualiter in sublime altare petit recipi quos offert, quia ad consortium sanctorum quorum indubitata est ad gloriam receptio, dicens : *Intra quorum* sanctorum, *nos* qui in hostia offerimur, *consortium*, ut eamdem sortem beatitudinis obtineamus. Ad Ephes. III, 18 : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit lati-* 3.

[1] Isa. XLIX, 6.

tudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum. In his dimensionibus consistit sors hæreditatis nostræ.

Non æstimator meriti. Quia sicut dicitur, Isa. LXIV, 6 : *Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Ideo non possumus aliquid præsumere de æstimatione meritorum.

Sed veniæ, quæsumus, Domine, largitor, quia totum est ex indulgentia et liberalitate tua, *admitte*, ut eorum consortio annumeremur. Et hoc est quod dicit David : *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem* [1]. Ac si dicat : Nisi benigne facias de tua bona voluntate, ut de vivis lapidibus reædificentur muri Jerusalem.

Per Christum Dominum nostrum. Hoc sæpius expositum est.

Hoc est ergo quod dicit, quod vivi offerendi sunt in oblatione : et sic de mortuis et vivis in oblatione offerendis est habitum, ut diximus.

CAPUT XVIII.

De operibus sanctæ Trinitatis in confectione corporis Domini.

1. *Per quem hæc omnia, Domine.* Hæc est conclusio totius Canonis : et concluduntur hic ea quæ circa confectionem corporis Domini sunt opera Trinitatis.

Dividuntur in duas partes, ita quod in prima sunt ea quæ sunt ex parte sacramenti, in secunda autem continentur ea quæ sunt ex parte operantium in sacramento personarum, ibi, *Per ipsum.*

Ex parte autem eorum quæ sunt in sacramento, quatuor dicuntur quæ per ordinem manifestata sunt in littera.

Dicit igitur, *Per quem*, sicut mediatorem qui se rem fecit tanti sacramenti, *hæc omnia*, tam de frugibus oblata, quam de eis qui in sacramenţi offeruntur oblatione, *semper*, ut omni tempore offerri possint, *bona*, quia quæcumque sunt a bono, bona sunt. Genes. I, 31 : *Vidit Deus omnia quæ fecerat, et erant valde bona.*

Creas per naturam quam instituisti : et ideo culpa carent. Dicit enim Augustinus : « Quia bonus est, sumus : et in quantum sumus, boni sumus. » Sicut enim dicit Dionysius, boni est optima adducere. Et quia ista bonitas creaturæ indita est omni creaturæ, ideo nulla crux fit super hoc verbum.

Hæc autem quæ ad fructum omnium te optimo Deo creata sunt in sacramento, *sanctificas*, dum idonea facis ad sanctitatem sacramenti. I ad Timoth. IV, 5 : *Sanctificatur autem per verbum Dei et orationem.*

Vivificas : quia transsubstantias in corpus vivum et gloriosum et divinum. Ezechiel. XLVII, 9 : *Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet.* Sic enim dicit Filius Dei, qui habet vitam in semetipso, Joan XIV, 19 : *Ego vivo, et vos vivetis.* Et, Joan. X, 28 : *Ego vitam æternam do eis, et non peribunt.*

[1] Psal. L, 20.

Ergo quoad speciem sacramenti sanctificat : quoad rem autem contentam quæ est sacramenti res, vivificat, quæ est corpus Christi verum et vivum quod de Virgine traxit : quoad rem autem sacramenti *benedicis* : quia hæc est res contenta et significata omnibus præstans gratiam. Psal. CXXVIII, 8 : *Benedictio Domini super vos. Benedeximus vobis in nomine Domini.*

Quoad liberalitatem autem dantis hoc sacrificium, dicit : *Ac præstas nobis.* Ipse enim paratus est dare omnibus omnia superabundantius quam petimus aut intelligimus : quia ipse ex liberalitate sua largitor est omnium bonorum.

Hæc igitur sunt ex parte sacramenti.

In omnibus autem his præter quam in primo, quod facit Deus pro se sine nobis, et præter ultimum, quod iterum facit Deus propria bonitate, fit crux, ut virtus crucis intelligatur facere. Et quod hæc virtus a primo perfectore sanctitatis intelligitur procedere in sacramentalibus. Psal. CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Libera enim manu largitur suas benedictiones.

2. *Per ipsum.* Hic tangit Trinitatis in sacramento indivisas, et tamen appropriatas operationes. Primo autem tangit operationem quæ est Filii quando dicit, *per ipsum*, quod notat causam mediam. Mediator enim unus est Dominus Jesus Christus. I ad Timoth. II, 5 : *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*, per quem hæc omnia sicut per seipsum mediantem hæc perfecta sunt.

Cum ipso. Hoc attribuitur Patri qui cum Filio semper operatur redemptionis opera, ut inter Patrem et Filium consensus notetur, sicut ipse dicit, Joan. V, 19 : *Quæcumque ille,* scilicet Pater, *fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Unde dicit etiam, Joan. XIV, 10 : *Pater autem in me manens, ipse facit opera.*

In ipso dicit propter Spiritum sanctum : quia in illius bonitate omnia perficiuntur opera. Et dicitur *in ipso*, propter continentiam. Unde, ad Roman. XI, 35 : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.*

Est tibi Deo Patri, in qua prolatione fit crux ante calicem, ut significetur quoniam in Patre est auctoritas totius divinitatis. *Omnipotenti* autem dicit, quia omnia hæc ut in corpore mystico perficiantur, omnipotentiæ est Dei Patris. Patri enim attribuitur omnipotentia : quia potentia perfecta non vult ab alio esse, sed a seipso.

In unitate Spiritus sancti : et fit crux per totum calicem, ut continentia Spiritus sancti significetur. II ad Corinth. XIII, 13 : *Communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

Omnis honor, qui virtuti, ut sæpe diximus, debetur. *Et gloria,* quæ debetur toti præconio Trinitatis : quia sicut dicit Augustinus, gloria est clara cum laude notitia, quæ sola clara est in notitia sanctæ Trinitatis. I ad Timoth. I, 17 : *Soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Hic autem Deus, ut dicit Augustinus, est Deus Trinitas.

Per omnia sæcula sæculorum. Hoc sæpius expositum est. Psal. LXXXIII, 5 : *In sæcula sæculorum laudabunt te.*

Amen autem hic chorus respondet : quia hoc sacerdos propter sequentia publice dicit. Hæc autem secunda est secreta, quæ, ut diximus, ideo sub silentio dicitur, ne populo unde occasionem ruinæ accipiat, pandatur.

3. Quod autem quidam dicunt, quod istud secretum silentium significet quod Dominus cum discipulis habuit, quando sermone finito oravit tertio, non credimus, et derisionem reputamus : quia nulla de hoc penitus fit mentio in littera : et ideo tales expositiones pertransimus. Sed ut sacerdos in devotione permaneat, ideo silendum est, et ut secreta canibus, hoc est, illitteratis non pandantur, ideo

putamus, quod silentium istud et alia sunt ordinata.

Quod autem hic finita sit tota conclusio Canonis, patet per hoc quod omnia quæ ad sacramentum pertinent, scilicet quoad idoneitatem materiæ, quoad confectionem sacramenti, quoad elevationem oblatorum, jam rite sunt perfecta. Quæ autem sequuntur, ad distributionem pertinent et ad communionem sacramenti, sicut diximus a principio, quando Canonem divisimus in partes.

CAPUT XIX.

De excitatione desiderii ad petendum panem cœlestem, et de præmissione institutionis orationis Dominicæ.

1. *Oremus : Præceptis salutaribus moniti*, etc.

In hac conclusione perfector sanctitatis stans ad aram quasi confecto jam pane cœlesti, alta voce prænonet omnes petere hunc panem, attendens quod in desiderio primum diu est ante desideratus, quamvis nullus esset qui esurientibus dare et frangere posset, sicut, Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Hoc autem modo speratur a benignitate Domini, quod suis quidem viribus, sed sacerdotis manibus frangatur et distribuatur unicuique secundum quod oportet : et ideo ad excitandum hoc desiderium sacerdos exaltat vocem in hac oratione.

Et ideo hic duo facit : excitat enim desiderium ad petendum panem cœlestem cum dicit in communi : *Oremus*, sciens quod dicitur, Jacobi, v, 16 : *Multum valet deprecatio justa assidua.* Attendit benignitatem largitatis divinæ, quæ de facili inclinatur ad consensum orantium : quia promisit, Exod. XVI, 48 : *Mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sum Dominus Deus vester.* Mane enim exaudivit ad votum, qui sæpe prevenit exaudiendo ipsum petentem et orantem.

Hac ergo de causa clamat, *Oremus.* In oratione autem duo facit. Præmittit orationis institutionem divinam, ne temerarius judicetur in tanta rei petitione : et consequenter Dominicam inducit orationem.

In præmissione institutionis duo facit : allegat enim obligationem præcepti, et doctrinæ ostendit institutionem divinæ.

De præcepto dicit : *Præceptis salutaribus moniti.* Præceptum enim necessariæ est obligationis. Hoc autem præceptum est, Matth. VI, 9, ubi Dominus dicit : *Vos autem sic orabitis.* Luc XVIII, 1 : *Quoniam oportet semper orare, et non deficere.* Est enim præceptum Apostolicum, ad Coloss. IV, 2 : *Orationi instate, vigilantes in ea.* Hæc autem præcepta sunt salutaria : quia oratio est salutaris salvans hominem ab omnibus malis. Jacobi, V, 15 : *Oratio fidei salvabit infirmum : et si in peccatis sit, remittentur ei.* Unde, Sapient. XVIII, 21, cum pontifex oraret pro populo, dicitur sic de eo : *Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.* Hoc salutari ad orandum præcepto moniti et

præmoniti a Deo benignissimo, qui semper monet nos de salutaribus. Ad Hebr. XII, 10 : *Hic autem*, scilicet Filius Dei, *erudit nos ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.* Isa. XXX, 20 et 21 : *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum : et aures tuæ audient verbum post tergum monentis.*

Et divina institutione. Tangit institutionem ipsius orationis de pane cœlesti, qui divinæ est auctoritatis. Et est sensus : Et nos formati divina institutione, hoc est, instructione qua instruxit nos ut sciamus petere quæ conveniunt ad salutem : quia sicut dicitur, ad Roman. VIII, 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, hoc est, docet nos postulare. Et ideo Christus spiritu Dei plenus, sciens quod oportet orare, ad has orationis petitiones nos instruxit et informavit. Et in hoc affectu dixerunt discipuli ad Dominum, Luc. XI, 1 : *Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos.* Et tunc in discipulis omnes nos Christus instituit ad hæc oranda.

Sic ergo instituti tam authentica disciplina, *Audemus dicere :* jam enim scientes quid et a quo petere debeamus, nec nobis dicetur id quod, Matth. XX, 22, dicitur filiis Zebedæi : *Nescitis quid petatis :* nec repulsam patiemur cum Paulo nesciente quid peteret, II ad Corinth. XII, 8 et 9, dicente : *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me : et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea.* Et quia jam dignificati sumus præcedente hujus officii sanctificatione et sacrificii in quo Deo oblati sumus oblatione, non dicetur nobis illud libri II Machabæorum, IX, 13, quod dictum est Antiocho impiissimo : *Orabat autem scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus.*

Sic ergo parati præcepto et institutione præcepti, audemus dicere : *Pater noster,* etc.

CAPUT XX.

De ipsa oratione Dominica.

Pater noster, etc.

In hac oratione Dominica duo dicuntur, scilicet captatio benevolentiæ ad eum a quo petitur, id quod petitur et ipsæ petitiones. Petitiones enim incipiunt ubi dicitur : *Sanctificetur nomen tuum.*

Captatio autem benevolentiæ duo habet : captamus enim benevolentiam allegando dulcedinem affectus ejus a quo petimus, et allegando petendorum honestatem : eo quod nihil nisi cœlestia petere proponamus, et bona quæ bonus Pater ex sua honestate libenter a se peti desiderat. Et hoc facimus dicendo : *Qui es in cœlis.*

Primum igitur est quod dicimus captando benevolentiam a persona a qua petimus, *Pater noster.*

Dicimus enim *Pater noster*, ut principium orationis dulcescat in nomine Patris. Sapient. XVI, 21 : *Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat.* Dulcissimum enim nomen est in ore filii nomen patris, si filius in Spiritu qui a Patre procedit in Filium, nominet et invocet Patrem. Ad Galat. IV,

6 : *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem*: *Abba, Pater*. Sic in ore filii nomen patris mei est sub lingua, melos in aure, et in corde jubilus. Sic Filius nominavit Patrem, Marc. XIV, 36 : *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Sic Filius invocans Patrem in Spiritu dilectionis, qui in Filium procedit a Patre, unus in spiritu et concors efficitur. I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*, scilicet cum eo.

Pater nomen dulcedinis et formativæ virtutis.

Est autem pater non tantum nomen dulcedinis, sed etiam formativæ virtutis : virtus enim patris etiam carnalis quæ a dulcedine naturæ stillat in matrem, quando recepit guttam dulcissimam et concepit, habet in se virtutem formativam, qua format sanguinem matris in partum, et filium patris, et hominem perficit ad patris similitudinem perfectam nisi obstat inæqualitas et inobedientia materiæ, in qua formationem operatur. Cum autem hanc virtutem dicat nomen *patris*, et ab hac virtute sit impositum, constat quod nullus carnalis pater hanc virtutem habet a seipso, nec ipse est primum istius tam notabilis virtutis principium, sed virtus hæc est imago quædam et exemplum in hominibus, et exemplar principium et causa et archetypus est in primo patre, sicut omne verbum virtutem suam accipit a priori in ordine suo, quod est ejus principium secundum naturam. Unde dicitur, ad Ephes. III, 14 et 15 : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur.* Quod verbum tractans beatus Dionysius dicit quod omnis paternitas ex qua sunt deorum et hominum patres et filii, est ex patriarchia super omnes paternitates elevata. Consideravit hoc sapiens et pia mater septem fratrum supra modum laudabilis et bonorum memoria digna, II Machab. VII, 22 et 23, dicens ad filios : *Nescio qualiter in utero meo apparuistis*: *neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi : sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam.*

Igitur secundum hoc primus pater Deus est, habens virtutem immaterialem divinam ante omnes et super omnes immaterialiter nos formans ad suam imaginem et similitudinem : neque enim virtus perfecta est nisi figuratam imaginem ad perfectam perducat patris similitudinem. Si enim imago optime lineis congruis protracta sit ad vultus paterni configurationem, et materia squalens et discolor colore debito carens et vita et spiritu, non dicitur esse perfecta virtus formativa. Perfecta autem est, quando congruit et in figura, et impletione pinguedinis decentis, et coloris pulchritudine, et in spiritus hilaritate, et vigore virtutis, et actibus et motibus et pulsibus vitæ. Hinc est, quod non dicitur : *Faciamus hominem ad imaginem nostram* tantum, sed additur, *ad similitudinem* [1] : ut sicut gerit imaginem in naturalibus, scilicet memoria, intelligentia, et voluntate, sic perferat similitudinem in hoc quod memoria sit sine oblivione notitiam Dei retinens, quasi quædam immutabilitas æternitatis et intelligentia plena luce veritatis divinæ ignescentis et candentis, sicut dicitur de ea, Sapient. VII, 26, quod ipsa *candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Et supra, ℣. 25, dicitur etiam *emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sinceræ*, et voluntas tota ardens desiderio paternæ charitatis, ita ut cum Apostolo, II ad Corinth. V, 14, dicamus : *Charitas Christi urget nos.* Et illud ejusdem Apostoli, ad Roman. V, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et in corde ni-

[1] Cf. Genes. I, 26.

hil pulset nisi vita Dei Patris, sicut dicitur, Deuter. IV, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem.* Verecundum enim est si tanta virtus Patris de gutta dulcedinis sui cordis mortuam formet imaginem. Hoc enim tamquam inutile abortivum projicitur in adspectibus hominum. Hoc intendit vivus et naturalis Filius, quando omnibus filiis in discipulis dixit, Joan. XIV, 19 : *Vos videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis.* Joan. V, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.*

Congruitas autem et venustas coloris est inpulchritudine virtutis, ut concolores simus Angelis, et illi de quo dicitur, Cantic. I, 15 : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Omnis enim gloria nostra et decor secundum Psalmistam, Psal. XLIV, 14, est *ab intus.* Judith, X, 4 : *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.*

Spiritus autem spirans in nobis, Spiritus sanctus est a Patre nostro in nos procedens, sicut in omni natura spiritus naturalis filii procedit in ipsum a patre. Unde, Genes. II, 7 : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Sic tota Trinitas Deus pater noster est. Isa. LXIV, 8 : *Nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Sic secundum Psalmistam, Psal. XXXII, 15 : *Finxit sigillatim corda nostra, et intelligit omnia opera nostra* : sicut dicitur, Eccli. XVII, 1 et 2, quod *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum... Et secundum se vestivit illum virtute.*

Hoc ergo dicimus, quando dicimus : *Pater noster.* Noster enim est, si imaginem ejus per modum qui dictus est, perferimus. Unde de quibusdam qui imaginem ejus non perferunt, dicitur in Psalmo XVII, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.* Alienus enim est in vultu alieno, quem carnis concupiscentia in vultum meretricum carnalis fœditatis et corruptionis deformavit. Ad Roman. IX, 8 : *Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine,* supple divino. Genes. XXI, 10 : *Ejice ancillam hanc et filium ejus : non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Hinc est quod dicitur, ad Galat. IV, 31 : *Non sumus filii ancillæ, sed liberæ.* Concupiscentia enim ancillæ et petulantia etiam semen Dei deformat in vultum alienum et ignobilem.

Alieni etiam sunt, qui cupiditate sæculi transformantur in vultum mundi, et dicuntur *filii hujus sæculi,* Luc. XVI, 7 : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Sic fit quod deplorat Jeremias, Thren. IV, 2 : *Filii Sion inclyti, amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli !* Splendor enim divini auri lucebat in vultibus filiorum Dei. Nunc autem ex cupiditate rerum et ambitione honoris conformati terrenis, nihil præferunt, nisi quod sint vasa testea et lutea et opus manus figuli, qui calcat lutum fluens et vasa facit terrenæ cupiditatis et capacitatis. Nahum, II, 10 : *Facies omnium sicut nigredo ollæ.*

Sunt item qui præferunt vultum diaboli, de quibus dicit veritas, Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* Hi enim ipsa crudelitate iræ et invidiæ et acediæ, hoc est, pigritiæ, ad omne bonum faciem diaboli assumpserunt, et sunt horribiles. Job, XLI, 13 : *Faciem ejus præcedet egestas.*

De omnibus his alienis faciebus quæ deformaverunt faciem cœlestis Patris, una est Dei sententia. Job, XL, 7, ubi loquitur Pater ad verum et naturalem Filium, dicens : *Contere impios in loco suo, et absconde eos in pulvere, et facies eorum demerge in foveam,* hoc est, in barathrum perditionis æternæ. Omnes enim hi alieni sunt.

De veris autem filiis dicitur, I ad

Corinth. xv, 48 et 49 : *Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.*

Sic ergo et tali virtute dicitur *Pater noster* Deus trinitas, si ex virtute formamur, et vero Filio ejus conformamur, et in Spiritu sancto inspiramur.

2. Captatio benevolentiæ ab honestate rei petitæ.

Qui es in cœlis. Captatio benevolentiæ est ab honestate rei petitæ. Ideo enim dicimus : *Qui es in cœlis,* cum tamen sciamus, quod ipse ubique est : quia ubi est pater, ibi sunt bona quæ petuntur ab ipso. Significamus ergo, quod cœlestia bona in quibus ipse refulget in cœlis, petere intendamus ab ipso : et hæc omnia libenter dat : quia decet eum talia dare illa petentibus filiis, et sunt mansura in æternum, et sunt ditissimos facientia, conferentia, et exaltantia filios.

Quod enim hoc cœli munus dare deceat, patet ex hoc, quia de parvis cogitare non est magnificæ suæ liberalitatis quam habet ad filios. Hæc significavit Filius cum dicit terrena petentibus, Joan. xvi, 24 : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Ac si dicat : Sicut terreni terrena usque huc petistis, quæ in comparatione cœlestium non sunt quidquam. Hic enim est rex cœlestium, qui Assuerus interpretatur, de quo dicitur, Esther, ii, 18, quod *largitus est dona juxta magnificentiam principalem*, hoc est, quæ decebant magnificentiam tanti et tam gloriosi principis. Hæc autem conferentia sunt petentibus et utilia. Unde dicitur, I ad Corinth. xii, 7 : *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Manifestatio autem spiritus dicitur *donum* quod Pater Spiritui manifestat in ipsa doni utilitate. Hinc est, quod dicit, Luc. xi, 13 : *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum*, hoc est, donum Spiritus utile, *petentibus se.*

Hæc sunt mansura et æterna bona : quia cœlum est incorruptibilis locus Dei, ut dicit Philosophus, etiam secundum omnium opinionem et assertionem. Unde, I Petri, i, 3 et 4 : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis.* Hinc est, quod ipse Dominus dicit, Matth. vi, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlis, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.*

Hæc ditissimos faciunt filios, sicut dicitur, I ad Corinth. i, 5 et 7 : *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia :... ita ut nihil vobis desit in ulla gratia* : sicut dicitur, II Paralip. ix, 22, quod *magnificatus est Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria.* Sic dicitur de sanctis, Eccli. xliv, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.*

Hæc sunt filios tanti patris ad omnem honorem promoventia et exaltantia. Genes. xxxi, 1 : *Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri, et de illius facultatibus ditatus, factus est inclytus.* Ipsi enim infelices terrena pro cœlestibus commutantes, hanc substantiam in donis summi Patris neglexerunt, quam spiritualis et sapiens promeruit Jacob, et tollens eam de manu patris inclyti honoris factus est. Sic enim *gloria et honore* coronat filios, et constituit eos *super opera manuum suarum*, sicut dicit Psalmista, Psal. viii, 6. Gloria enim et divitiæ sunt in domo cœlesti, et non in terrena. Proverb. viii, 18 : *Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ*, hoc est, supernæ, hoc est, excellentes, et omnes quibus dantur in honore exaltantes.

Sanctificetur nomen tuum. Hæc prima est inter septem petitiones. 3.

Nomen autem quod hic sanctificare petimus, hoc est quod generat in nobis

tantus Pater. Pater enim homo generat hominem, et ipsa generatione sua dat ei hoc nomen, quod *homo* vocatur in veritate sicut et homo est. Ita Pater Deus generat Deum, et ipsa sua generatione dat nato, quod *Deus* vocatur, et est. Generat enim nos per gratiam in nobis formando suam deitatem, et hujus generationis semen est verbum in intellectu et gratia in affectu. Quod autem, sic non generet, ipse dicit, Isa. LXVI, 9 : *Si ego qui aliis generationem tribuo, ipse sterilis, ero ait Dominus?* Quasi diceret : Non ero sterilis. Sic autem a Deo Patre formatus partus secundum participationem divinæ imaginis et virtutis vere dicitur Deus. Unde, Joan. X, 35 : *Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.* Et est sensus verbi, quod sic est in generatione filiorum Dei, sicut est in generatione hominis secundum naturam. Cum enim semen hominis conceptum in utero jam factum est per effectum et operationem boni et efficacis seminis, tunc id quod factum est, dicitur *homo* et est. Cum igitur sermo Dei sive verbum Dei sit semen Dei, quando verbum in effectu et operatione jam factum et perfectum est in operatione verbi seminalis Dei, tunc illud quod tali effectu et operatione factum et perfectum et constitutum est, dicitur *Deus* secundum divinæ virtutis participationem. Vere enim Deus est qui participative dicitur *Deus*, sicut in ante habitis meminimus nos dixisse. Sic ergo intelligitur, quod dicit *illos deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura* [1]. Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Sic dicitur Moysi, Exod. VII, 1 : *Constitui te Deum Pharaonis.* Sic etiam arguens Judæos dixit Christus : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum* [2]. Quasi diceret : Irrationabiliter et mendaciter hoc dicitis : per talem enim generationem conformamur Filio quem Pater sanctificatum misit in mundum, et filiorum Dei nomen habemus, et participationem deitatis, et veri Filii conformitatem, sicut dicitur, ad Roman. VIII, 29 et 30 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Et paulo ante dixit : *Quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Hoc est quod dicit Joannes, I Canon. III, 1 : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

4. Hoc igitur nomen quod dii et filii Dei nominemur et simus, *sanctificatur*, dum et emendatur et confirmatur. Et hoc iterum accipitur ad similitudinem nominis innati nobis per naturam : hoc enim nomen, *homo*, quod innascitur nobis per patrem hominem, primo influit a natura ex utero profusum, et immundum est et debile. Immundum quidem : quia humorem uteri immundum sibi habet imbibitum et infusum : unde fœdo humore hument corpora natorum et scabiosi efficiuntur et molles valde. Propter quod præcepit sapiens medicus, quod corpora natorum sale aspergantur, vel aqua salsa vel sulphurea crebro laventur propter exsiccationem. Debilis etiam est in infantibus humiditas : et ideo paulatim cibo solidiori de die in diem, quantum congruum est ætati, præcipiuntur confortari, donec perfectis in exsiccatione membris et quantitate, perfectam hominis et sui patris accipiant virtutem, digesto et exsiccato paulatim fœdi uteri humido, et membris per nutrimentum solidum reductis ad virtutem. Per omnem eumdem modum mundatur et confortatur in nobis nomen Dei a divina generatione nobis ingenitum. Oportet enim

[1] Joan X, 35.

[2] ibid. ỳ. 36.

in nobis fœdum exsiccari humorem concupiscentiæ, quem ab utero fœdo contraximus, de quo dicit Psalmista, Psal. L, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Unde Dominus improperat quibusdam non sic emundatis, Ezechiel. XVI, 3 et 4 : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan : pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus : et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis :* fœdum enim semen et humore concupiscentiæ fluens est de Chanaan. Unde, Daniel. XIII, 56 : *Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* Et uterus pessimus et insania plenus est uterus Cethææ, quæ *insaniens* interpretatur, et qui ab ipso profundantur. Uterus ille continuam influit insaniam, si non gladio severissimæ districtionis præcidatur. Et talis partus nec aqua balnei salutaris est lotus, nec sale sapientiæ salitus, nec pannis sive fasciis disciplinæ involutus, et ideo quod sic natum est, totum est maledictum et mmundum, et nullo modo sanctificatum vel mundatum. Si autem mundatur et lavatur aqua salutari sacramentorum et lacrymarum, et salitur sale discretionis, et præciditur ab utero concupiscentiæ per gladium severissimæ districtionis, tunc pro certo exsiccatur et emundatur : ideo sanctificatur, quia sanctum idem est quod mundum. Unde in figura hujus dicitur de Maria, Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et sic sanctificatur nomen Dei, quando ab immunditiis id quod nobis de Deo innatum est, emundatur, sicut dicitur, Ezechiel. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Psal. L, 9 : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Confirmatur etiam de die in diem, donec perficiatur in virtute et operationibus quod innatum est nobis de forma et nomine divino : quia nomen formam sequitur, quia a forma unumquodque denominatur : et ideo post lac solidior cibus ministratur, et iterum post illum solidior, et sic deinceps donec membra ad perfectas operationes confortantur. Et sic est in divina generatione. Unde, I Joannis, III, 2 : *Charissimi, nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus,* supple, ex ipsa filiationis genitura : quia nondum perfecti sumus. Et sequitur : *Scimus quoniam cum apparuerit,* scilicet hoc quod ex Dei genitura et filiatione Dei erit in nobis, *similes ei erimus,* scilicet in perfectione virtutis et operationis, *quoniam videbimus eum,* scilicet Patrem nostrum in nobis, *sicuti est,* id est perfectus : quia tunc cum jucunditate dicemus illud Deuteronomii, XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro : perfecta Dei sunt opera.* Tunc enim Isaac ablactatus ad mensam patris adducitur[1], capiens solidum cibum sicut perfectus. Ad Hebr. ν, 14 : *Perfectorum est solidus cibus : eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.*

Sic sanctificatur nomen Dei in nobis : quia sanctum est idem quod forte vel firmum. Isa. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Sic dicit Paulus, I ad Corinth. XIII, 11 : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus : quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Dum ergo nomen Dei innatum nobis emundatur a polluentibus, sanctificatur : et dum illud quod innatum est nobis ex Dei genitura, confortatur, nomen Dei sanctificatur. De primo dicitur, Joan. XII, 28 : *Pater, clarifica nomen tuum.* De secundo dicitur, Jeremiæ, XIV, 9 : *Nomen tuum invocatum est super nos.* Malach, I,

[1] Cf. Genes. XXI, 8.

11 et 12 : *A solis ortu usque ad ocasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sanctificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. Et vos polluistis illud*, scilicet inter gentes.

Et hæc est expositio litteralis quando dicitur : *Sanctificetur nomen tuum*, quod scilicet ingenitum est nobis ex tua, o Pater, generatione. Sic Pater dicit nobis, Levit. XIX, 2 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester*, qui sanctifico vos. Sic mater Sancti sanctorum dicit, Luc. I, 49 : *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.*

Sic ergo est litteraliter exponenda petitio prima.

3. *Adveniat regnum tuum* : quia regnum Dei sicut in aliis operibus meis sæpe dixi, nihil aliud est quam perfecta et confirmata potestas justitiæ divinæ, in qua in nobis et in tota Ecclesia regnat Deus. Quia sic *regnum* et a Tullio et a Platone et a Dionysio exponitur, dicentibus quod regnum est omnis finis legis et ordinis distributio pro personis ad regnum pertinentibus. In hoc enim regno perficiuntur et consistunt omnes urbanitates et omnia regimina, quod bonum civium et fines intenti a legislatoribus et observationes legum et officiorum congruis personis distribuantur.

Hoc autem regnum tribus perficitur, scilicet essentialibus sive substantialibus virtutibus et operationibus. Essentialia regni in rege sunt ea quæ regem faciunt et regni decorem perficiunt in ipso, et sunt tria : quorum unum est ut justitiam habeat pro anima, ut sicut anima est principium et causa omnium motuum et operationum corporis, ita in anima justitia sit principium omnium motuum et operationum animæ regis, et nullas alias in se sentiat operationes, et in signum hujus datur regi corona. Sapient. V, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.*

Secundum est, quod totus rationibus juris et justitiæ irradiet intellectus regis. Ideo dicitur, Esther, I, 13, quod Assuerus qui interpretatur *beatus rex*, secum habuit *sapientes scientes leges, et jura majorum*, quorum consilio omnia faciebat. Et in signum hujus regi datur purpura. Unde de se dixit rex optimus, Job, XXIX, 14 : *Justitia indutus sum, et vestivi me, sicut vestimento et diademate, judicio meo.*

Tertium quod perficit regem, est tranquillitas judicii recti. In signum hujus datur regi thronus et sceptrum. Thronus quidem pro tranquillitate qua exsequitur omne judicium. Sceptrum autem, quia cum judicium nihil aliud sit quam exsecutio justitiæ, et justitiæ exsecutio omnia dirigat, datur sceptrum in signum hujus directionis : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis, virga regni tui* [1]. Primum horum est regnum in regis affectu. Secundum est regnum in intellectu. Tertium est regnum in effectu. Hæc est igitur in rege regni substantia et perfectio.

Virtus autem regni consistit in tribus, scilicet quod sit virtus et potestas supposita, non inclinabilis ad scabellaria et conculcanda : et in perfectionem illius et signum dantur et ordinantur regi proceres omnibus superpositi muneribus, ad servilia non inclinabiles, sed semper in alto dignitatis justitiæ consistentes. Lex autem procerum ponitur, Isa. XXXIII, 15 et 16 : *Qui ambulat in justitiis et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum : iste in excelsis habitabit.* Proceres enim sunt qui ex nomine vocantur in altis sedibus circa regem sedentes, et quorum scitu et judicio omnia discernuntur.

[1] Psal. XLIV, 7. Habet autem Vulgata : *Sedes tua, Deus.* Ad Hebr. I, 8 : *Thronus tuus, Deus,* etc

Secundum quo perficitur virtus regni, est invincibilitas et incontradicibilitas implendi decreta. Et ad hoc dantur regi legiones et duces, sicut dicitur, II Regum, xx, 7 : *Egressi sunt cum eo viri Joab, Cerethi quoque et Pheleti : et omnes robusti exierunt de Jerusalem ad persequendum Seba.* Cerethi autem interpretantur *vivificantes*, qui bonos a malis defendebant. Phelethi autem interpretantur *occidentes*, qui latrones et malos regnum invadentes occidebant. Et tales legiones cum duce suo incontradicibiliter omnia fieri cogebant statuta procerum et regis.

Tertium quod totam regni virtutem perficit, fuit potestas potestatum, qui ex suo officio libera severitate absque furore et ira malos intra regnum existentes punierunt, ne turbatio bonis civibus intra regnum oriretur. Ad Roman. xiii, 3 et 4 : *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis non timere potestatem ? bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.*

Perfectio autem operis regni consistit etiam in tribus : quorum primum est ut opus omne publicum lege reguletur, et ad hoc constituti sunt principes qui *jurisconsulti* esse dicebantur. Isa. xxxii, 8 : *Princeps ea quæ sunt digna principe cogitabit, et ipse super duces stabit.* Secundum est, ut omne emergens dubium consilio sapientium determinetur. Et ad hoc dantur consiliarii, sicut Chusi fuit apud David [1]. Propter quod improperando dicit, Isa. xix, 11 : *Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Tertium autem est ut omnium opera in plebe et populo virtute formentur : et sic ad beatam vitam quilibet pro suo modo vivendi ordinetur. Isa. lx, 21 : *Populus tuus omnes justi : in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.*

Hoc est regnum Dei perfectum : et talis distributio ordinativa est justitiæ, et virtutis, et operis, sicut sciunt omnes qui in urbanitatibus bene studuerunt. Si ergo justitia nos animet, si ratio justitiæ divinæ illuminet, si tranquille in nobis Dei judicia resideant : si virtus Dei alta non inclinabilis sit nobis, si invincibiliter et incontradicibiliter a nobis voluntas Dei sit perfecta : si libera severitate absque ira et furore quidquid voluntati Dei non congruit sit repressum et punitum, et id quod congruit legi Dei liberos sit expeditum ad actus : si omnia nostra opera lege Dei mensurata sint et licita, si omnia ad consilium Dei terminata sunt dubia nostra, si omnia virtute sint informata et ad beatitudinem divinam ordinata : tunc pro certo advenit nobis regnum Dei, per quod perfecte in nobis regnat Deus. Et hoc est quod dicitur, Luc. xvii, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Luc. xi, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia,* regnare Deum in hominibus impedientia, *profecto pervenit in vos regnum Dei.* Matth. iv, 17 : *Pœnitentiam agite,* contraria regni in vobis puniendo : *appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ad Roman. xiv, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Apocal. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum.*

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Voluntas Dei est voluntas beneplaciti et voluntas signi. 6.

Beneplaciti autem voluntas est quam habet in seipso, qua omnipotens est, et impediri non potest, quin semper volitum consequatur. Psal. cxxxiv, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Ad Roman.

[1] Cf. II Regum, xv, 32.

IX, 19 : *Voluntati ejus quis resistit?*

Est autem voluntas signi quam aliquo signo expressit. Et hoc est quinque modis, scilicet præcepti, consilii, prohibitionis, operationis, permissionis. Unde versus :

Imperat et prohibet, permittit, consulit, implet.

Quod enim præcipit vel consulit vel prohibet vel perficit opere exempli, signat quod illud velit. Quod autem permittit, in hoc vult ad quod ordinat illud : et quamvis non velit peccatum illud quod permittit, tamen vult bonum quod ex ordine illius mali elicit, sicut non voluit crudelitatem Decii et aliorum tyrannorum, tamen voluit ex hoc enitere et elucescere cunctis in exemplum patientiam Laurentii et aliorum martyrum. De his voluntatibus dicitur in Psalmo CX, 2 : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*, dum præceptum implemus, prohibitionem cavemus, consilium amplectimur, operationem sequimu rtamquam exemplum, et in permissione studemus bonum in nobis perficere propter quod permittitur malum fieri : sic enim facimus illud Apostoli, ad Roman. XII, 2 : *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Bona quidem in præceptis et prohibitionibus, beneplacens in consiliis et operationibus exemplaribus, perfecta autem in bono quod in nobis de permissis malis elicitur. Hæc est voluntas Dei de qua dicitur, I ad Thessal. IV, 3 : *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione*, etc. Hac voluntate benigne facit nobiscum, quando nostram voluntatem conformat voluntati suæ, ut ædificentur muri Jerusalem, qui de vivis et voluntatem Dei facientibus lapidibus instaurantur.

Hanc voluntatem Dei petimus fieri in terra sicut in cœlo. Dedit enim Deus nobis, ut dicit Augustinus in libro XII *super Genesim ad litteram*, duas partes rationis : unam quidem quæ fide illuminata, et sapientia Dei et intellectu et scientia adjuta, contemplandis cœlestibus et æternis et divinis rationibus inhærescit, quæ est caput in animæ nostræ viribus. Aliam autem dedit, qua inferiora sine quibus hæc vita non agitur, prudenter disponit, ut puta prudentia et arte et consilio humano et hujusmodi. Istæ autem partes sic se habent ad invicem, quod prima regit, et secunda regitur : quia inferiora ad sapientiam et intellectum et scientiam supernorum sunt disponenda et ordinanda. Exod. XXV, 40 : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

Petimus ergo ut voluntas Dei quintuplex sic fiat in terra, hoc est, in terrestri vitæ nostræ dispositione sic disponatur, sicut ipsa perficienda ordinata est in cœlo, et in Dei sapientia et intellectu et scientia : quia tunc terrena descendunt a cœlestium ordine, et nullus error, nulla confusio, nulla inordinatio, nulla perversitas fiet in omnibus terrenis, in quibus vita nostra agitur, et nulla vanitas se nobis potest ingerere quæ efficere possit ut opus nostrum mercede evacuetur. Hoc signatur, Genes. XV, 5, ubi dicitur, quod Deus *eduxit foras Abraham, et ait illi : Suspice cœlum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum.* Quod enim eum eduxit, signat quod a propriis removit curis, ut libere aliquando cœlestia valeret contemplari. Quod autem dixit, *suspice*, voluit ut totam mentis aciem converteret ad sublimitatem divinorum. Et quod dixit, *numera stellas*, voluit quod sanctitatis æternæ contemplaretur luces quantum posset. Et quod subjunxit : *Sic erit semen tuum*, intelligi debet, quod lucis æternarum rationum semina semper haberet ad dispositionem terrenorum operum. Sic dicit Dominus ad Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra?* Sic dicit Paulus, ad Philip. III, 20, quod *nostra conversatio in cœlis est* :

quia in tota vita nostra non nisi cœlum adspicitur, quando tota vita cœli rationibus expressa formatur.

7. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hæc petitio quamvis multipliciter in aliis nostris operibus sit a nobis exposita super Matthæum et super Lucam, tamen quia propter hanc petitionem hic alte clamans sacerdos præmonet populum ad panis Eucharistiæ desiderium, hic non exponemus eam nisi de illo pane de quo dicit Joannes, VI, 33: *Panis Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* Hic enim panis est, qui vere reficiendo cor confortat. Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* Hic est panis nobilis de cœlo descendens. Psal. LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo.* Hic est utilis omni deserviens desiderio. Sapient. XVI, 20 et 21 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Hic est delectabilis conditus pinguedine deitatis. Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Hic est fortissimam præbens virtutem et viaticum, ut via meriti qua itur ad Deum, perficiatur. III Regum, XIX, 8 : *Comedit Elias, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.* Hic est manu sapientiæ Dei factus sub cinere humilitatis humanæ carnis in utero Virginis decoctus. Genes. XVIII, 6 : *Accelera, tria sata farinæ similæ commisce,* hoc est, puritatem corporis et animæ et divinitatis, *et fac subcinericios panes azymos.* Hic est azymus sine omni peccati corruptione. I ad Corinth. V, 8 : *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Hic est copiosus ad omnem benedictionem. Isa. XXX, 23 : *Panis frugum terræ tuæ erit uberrimus et pinguis.* Hic est sanctus quem non licet nisi sanctis in loco sancto comedere. I Regum, XXI, 4 : *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus?* manducent.

Panem igitur *nostrum,* qui nobis est panis dulcis et specialibus tuis filiis. Matth. XV, 2 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.*

Da nobis : quia vendi non potest quod nullo pretio potest æstimari. Isa. LV, 2 : *Quare appenditis argentum vestrum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite, audientes me : et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.*

Hodie, hoc est, quotidie : quia quotidie tua indigemus refectione. Daniel. I, 5 : *Constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, et de vino unde bibebat ipse.*

Et quia infinita sunt hic dicenda de hoc pane, in fine post officii Missæ expositionem resumentes, tractabimus de ipso cum subtilitate.

Hæ igitur sunt quatuor petitiones primæ quæ sunt pro adeptione boni. Bonum autem hoc aut est secundum esse divinum, aut secundum posse, aut secundum perfectum divinum opus, aut secundum deperditi restaurationem in esse divino, quam deperditionem necesse est fieri ex instantia continua tentationum, et hujus vitæ miseræ necessitatum. Et quoad esse divinum in nobis datur petitio prima, quoad posse autem datur petitia secunda, quoad perfectum opus datur tertia, et quoad restaurans deperditum datur petitio quarta. Et scitur istarum petitionum et numerus et ordo : quia in adeptione boni pluribus ad petendum non indigemus.

Quæ autem sequuntur, sunt deprecationes pro malis amovendis.

8. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Debita sunt quæ reddere debemus per satisfactionem Deo, tum ex malo commisso, tum ex bono ad quod tenemur omisso, tum ex talento nobis credito. Omnia enim hæc secundum numerum et pondus et mensuram reddere hàbemus. Et quia fragiles sumus, ad perfectum reddere non valemus. De malo enim commisso dicitur, II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque*, rationem reddendo, *propria corporis*, hoc est, quæ in corpore commisit, *prout gressit*, scilicet in corpore. De debito autem quod est ex bono omisso, dicitur, Luc. xvi, 1, quod *quidam habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.* Et dixit ei dominus : *Redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris vellicare.* De talento credito, sive in naturalibus, sive in gratuitis, sive in bonis fortunæ, dicitur, Matth. xxv, 14, quod *vocavit servos suos, et posuit rationem cum eis.* Scimus autem severitatem Domini cui debemus dicentis : *Non exies inde*, hoc est, de carcere, *donec reddas novissimum quadrantem* [1]. Et illud Matthæi, xii, 36 : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Scimus etiam pietatem Domini in nos et misericordiam. Matth. xviii, 27, misertus est dominus servo qui procciderat ante eum, rogans quod patientiam haberet in eum, et dimisit ei universum debitum. Similiter, Luc. vii, 42 : *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque.* Et procidentes oramus in eadem spe dimissionis, dicentes : *Dimitte nobis debita nostra*, nihil habentibus reddere, nisi cum peccatrice affectum dilectionis. Luc. vii, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quæ dilectio ad offensum Patrem elicuit lacrymas et doloris in compunctione tribulationem. Hoc enim etiam in Publicano meruit condonationem, qui ex humilitate confusus depressit oculos, et in oratione de se veritatem confitebatur, et in afflictione satisfactionis tutudit pectus [2]. Hæc autem Manassen restituerunt [3].

In hac ergo fiducia his qui dicti sunt similiter dispositi in cordis contritione et dilectione, et in oris vera confessione, et in satisfactionis labore, accedimus ad thronum gratiæ Patris nostri, dicentes : *Dimitte nobis debita nostra*, et non intres in judicium severæ districtionis : quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum et debitorum fiat remissio.

Scientes autem peccata non dimitti nisi in communione sanctorum et debitorum sanctis et omnibus in charitate communicantes addimus : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et intentione et affectu : quia ipse Dominus dicit, Matth. vi, 15 : *Si non dimiseritis hominibus*, scilicet peccata eorum, *nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Unde, Matth. xviii, 34, super eum qui noluit dimittere conservo suo, revocavit dominus universum debitum. Unde, Eccli. xxviii, 3 et 4, dicit : *Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur. Ipse cum caro sit reservat iram, et propitiationem petit a Deo : quis exorabit pro delictis illius?* Quasi diceret : Numquam consequetur veniam, qui non remittit in se peccanti.

Distinguit tamen hic quidam, quod aliud est debitum hominis, et aliud debitum justitiæ. Et hominis debitum aliud privatum unius solius hominis, et aliud est debitum privilegii communis. Debitum hominis est, ut dicunt quidam, quod

[1] Matth. v, 26.
[2] Cf. Luc. xviii, 13.
[3] Cf. II Paralip. xxxiii, 13.

debetur homini fragili corrupto, qui cum provocatur injuriis, vel damnis lacescitur ad similia irroganda vel majora : quia secundum hunc modum dicitur a quibusdam Philosophis, sicut a Socrate et Platone et Aristotele, quod de natura hominis est amicis benefacere, et inimicis male facere. Et dicunt, quod de perfectione gratiæ Christi est etiam hoc debitum dimittere. Debitum autem justitiæ est id quod pro injuria irrogata vel damno illato determinavit lex, sicut oculum pro oculo, dentem pro dente, et hujusmodi [1]. Et similiter in damnis ut reddat quod subtraxit, vel quantum occasionem damno dedit. Et hoc debitum, ut dicunt, potest quis sine peccato exigere tam secundum leges humanas, quam divinas, dummodo in injuriis et damnis ultra legem propter nocumentum sibi illatum non procedat. Debitum autem privatum est, ut dicunt, quod cuilibet personæ secundum legem debetur. Et quia quilibet ei juri quod pro se solo indultum est, potest renuntiare, ideo quis hoc debitum potest dimittere. Debitum autem privilegii communis est, sicut quod percutiens clericum incidit in excommunicationem majorem, et quia hoc pro pace communis cleri indultum est, ideo unus solus illud non potest dimittere. Quidquid autem sit de hoc, quia pro certo verum est quod isti dicunt in ista distinctione, tamen consulendum est cuilibet, ut tam unum quam aliud debitum, quantum in se est, in se peccanti dimittat. Si autem nihil horum facit, et reservat rancorem ad malefactorem, non ob hoc consulendum est ei, ut *Pater noster* non dicat, sed potius ut in persona Ecclesiæ sæpe dicat, quæ omnibus dimittit debita : et dicat cum gemitu, ut cor ejus Dominus ad dimissionem debiti emolliat, et ad alia bona quæ Dominus paratus est dare orantibus : frequenter enim fit, quod in ipsa oratione peccatores convertuntur, et tunc dimittant ut eis dimittatur.

Et ne nos inducas in tentationem. 9.
Hæc est petitio de cautela mali futuri : quia sicut dicit Magister Hugo de sancto Victore : Tentatio est pulsus tentatoris ad illicitum : quamvis enim Dominus tentet aliquando, hæc tentatio est æquivoce dicta ad istam de qua hic loquimur : tentat enim Dominus ut probatum ostendat, sicut tentavit Abraham [2]. Sapient. III, 5 : *Deus tentavit illos, et invenit dignos se.* Diabolus autem in se et in mundo et in carnis illecebra tentat, ut deceptum ad illicitum aliquod propellat. Jacobi, I, 14 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.* Abstractus ab intentione boni incommutabilis, et illectus libidinosa deceptione boni commutabilis. Hæc autem deceptio habet gradus, ut dicit Gregorius, quoniam aliquando ab extrinseco tantum hoste, et aliquando est ab intrinseca libidinosa voluntate et pronitate, aliquando ab utroque. Ab extrinseco autem tantum fuit in Adam et Heva antequam peccarent, quando diabolus eos de illicito tentavit et vicit : ab extrinseco etiam fuit in Christo, ut dicitur, Matth. IV, 11, quando diabolus eum de illicito alloquens tentavit, et victus est. Ab extrinseco autem et intrinseco simul est in nobis : quia dum nobis tentator illicitum aliquod offert, statim pronitas nostræ corruptionis titillat ad illud faciendum. Gradus ergo ejus sunt per quos intratur in barathrum perditionis, scilicet illiciti sensus vel visio, et ex visione tacita et lauta cogitatio, et ex cogitatione orta delectatio, et in delectatione morosa permansio, et ex permanione illecebrosa consensio, et ex consensu voluntatis impetus, et ex impetu opus et adhibitio membrorum ut exhibeantur arma iniquitatis peccato, et opere perfecto iteratio, et ex iteratione consuetudo, et ex con-

[1] Cf. Exod. XXI, 24 ; Levit. XXIV, 20 ; Deuter. XIX, 21.

[2] Cf. Genes. XXII, 2 et seq.

suetudine peccati defensio, et ex defensione peccati desperatio. Non ergo petimus ut non tentemur : quia humanum est tentari. I ad Corinth. x, 13 : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Et ibidem : *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Sed petimus ut non intremus per gradus et ostia tentationis in peccatum. Hæc in ista petitione a Patre nostro petimus, de quibus ostiis et gradibus dicitur, Job, xxxviii, 17 : *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti?*

Et est sensus : *Et ne nos inducas*, hoc est, induci permittas per gradus pessimos et ostia in tentationem, quæ paulatim propellit in perditionis barathrum. Hanc enim formam a Domino accepimus orationis, Matth. xxvi, 41 : *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Si autem probandi sumus, tu, Pater, nos tenta, et tene manu tua ne cadamus. Sic dicimus cum Psalmista, Psal. xxv, 2 : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum.* Et, Psal. cxxxviii, 23 et 24 : *Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas mas. Et vide si via iniquitatis in me est : et deduc me in via æterna.*

Hoc est ergo quod petitur in hac tentatione.

Sed libera nos a malo. Et malum istud pœnæ quod non promovet ad bonum, sed turbat bonos, aliquando ortum habet a nobis, sicut est ignorantia sciendorum et infirmitas agendorum, aliquando autem habet ortum a proximo vel a mundo bellum nobis movente, sicut conqueritur sponsa, Cantic. i, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* De quo dicit, Matth. xviii, 7 : *Væ mundo a scandalis!* Et quocumque modo malum sit non promovens ad bonum, sed impediens pacis tranquillitatem bonorum, docetur nostra infirmitas petere ab hoc malo liberationem. Formam autem hujus a Domino accepimus, Joan. xvii, 15, ubi pro suis orat, dicens : *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Sic oravit Apostolus, ad Roman. xv, 30 et 31, dicens : *Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa.* Hæ ergo tres petitiones sunt deprecationes de amovendis malis.

Malum autem est aut culpæ, aut pœnæ ad bonum non promoventis, quia pœna promovens ad bonum, non est petenda amoveri. Si autem est malum culpæ, aut est culpæ perpetratæ in præterito, aut quæ timetur perpetranda in futuro. Et si est culpæ perpetratæ in præterito, tunc contra illud malum ordinatur petitio quinta quæ dicit : *Dimitte nobis*, etc. Si autem contra malum quod timetur in futuro, tunc contra illud ordinatur petitio, sexta quæ dicit : *Et ne nos*, etc. Si autem est malum pœnæ non promoventis ad meritum, tunc contra illud ordinatur petitio septima quæ dicit : *Sed libera nos a malo.*

Hæ autem petitiones ordinantur : quia prius in intentione est bonum quam mali vitatio : et ideo quatuor priores sunt ante tres sequentes. In vitatione autem mali ordo est secundum majus malum. Culpæ autem malum est majus quam pœnæ malum : et ideo ultima est de pœna. In malo autem culpæ majus factum est quam quod timetur faciendum : et ideo quinta est ante sextam petitionem.

Hæc igitur in grosso de *Pater noster* dicta sint.

Hac ultima petitione facta a populo tamquam infirmo, qui malum pœnæ timet, submisse responde *Amen* perfector sanctitatis, hoc est, verum fiat in hoc coram Deo qui solus conscius est secretorum, ostendens compassionis affectum et optans eis dictam liberationem. Ac si dicat cum Apostolo, ad Roman. x, 1 et 2 :

Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent. Et ideo addit sacerdos in petitione quæ faciunt ad populi tranquillitatem, dicens :

11. *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis,* ad bonum et meritum infirmitatem nostram non promoventibus, *præteritis,* in culpis quas petimus nobis dimitti, *præsentibus,* in pœnis insurgentibus a mundo, *et futuris,* in tentatione ad illicitum, de quibus oramus : *Et ne nos inducas in tentationem.* II Machab. I, 5 : *Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.* Psal. CXXIX, 8 : *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Et quia hoc sine suffragio sanctorum fieri non præsumitur, ideo addit : *Et intercedente beata,* cujus beatus venter dicitur, quia Christum portavit, *et gloriosa,* quæ regis gloriæ est solium in quo carne indutus sedit. Jerem. XIV, 21 : *Solii gloriæ tuæ recordare.* Semperque ante partum, in partu, et post partum *Virgine,* mente et corpore. Genes. XXIV, 16 : *Virgo pulcherrima et incognita viro.*

Dei genitrice, et ideo communem filium habente cum Deo. Luc. I, 39 : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Maria, illuminante cœlum et terram. Apocal. XII, 1 : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quia Maria interpretatur *illuminatrix. Maria,* domina mundi : quia figura Ecclesiæ est et mater castis visceribus per compassionem filios Ecclesiæ concipiens, in charitate formans, et per adoptionem filios Ecclesiæ fratres Filii sui perficiens, sic omnium mater est et domina. Sapient. VII, 12 : *Omnium bonorum mater est.* II Machab. VII, 20 : *Supra modum mater mirabilis, et bonorum memoria digna. Maria,* stella maris dubiorum omnium dux, et reorum unica spes pœnitentium, via et justorum exemplum. Judith, XV, 10 et 11 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri : quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris.* Hæc ergo merito prima ponitur in intercessione.

Et beatis Apostolis, in præputio et circumcisione, ex quibus collecta est Ecclesia principibus. Ad Galat. II, 8 : *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.*

Petro et Paulo, quorum alter princeps Ecclesiæ, alter plus omnibus laboravit, ut dicit, I ad Corinth. XV, 10.

Atque Andrea, qui ideo ponitur, quia Petrum ad Christum adduxit [1], et sic principis Apostolorum Apostolus ipse fuit. Fuit autem et benignissimus, et ideo cantatur de eo quod de Jeremia legitur, II Machab. XV, 14 : *Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate.*

Et omnibus generaliter *sanctis, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris.*

Et hoc dicto, sacerdos accipit patenam, quæ a petendo dicta, latitudinem signat charitatis. Psal. CXVIII, 96 : *Latum mandatum tuum nimis.* Et osculatur eam in signum charitatis quam habet ad omnes, et signum crucis facit in facie cum ipsa, in signum quod virtus communionis in omnes fit per virtutem ejusdem charitatis.

Et postea subinfert : *Da propitius pacem in diebus nostris,* ne populus in tanti sacramenti communione per mala insurgentia turbetur. Isa. XXXIX, 8 : *Fiat pax et veritas in diebus nostris.*

Ut ope, quæ vere opem et opes fert, *misericordiæ tuæ adjuti.* Psal. XCIII, 18·

[1] Joan. I, 42.

Misericordia tua, Domine, adjuvabat me. Quia in propriis meritis confidere non audemus.

Et a peccato, præterito et futuro, *simus semper liberi*, per hoc quod præteritum dimittas, et in futurum non inducas : *et ab omni perturbatione*, quæ est malum ad meritum non promovens, *securi*, te servante et custodiente. Psal. cxx, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.*

Hoc dicto, sacerdos reponit patenam, et inter dicendum conclusionem orationis, in tria dividit hostiam, dicendo : *Per eumdem Dominum nostrum*, etc. Per quem ut mediatorem et pontificem, bona omnia adipiscimur, et ab omnibus malis liberamur. Et concludens non dicit *Amen* occulte, sed exaltans vocem dicit : *Per omnia sæcula sæculorum*, consensum in petito volens habere a populo.

CAPUT XXI.

De fractione corporis Christi, de pace, ac de hoc quod ter *Agnus Dei* cantatur.

De fractione autem corporis Christi hic aliqua breviter dicemus : quia in fine de ipsa in tractatu de *Corpore Domini* cum studio disseremus. Dicimus autem, quod fractio hæc a Papa Sergio est instituta, a quo etiam ter cantandum esse, *Agnus Dei*, inter communicandum est statutum. Hæc autem fractio non est in corpore Domini, sed in formis solis sacramentalibus : corpus autem integrum et sanum et perfectum est sub qualibet parte. In tres autem partes frangi est institutum : quia corpus mysticum quod in ipso incorporatur, est triforme : quædam enim pars ipsius cum capite suo regnat et triumphat in cœlis, quædam autem adhuc in labore militat in terris, et quædam in purgatorii pœnis.

Instituit ergo beatus Papa Sergius, ut pars una statim acciperetur a perfectore sanctitatis qui loco Christi stat in altari, quæ signat partem in cœlis triumphantem, quæ jam plene in Christum transivit. Statuit etiam ut secunda mitteretur in calicem : quia calix signat hujus vitæ passionem, quæ significat partem in laboribus et pœnis hujus vitæ adhuc laborantem, et ideo immissam in calicem. Psal. cxv, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Statuit etiam ut tertia in altari remaneret in fine post omnia mysteria sumenda, quæ signat eos qui in sepulcris sunt, et in purgatorio, in fine cum Christo vivendos fore per spiritualem incorporationem. Sed modo diminuta ipsa devotione Christi fidelium, et crescente circa altare indevotione frequentantium, sumitur simul a sacerdote, et pars quæ signat triumphantes et pars quæ signat in sepulcris quiescentes, et in purgatorio a pœnis spe felici liberationem exspectantes. De fractura autem illa et masticatione et contritione multa in sequentibus dicemus, quæ usque illuc differemus [1] : quia hic sine magno dispendio hujus tractatus dici non

[1] Cf. Tract. sequentem, *De Eucharistia.*

possent. Hæc ergo de fractura Dominici corporis dicta sufficiant.

2. His dictis, perfector sanctitatis stans ad aram alta voce pronuntiat: *Pax Domini sit semper vobiscum*, signans hoc quod dicit Augustinus in libro XIV de *Civitate Dei*, quod pax cœlestis civitatis est concordia fruendi Deo et invicem in Deo. Et quia jam omnes ora porrigunt fideles ad fruendum corpore Domini, ideo pax Dei in ista concordia publice omnibus a perfectore sanctitatis pronuntiatur, signans quoniam in pace factus est locus ejus qui sumitur: et qui pacem Christi non habet, communionem non habet cum Christi corpore. Joan. XVI, 33: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.*

Dicendo autem, *Pax Domini*, etc., tres facit cruces super calicem, ut triplicem quam jam sæpius diximus, significet pacem. Super calicem facit: quia calix, sicut diximus, significat eos qui adhuc in militia belli istius vitæ sunt constituti, qui maxime pace indigent. Isa. XXVI, 12: *Domine, dabis pacem nobis. Pacem*, quia in te speramus: nihil enim ita mortalibus desideratum est sicut pax: et ideo super calicem significatur per crucem, quod in eos a primo perfectore sanctitatis pax procedat.

Respondet autem chorus: *Et cum spiritu tuo*: quia optat, quod omnia quæ a perfectore sanctitatis istius fiunt, in spiritu et non in carne perficiantur, sicut dicit Apostolus, ad Roman. VIII, 14: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Et Dominus, Joan. VI, 64: *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Hæc sunt igitur quæ citra fracturam hostiæ perficit perfector sanctitatis per omnia.

3. Hoc facto, chorus alte clamat secundum Sergii Papæ instituta, *Agnus Dei.* Et quidem primo in Ecclesia in tertio *Agnus Dei* non dicebatur, *dona nobis pacem*, sed sicut in aliis dicebatur, *miserere nobis:* quæ consuetudo adhuc tenetur in Ecclesia sancti Joannis in Laterano: sed postea malis undique crebrescentibus, multæ Ecclesiæ per se sine omni statuto assumpserunt, ut in tertio *Agnus Dei* terminando dicerent, *Dona nobis pacem:* eo quod pax sit bonum cunctis mortalibus exoptatum, sicut dicitur, Esther, XIII, 2 [1].

Quod autem ter dicitur *Agnus Dei*, non puto aliam esse causam, nisi quod triplex malum pronuntiatum fuit a perfectore sanctitatis, scilicet perpetratum quod dolebamus esse commissum, tentatum quod timebamus fore committendum, et subortum ad meritum impediendum a quo petebamus omnem hominem esse liberandum, et ideo ter dicimus *Agnus Dei*: et quia tertium suboritur ad turbationem omne bonum impedientem, ideo in tertio diximus: *Dona nobis pacem.* In primis autem duobus dicimus, *miserere nobis*: quia nec culpa perpetrata dimittitur, nec culpa de qua tentatur nisi per misericordiam omnipotentis. Unde dicit Psalmista, Psal. LVIII, 11: *Misericordia ejus præveniet me*, a cavendo scilicet a culpa de qua tentatur. Et, Psal. XXII, 6: *Et misericordia tua subsequetur me*, liberando me a culpa quam me doleo commisisse. Hæc igitur causa est, quod *Agnus Dei* cantatur: quia sicut dicitur, Isa. LIII, 6: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum*, Verba autem quæ cantantur, dixit Joannes Baptista, Joan. I. 29.

Agnus autem dicitur vel ab ἀγνόν Græce, quod sonat *purum* Latine, vel ab agnitione, quia in magno grege quilibet agnus cognoscit matrem suam ad auditum balatus et odorem uteri. Joan. X,

[1] Esther, XIII, 2; *Volui ut... optata cunctis mortalibus pace frurentur* subjecti scilicet.

11 : *Cognosco meas, et cognoscunt me meæ.* De pietate autem dicitur, Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

Dicitur autem *tollere*, hoc est, auferre peccata mundi triplicia, sicut diximus : quia sicut dicitur, I Petri, II, 24 : *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Isa. LIII, 12 : *Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit*, scilicet ut non perirent.

Miserere nobis. Dicta jam est a nobis causa quare dicatur, *Miserere nobis.* Similiter causa dicta est quare in tertio *Agnus Dei* dicatur : *Dona nobis pacem.* Quod autem quidam hic dicunt, quod dicitur *Agnus Dei* quia ab agnoscendo, et quia Christus in cruce agnovit Patrem cum dixit, Luc. XXIII, 46 : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et quia Christus in cruce agnovit matrem, cum dixit ad discipulum : *Ecce mater tua.* Et quia agnovit suos, quando dixit ad matrem : *Ecce filius tuus*[1]. Et quando dixit, Luc. XXIII, 28 et 31 : *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros... Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?* bona quidem, et vera sunt, sed ad propositum nihil facientia : et ideo non curamus ea.

Et hoc est quod dictum est de *Agnus Dei.*

Interim autem dum hæc cantantur, sacerdos in silentio dicit : *Hæc sacrosancta commixtio*, et corpus Domini in calicem mittit. *Commixtionem* autem dicit tantum propter formarum sacramentalium commixtionem : et dicitur *sacrosancta*, quia præ aliis sancta et sanctificans omnes communicantes : hæc enim aspersio sanguinis omnibus inducit sanctificationem, sicut dicitur, ad Hebr. XII, 24 : *Accessistis ad aspersionem sanguinis melius loquentem quam Abel.* Sanguis enim Abel loquitur vindictam. Genes. IV, 10 : *Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Christi autem sanguis loquitur emendationis peccati remissionem.

Et hoc est quod dicit : *Hæc sacrosancta commixtio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, qui remissionem omnibus in sanguine suo impetravit, *fiat mihi*, quia sicut diximus, perfector sanctitatis, sive sit sacerdos, sive pontifex, offert pro sua et populi ignorantia, sicut dicitur, ad Hebr. III, 5. Et ideo addit : *Omnibus sumentibus*, sive servitute sumant ut clerus, sive voto ut populus, sive spirituali sive sacramentali manducatione sumentibus, *salus* æterna *mentis* per virtutem, *et corporis*, ut possit esse instrumentum animæ ad salutem promerendam. Psal. LXXXIII, 3 : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Psal. LXII, 2 : *Sitivit in te anima mea : quam multipliciter tibi caro mea !* Et hoc est in corpore et anima secundum præsentem justitiam et gratiam in præsenti.

Et ad vitam æternam, secundum gratiam finalem in futuro, quæ vocatur perseverantiæ donum, *promerendam*, ex operibus gratiæ et virtutum, *et capescendam* per effectum, *præparatio salutis æternæ*, quia hoc sacramentum per hoc quod significat qualiter in vita æterna percipiemus Deum in rerum veritate, præparat ad vitam æternam, Joan. VI, 52 : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Per eumdem Christum Dominum nostrum[2]. Hoc sæpius expositum est. 5.

Hoc dicto, sacerdos sive perfector sanctitatis ad aram stans dat pacem, osculans prius altare, vel calicem, vel ut

[1] Joan. XIX, 26.

[2] In Missali Romano restituto sic se habet hæc oratio : « Hæc commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen. »

melius alii dicunt, corpus Domini : quia sicut dicit Innocentius II : « Hæc pax signat omnium consensum ad ea quæ acta sunt in mysterio totius consecrationis. » Primum enim institutum fuit, quod omnes in Ecclesia convenientes omni die communicarent. Cum autem hoc excrescente multitudine fidelium non satis idonee servari posset, constitutum est ut communicarent in diebus Dominicis.Cum autem et hoc rite non servaretur, constitutum est ut communicarent tribus vicibus in anno juxta legem Domini, Exod. XXXIV, 23, quæ dicit, quod *tribus temporibus anni apparebit omne masculinum in conspectu omnipotentis Domini*, scilicet in Pascha, et Pentecoste, et Scenopegia, et loco ejus quod dixit Scenopegia, constituit Ecclesia, quod communicarent in Nativitate Christi. Cum autem nec hoc rite servaretur, nuper in consilio Lateranensi constituit Ecclesia, quod semel in anno, in Pascha scilicet, quilibet peccatis suis apud proprium sacerdotem confessis, communicet, et loco ejus quod communicare deberent, pax daretur, in qua significetur, quod in corde communicent, quamvis a communione abstineant propter indignitatem et humilitatem : sicut enim etiam dicit Apostolus, I Petri. V, 14 : *Salutate invicem in osculo sancto.* Et sponsa in Canticis, I, 1 : *Osculetur me osculooris sui.*

Dando autem pacem secundum quosdam dicit : « Habete vinculum pacis et charitatis : » quia pax oritur ex charitatis vinculo, et sumitur ex illo. Ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Osee, XI, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis :* « ut apti sitis » per charitatem « sacrosanctis mysteriis » Christi : quia sacramentum est charitatis, et nemo est dignus sacramento nisi per charitatem. Unde, Cantic. V, 1, dicitur : *Comedite, amici, et bibite : et inebriamini, charissimi.*

Quidam autem alii dicunt : *Pax Christi*, sicut auctoris pacis. Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum : et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua.*

Et Ecclesiæ, sicut cui data est pax per Christum. Ad Ephes, II, 17 : *Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem iis qui prope.*

Abundet in cordibus vestris. Sumitur de Psalmo CXXI, 7, ubi dicitur : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Pax autem abundat, quando etiam usque ad inimicos ostenditur.

Per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Isa. IX, 7 : *Et pacis non erit finis.* Spiritus sanctus enim facit hanc pacem, quia ipse est nexus amoris : et ideo in ipso non potest esse discordia : unde in columba significatur, cujus est osculum columbinum, quod significatur, Genes. VIII, 11, ubi cum signo pacis, hoc est, cum ramo virentis olivæ reversa est ad arcam, hoc est, ad Ecclesiam. Ad Philip. IV, 7 : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras, in Christo Jesu.*

CAPUT XXII.

De oratione quæ dicitur ante communionem in altari.

1. Hoc facto, sacerdos perfector sanctitatis in oculis tenens Christum, antequam pro se et omnibus communicet, dicit hanc orationem : *Domine, Jesu Christe, Fili Dei vivi,* dirigens ad eum quem in manibus tenet et oculos et intentionem

et orationem, notans obedientiam qua venit ad oblationem in ara crucis, in qua se pro omnibus obtulit, dicens : *Qui ex voluntate Patris.* Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens,* scilicet Patri, *usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Cooperante Spiritu sancto, qui hanc hostiam in utero Virginis formavit. Luc. I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te.* Et iterum, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Matth. I, 20 : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

Per mortem tuam potentissimam, sicut dicitur, Joan. X, 17 et 18 : *Quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a meipso.*

Mundum peccatis mortuum, *vivificasti.* Psal. LXXIX, 19 : *Non discedimus a te, vivificabis nos.* Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.*

Libera me primum, et in me omnes alios. Joan. VIII, 36 : *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum, de quo dixisti, Joan. VI, 55 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Ab omnibus iniquitatibus meis, quæ sunt mors animæ, *et universis malis,* quæ sunt mors corporis. Quod autem quidam libri hoc habent : « Et cogitationibus perversis, » non est de littera : quia *perversæ cogitationes separant a Deo,* ut supra, Sapient. I, 3, dicitur, et sub iniquitatibus continentur.

Et fac me, et meos pro quibus tibi offero, *tuis semper inhærere mandatis :* quia obedientia generalis debet esse. Jacobi, II, 10 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Et numquam permittas, per donum perseverantiæ, *a te separari.* Matth. XXIV, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde secundum consuetudinem quarumdam Ecclesiarum sacerdos dicit hanc orationem[1] : *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi,* per sumptionem sacramentalem pro me et pro omnibus quibus illud obtuli, *et calix* sanguinis tui *quem potavi,* ex quo spiritui tuo communicavimus sacramentaliter, *adhæreat visceribus meis,* non corporalibus, sed spiritualibus : viæ enim vitæ animæ dicuntur hic *viscera,* quæ sunt intellectus et voluntatis et rationis et cogitationum et affectionum animæ : cibus enim et potus animæ est, ut dicit Ambrosius, et ideo in viis animæ debet permanere, et sic de corporali et sacramentali sumptione manducatio fiat spiritualis, quia illa proficit ad salutem. Sacramentalem autem et corporalem sumptionem multi accipiunt ad damnationem. Unde, Joan. VI, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Et non fuerat locutus nisi de sumptione sacramenti. 2.

Et ideo sequitur : *Et præsta* : quia hoc non est in nobis perficere nisi tu dederis. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

Ut in me in interioribus vitalibus animæ, *non remaneat scelerum macula.* Macula autem deturpatio imaginis animæ ex peccato et reatu peccati causata, sicut dicimus maculosum esse denasatum vel monoculum. Unde, Ezechiel. XVI, 36 et seq., dicitur, quod amatores dæmones animæ præcidunt ei nasum et aures, et effodiunt oculos : quia privant visum luminis spiritualis a discretione divinæ bo-

[1] Dicitur hæc oratio in fine communionis post purificationem manuum. Post orationem, *Domine, Jesu Christe, Fili Dei vivi,* dicitur nunc in Ecclesia romana oratio : *Perceptio corporis tui,* quæ hic non exponitur.

nitatis, et auditum verborum Spiritus sancti in allocutione cordis. Has autem maculas delet et reparat ad pulchritudinem cibus et potus spiritualis. Unde dixit Agnes, sicut dicit Ambrosius : « Jam corpus ejus corpori meo sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas. »

Sic ergo nulla remaneat peccati macula, *quem pura et sancta*, hoc est, in se quidem pura immunitate omnis maculæ, et sancta omnium virtutum plenitudine et puritatem et sanctitatem conferentia, *receperunt* ad intimorum penetrationem, *sacramenta*. Pluraliter dicit propter duas species elementales sacramenti. Hanc enim virtutem intima penetrandi habet sacramentum ex hoc quod est veritatis et verbi Dei sacramentum. De illo enim dicitur, ad Hebr. IV, 12 et 13 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Sapient. VII, 24 : *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.* Et ideo in sacramento penetrat ad intima.

Hoc autem sacerdos dicit perfector sanctitatis pro se et pro omnibus aliis : quia quamvis ipse solus sacramentaliter communicet, tamen omnes alii ad hoc adsunt, quia debent spiritualiter communicare.

Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen. Hoc est expositum.

Deinde fere secundum omnes ordines Ecclesiarum dicit hanc orationem [1] : *Quod ore*, sacramentali manducatione, *sumpsimus*, ego et omnis clerus et populus pro quibus ego sumpsi, *pura*, hoc est, depurata per fidem, *mente capiamus*. Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum. Capiamus*, inquam, ut vasa gratiæ quæ signantur per illud aureum vas in quo gomor mannatis reservatum est [2] : in illo enim ad perpetuam rei memoriam manna custodiebatur. *Et de munere*, quod de tuo dono accepimus, *temporali*, quantum ad species visibiles et temporaliter mutabiles sacramenti, *fiat nobis* ad utilitatem nostram de gratiæ tuæ plenitudine. Joan. I, 16 : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Unde etiam sacramentum gratiæ vas et Eucharistia vocatur : *remedium*, contra peccatum et inediam spiritualem, *sempiternum*, quia vegetat et nutrit ad gratiam sempiternam. Joan. VI, 59 : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Per eumdem Christum. Hoc est expositum.

CAPUT XXIII.

De cantu Communionis, de postcommunione, de salutatione ad populum ac conclusione Missæ.

1. Hoc facto, cum lætitia et voce jubilo cantatur Communio, quæ antiquitus *antiphona* dicebatur, hoc est, circularis sonus : quia sicut Introitus, ita et Commu-

[1] Hæc oratio *Quod ore sumpsimus*, nunc dicitur ante præcedentem, *Corpus tuum*, etc.

[2] Cf. Exod. XVI, 32.

nio iterabatur. Hic autem cantus est in signum lætitiæ infra viscera suscepti Dei, et ideo cum lætitia cantabat illum cantum unus ad alium quasi nuntians qualiter Deus susceptus sit ab eo : et hæc iteratio cantus significabatur. Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Et hoc signatum est, Luc. XV, 25, ubi cum magnus pater occideret vitulum saginatum, fecit chorum et symphoniam in signum lætitiæ : quia dulcedine divinæ pinguedinis infusa sunt intima. Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea,* supple, refectione sacramenti, *et labiis exsultationis laudabit os meum* : in cantu semper post communionem. Eccli. XLIX, 2 : *In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini.* Modo autem iste cantus non iteratur, ne ex prolixitate tædium generetur : et ideo nunc Communio non antiphona consuevit nominari.

Quod autem quidam hic dicunt, quod Communio cantetur in memoriam et gaudium Dominicæ resurrectionis, et quod iteratio ipsius significet gaudium quod unus Apostolorum vel discipulorum alii nuntiabat, sicut ad duos qui Dominum cognoverunt in fractione panis revertentes in Jerusalem, quia *surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni,* et ipsi narraverunt ea quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis [1], hoc ego non puto esse verum : quia nec nomen hoc ostendit quo cantus iste *communio* vocatur : quia in gaudio et sensu infusæ dulcedinis in communicando cantatur : et quia nulla in plerisque Missis in cantu isto de resurrectione mentio habetur. Verumtamen est, quod antiqui quidam monachi hoc tradiderunt, cujus aliam non puto causam esse, nisi quia melius aliquid tradere nescierunt. Hac igitur de causa, et sic cantanda est Communio.

Hoc autem gaudio ex parte spiritualiter communicantis populi audito, lætus et hilaris perfector sanctitatis ab altari se convertit ad populum salutans eum et dicens : *Dominus vobiscum,* et supplendum est, maneat in æternum visceribus vestris infusus, sicut dicitur, Joan. XIV, 16 : *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Joan. XVII, 23 : *Et ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Et respondet populus lætanter : *Et cum spiritu tuo,* intendens quod in spiritu sacerdotis remaneat, quem pro omnibus accipit, sciens quod parum valet sacramentum corporaliter accipere, nisi remaneat in penetralibus cordis et in intima spiritus devotione. Joan. IV, 23 et 24 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* I ad Corinth. XIV, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente* Isa. XXVI, 9 : *Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Spiritualis enim cibus in spiritu et non in corpore est conservandus.

Hoc completo, sacerdos læto vultu et expansis manibus se ad altare convertit, et orationem quæ *postcommunio* vocatur, perficit : quæ ideo *potscommunio* vocatur, quia in ea perfectio communionis oratur. Perfectio autem est duplex. Una quidem gratiæ quam perficit in anima. Alia autem figuræ quam perficit Deus in beatitudine. Dat enim gratiam refectionis in anima in præsenti ad gratiam, sicut dicitur in Psalmo LXXVII, 29 et 30 : *Manducaverunt, et saturati sunt nimis,* hoc est, affluenter, *et desiderium eorum attulit eis,* scilicet Dominus : *non sunt fraudati a desiderio suo.* Id autem quod signat in cœlesti beatitudine, est quod sicut nunc percipitur in specie panis et vini, ita percipietur in patria perceptum in divinitatis dulcedine et 2.

[1] Cf. Luc. XXIV, 13 et seq.

veritate : et sicut hic sub medio se cooperiente et abscondente percipitur, ita sine medio aperte in cœlo aliquando in beatitudine percipietur. Hæc autem perceptio quæ fit hic, facit perfectionem gratiæ. Illa autem faciet gloriæ perfectionem, ut sic verum sit quod dicit Psalmista, Psal. LXXXIII, 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Hoc autem planum est videre in omnibus postcommunionibus per totum annum, si quis eas diligenter inspiciat : omnes enim illas ordinavit Gregorius ad orandum ea quæ dicta sunt. Et hoc sæpe expressit etiam in ipsa verborum significatione, sicut hic : « Perficiant, Domine, tua sacramenta quod continent, ut quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc., in unitate Spiritus sancti Deus. »

3. Peracta autem postcommunione, sacerdos iterum quasi licentians populum, se ad populum convertit, iterum dicens : *Dominus vobiscum*, optans ut recedentes a templo non recedant a Domino, sed satagant ut Dominus semper cum eis in omnibus agendis maneat, et numquam ab eis recedat, quod et facit si nos cum ipso mentis devotione maneamus. I Regum, x, 7 : *Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua : quia Dominus tecum est.* Et II Regum, VII, 3 : *Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est.* Populus autem, hoc est, chorus pro se et pro populo iterum respondet : *Et cum spiritu tuo :* quia non nisi spiritus intenditur in sacramento, et perfector sanctitatis spiritualia semper et non corporalia etiam post Missam semper operatur in populo : et ideo orandum est semper ut cum spiritu suo Dominus maneat et operetur. Ad Galat. v, 16 : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* Ad Roman. VIII, 2 : *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis*, etc. II ad Corinth. III, 6 : *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Et sic mutua salutatione communionem indicantes, Missa perfecta est.

Quo perfecto, diaconus, vel alius vice diaconi, clamat in festis diebus : *Ite, missa est.* Vel, in profestis : *Benedicamus Domino.* Vel, in Missis defunctorum : *Requiescant in pace.* Quod autem dicit : *Ite,* hoc est, ad propria redite, et de virtute in virtutem proficite. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Sicut enim dicit Augustinus, duo sunt quæ nos in duobus motibus moveri compellunt. Unum est charitas veritatis, quæ abjecta vel deposita sollicitudine curæ rei familiaris facit nos recedere a proprio ad templum et ad Deum ire. Isa. II, 3 : *Ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob : et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Et ibidem, ℣. 5 : *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.* Aliud est necessitas charitatis, quæ nos redire et ad propria et ad curam rei familiaris compellit. In hac enim necessitate ordo charitatis, in quo nos primo et postea proximum suum secundum gradum suæ conjunctionis per effectum operis, et exhibitionem necessariorum diligere oportet : et ideo ut illa paremus quæ necessitati tali exhibeamus, oportet sollicitare et laborare. Luc. x, 40 : *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Ibidem, ℣. 41 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.* Istud ire ad Deum et redire ad propria significatur, Genes. XXII, 5, ubi servis suis dixit Abraham patriarcha : *Exspectate hic cum asino, ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Servi enim domus et curæ familiaris et necessitatis hujus vitæ signant ministros, qui sunt sollicitudines et cogitationes et labores, qualiter acquirantur hujus vitæ miseræ adminicula : asinus autem asininum sen-

sum signat hujus animalis corporis. Hæc enim familia relinquenda est quando itur ad templum, ad Missam, et ad Deum. Post adorationem autem et sacrificium quod cum puero, hoc est, cum puro spiritu faciendum est, permittitur ad familiam reversio : quia ad propria redire oportet propter vitæ hujus multiplicem necessitatem. Hac ergo de causa dicit diaconus : *Ite.*

Quod autem addit : *Missa est,* intendit quod hostia oblata est, jam consumptis sacramentalibus speciebus, jam ad dexteram Patris missa sit, ut ibi nos Patri in se offerat, et ibi nos incorporatos sibi societ et locum paret, sicut dicitur, Joan. XIV, 2 : *Vado parare vobis locum.* Et hoc facit diaconus, ut omnes se sciant in sacra communione missos et commissos esse Domino, et omnes studeant in Domino permanere, quasi dicentes illud Apostoli, ad Philip. III, 20 et 21 : *Nostra conversatio in cœlis est : unde etiam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Et sic vadit quilibet ad propria.

In profestis autem diebus dicit : *Benedicamus Domino,* et est gratiarum actio pro perfecto Missarum mysterio. Ac si dicat illud Deuteronomii, XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro,* hoc est, magnificas gratias : quia *Dei perfecta sunt opera.*

Ad utramque autem istarum diaconi acclamationem chorus pro populo respondet : *Deo gratias,* supple, referimus : quia de tanto percepto sacramento ab omnibus gratiæ sunt agendæ, ne dicatur nobis illud Lucæ, XVII, 18 : *Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo.*

In Missa autem defunctorum, quia illis in omnibus et cito subveniendum est, dicit : *Requiescant in pace,* docens quod omnia quæ in Missa defunctorum acta sunt, ad pacem defunctorum ordinata sunt. Psal. IV, 9 : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Et respondetur : *Amen,* hoc est, fiat ut totum dirigatur ad remedium defunctorum. II Machab. XII, 46 : *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Sic ergo omnes ad propria revertuntur.

In quibusdam autem Missis, sicut in illa quæ est de *scrutinio* in feria quarta post mediam quadragesimam, post Evangelium clamat diaconus : *Catechumeni exeant :* hoc ideo fit, quia catechumenus instruitur, et ideo ad illam partem Missæ quam de instructione esse diximus, admittitur : quia vero catechumenus nondum est baptizatus, et ideo non est Christianus, ideo ad illam partem Missæ quæ de communicatione fidelium est, non admittitur, sed exire præcipitur.

Hoc igitur est quod de Missarum peractione breviter et grosse videbatur esse dicendum, alia subtilia melioribus relinquendo.

INDEX

Tractatuum et Capitum, in libro de Sacrificio Missæ contentorum.

PROLOGUS. 1

TRACTATUS I.

DE PRIMA PARTE MISSÆ.

CAP. I. *De boni divini per magnos clamores advocatione. Et primo de Introitu.* 7

II. *In commemorationem devoti populi ad misericordiam desiderio Patrum acclamantis cantatur* Kyrie, eleyson. 15

III. *In consolationem populi Deum invocantis cantatur a sacerdote* Gloria in excelsis. 21

TRACTATUS II.

DE SECUNDA PARTE MISSÆ.

CAP. I. Dominus vobiscum, etc. 37

II. *Oratio quæ primo dicitur in Missa, dicitur* Collecta. 41

III. *De imperfectorum instructionis doctrina, scilicet* Epistola. 45

IV. *De* Graduali *quod Epistolæ adjungitur.* 46

V. *De* Tractu. 49

VI. *De* Alleluia. 51
VII. *Instructionis altera pars, scilicet de doctrina perfectorum, sive* Evangelio. 52
VIII. *De acclamatione chori per* Symbolum, *et quid nomine illo dicatur ?* 57
IX. *De symbolo Apostolorum et divisione ejus.* 60
X. *De expositione symboli Apostolorum, sive de symbolo Patrum in Nicæna synodo explanato.* 66

TRACTATUS III

DE OBLATIONE IN QUA ORDINATUR TOTIUS VITÆ PERFECTIO. PARS TERTIA.

CAP. I. *De* Offertorio *cui prœmittitur* Dominus vobiscum. 73
II. *De præparatione qua ad offerendum se præparat.* 78
III. *De accessu ad Præfationem.* 84
IV. *De ipsa* Præfatione. 84
V. *Chori responsio.* 93
VI. *De his quæ pertinent ad oblationis sanctificationem, ac triplici communione. Et primo de primâ.* 96
VII. *De communione secunda.* 107
VIII. *De communione tertia.* 110
IX. *De petitione qua oblatio acceptari petitur.* 115
X. *De modo quo oblatio petitur acceptari.* 116
XI. *De perficientibus sacramenti confectionem. Et primo, de perfectione sacramenti corporis.* 118
XII. *De confectione sacramenti sanguinis Christi.* 120
XIII. *De elevatione et de eam perficientibus. Et prino, quæ Christus in seipso perfecit ?* 123
XIV. *De his quæ facta sunt in sacramenti figura et typo.* 127
XV. *De modo ipso* elevationis. 128
XVI. *De supplicatione pro his qui in sacramento sunt elevandi. Et primo, pro mortuis.* 131
XVII. *De supplicatione seu elevatione vivorum in hostia.* 137
XVIII. *De operibus sanctæ Trinitatis in confectione corporis Domini.* 140
XIX. *De excitatione desiderii ad petendum panem cœlestem, et de prœmissione institutionis orationis Dominicæ.* 142

XX. *De ipsa oratione Dominica.* 143
XXI. *De fractione corporis Christi, de pace, et de hoc quod ter* Agnus Dei *cantatur.* 157
XXII. *De oratione quæ dicitur ante communionem in altari.* 160
XXIII. *De cantu Communionis, de postcommunione, de salutatione ad populum ac conclusione Missæ.* 162

INDEX

Rerum Notabilium, quæ in libro de Sacrificio Missæ continentur.

N. B — Numerus primus romanus indicat tractatum, secundus vero arabicus caput, et tertius etiam arabicus diversos cujuscumque capitis numeros. Verbi gratia : ABBREVIATUM *verbum, quod fecit Deus super terram*, **III, 4, n. 13. Expositio hujus sententiæ invenitur in tractatu tertio, capite quarto ad numerum 13.**

A

ABBREVIATUM verbum, quod fecit Deus super terram. III, 4, n. 13.

ADORANDUS Christus summa humilitate in sacramento. III, 4, n. 14.

ADORATIO est prostratio super terram, in recognitionem, quod ille qui adorat, est de nihilo. III, 4, n. 15.

ADORATUR divina majestas prostratione totius corporis. I, 3, n. 8.

Quomodo ADUNANTUR fideles in Christo? III, 6, n. 9.

ADVENTUS Christi duplex. I, 1, n. 6.

ÆTERNITAS est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. III, 4, n. 9.

AGNUS quomodo librum aperuerit? III, 4, n. 3.

ALLELUIA quid significet, et quibus festivitatibus cantari debeat? II, 6.

ALLELUIA quibus Psalmis prænotatur? Ibidem.

ALTISSIME non est addendum in *Gloria in excelsis*. I, 3, n. 16.

AMEN quid significet? I, 3, n. 24.

ANGELI sacramento Eucharistiæ assistunt. III, 15, n. 3.

ANGELIS per Christum data est laudis materia. III, 4, n. 12.

Angelorum unum commune opus est hymnis laudare Deum. III, 4, n. 14.

Antistes mediator inter Papam et cæteros homines. III, 6, n. 12.

Apostolorum nomina cur in Canone memorentur? III, 8, n. 3.

Aquilo quid in Scripturis significet? II, 7, n. 7.

Arii, Sabellii et Ebionis error damnatus. II, 10, n. 1.

Articulus fidei est minimum credibile arctans nos ad credendum. II, 8, n. 4.

Omnis articulus habet substratam sibi divinam veritatem, vel in essentia divina, vel in persona, vel in propriis personarum operationibus, vel passionibus. II, 9, n. 10.

Utrum articulus sit res vel enuntiabile? II, 10, n. 12.

In azymo Christus celebrasse ostenditur. III, 11, n. 1.

B

Baptisma janua et fundamentum omnium sacramentorum. II, 6, n. 10.

Baptisma unum tantum. Ibid.

Bartholomæus solus nobilis et philosophus inter Apostolos. III, 8, n. 3.

An benedixerit Christus panem signo, aut verbo occulto, aut virtute divinitatis sine signo et verbo, incertum est. III, 11, n. 2.

Benedictio duplex, una sacrans quod benedicitur, et altera quæ est laus et præconium dati et accepti. I, 3, n. 7.

Boni divini firmitas, admirabilitas et puritas. In prologo, n. 7.

Quia Deus bonus est, sumus : et in quantum sumus, boni sumus. III, 18, n. 1.

Bona nostra considerantur tripliciter, scilicet prout sunt a Deo, et prout a nobis, et prout referuntur ad ipsum. I, 3, n. 7

C

Cain male divisit, qui de suis bonis Deo, et seipsum obtulit diabolo. III, 1, n. 2.

Canonis ordinatio. III, 6, n. 1.

Cantores quatuor præcinentes, et quatuor millia succinentium Psalmos David. I, 2, n. 1.

Caro Christi vera, non phantastica. II, 10, n. 3 et 4.

Catechumenus cur per diaconum in secunda parte Missæ ex Ecclesia exire jubebatur? III, 23, n. 3.

Cedar *tenebræ*. I, 1, n. 6.

Celebratio est concentus multorum laudem Dei solemnizantium. III, 4, n. 14.

Promissionis divinæ certitudo. I, 1, n. 5.

Christe, eleyson, quare ter subjungitur? I, 2, n. 5.

Christus tactu suarum manuum pani et vino

contulit ut semper possint in suum corpus et sanguinem converti. III, 11, n. 1. Et 12, n. 1.

Christus potuit et debuit pro nobis satisfacere. I, 3, n. 16.

Christus salvavit potenter, mansuete et obedienter. I, 3, n. 17.

Christus, Agnus Dei. Ibid.

Christus ungit, lucet et pascit. I, 2, n. 5.

Christus sedet ad dexteram Patris secundum utramque naturam. II, 9, n. 6.

Christi regnum. II, 10, n. 7.

Christus mactatur in mysterio et immortalis permanet. III, 4, n. 13.

Cum dicitur, Christus *conceptus de Spiritu sancto*, præpositio *de* notat potestatem et operationem, non materiam. II, 9, n. 3. Item, II, 10, n. 3.

Clamoris Patrum Christum suspirantium septem utilitates. I, 1, n. 9.

Cœli *cælorum* nomine quid intelligatur? III, 4, n. 17.

Cur Deus in cœlis habitare dicatur, cum tamen sit ubique? III, 20, n. 2.

Cœlum est locus Dei secundum omnium opinionem et assertionem. Ibid.

Quare vocatur Collecta oratio quæ primo dicitur in Missa? II, 2, n. 1.

Collectarum ritus. II, 2, n. 2.

Collectas numero impares dici statuit B. Gregorius, et non ultra septem. II, 2, n. 3.

Quare una, vel tres, vel quinque, vel septem Collectæ dicantur? II, 2, n. 3.

Collectarum conclusio unde sit, et qualiter facienda, et quæ in ea continentur? II, 2, n. 4, 5 et 6.

Communio triplex fidelium in Ecclesia. III, 6, n. 2.

Communio *sanctorum* quid sit? II, 9, n. 9.

Confessores cur non ponantur in Canone sicut Apostoli et Martyres? III, 8, n. 3.

Confessio cordis, oris et operis. III, 13, n. 1.

Consecrationis panis forma. III, 11, n. 2.

Consecrationis vini forma. III, 12, n. 2.

Consolatorum populi Dei imperfectio. I, 1, n. 7.

Cor sursum elevatur intellectu veritatis, affectu charitatis, virtute conversationis, et rectitudine intentionis. III, 3, n. 2

Corona, purpura et sceptrum quare dantur regi? III, 20, n. 5.

Corpus Christi quantum decoris Ecclesiæ præstiterit? III, 4, n. 13.

Corpus Christi quanta sit reverentia adorandum? III, 4 per totum.

Corpus unum quomodo omnes nos sumus in Christo? III, 6, n. 9.

Corpus Christi postulatio est divinæ reconciliationis. III, 15, n. 3.

Quare perfector sanctitatis incipit credo? II, 8, n. 5.

Cruces tres cur fiant in Canone, et iterum duæ, veris rationibus declaratur, falsis rejectis. III, 10, n. 1 et 2.

Cruce cur fontem, os et pectus signat diaconus incipiens lectionem Evangelii, et cur populus id imitetur? II, 7, n. 7.

Crux quare fiat super quælibet oblata? III, 6, n. 5.

Crux inventa in corde Cypriani in specie auri depicta. III, 8, n. 4.

Deus multipliciter dicitur. III, 7, n. 5.

Diaboli insidiæ. I, 1, n. 4.

D

Diaconus Evangelium lecturus quare librum accipit de altari? II, 7, n. 1.
Quare benedictionem postulat a sacerdote, et procedit cum candelis et cruce? II, 7, n. 2.
Quare vertitur ad Aquilonem, et signat cruce frontem, os et pectus? II, 7, n. 7.
Quare lecto Evangelio dat librum subdiacono portandum? II, 7, n. 9.

Dæmones incensores malarum cogitationum et concupiscentiarum, non immissores. I, 1, n. 4.
Dæmones non torquent animas in purgatorio. III, 16, n. 1.

Damnatorum pœna an possit fieri tolerabilior vel tolli per suffragia? III, 16, n. 4.
Damnati non sunt susceptibiles gratiæ. Ibidem.

Supplicatio pro defunctis. III, 16.
Defunctorum quatuor ordines. III, 16, n. 3.

Deprecatio est oratio pro amovendis malis. I, 3, n. 19.

Dei est benedicere, et nostrum est invocare Deum ut benedicat. III, 6, n. 5.
Deo non possumus offerre nisi dona ejus. Ibidem.
Deus pater clementissimus. III, 6, n. 3.
Deus est nomen gubernationis. I, 3, n, 12.
Deus unde dicatur? Ibid.
Deus rex Angelorum et hominum. I, 3, n. 13.
Deus omnipotens. I, 3, n. 14. Item, II, 9, n. 1.
Voluntas Dei duplex, scilicet beneplaciti et signi. Quæ signa sunt præceptio, consilium, prohibitio, operatio, permissio. III, 20, n. 6.
Deum lucis et Deum tenebrarum posuit Manes. II, 10, n. 3.
Dei majestas laudanda in sacramento Eucharistiæ. III, 4, n. 14.

Domini absque Domino diabolus et quilibet impius. I, 1, n. 4.
Dominus est nomen superpositionis, et ideo ponitur in genere relativorum. I, 2, n. 3. Item, III, 3, n. 1.
Verus dominus est dominationis incessanter appetitivus. Ibid.
Dominus est nomen potestatis. I, 2, n. 6.
Dominus est nomen auctoritatis. I, 3, n. 12.
Dominus *vobiscum* cur vultu ad populum converso dicitur a sacerdote? II, 2, n. 2.
Quare dicitur, Dominus, non Deus, vel Jesus, vel Christus vobiscum? Ibid.
Quare non dicitur : Vos sitis cum Domino, sed *Dominus vobiscum*. II, 1, n. 3.
Quinque modis optatur Dominus esse nobiscum. II, 1, n. 4.
Quare populus non respondet : Dominus sit tecum, sed dicit : *Et cum spiritu tuo*. II, 1, n. 5. Item, III, 1, n. 1. Item, III, 2. n. 1.
Dominus *vobiscum* quare dicitur ante Offertorium? III, 1, n. 1.

Donum et munus quomodo differunt? III, 6, n. 5.

Dona Dei accipere, et non magnifica laude extollere quam sit iniquum. III, 4, n. 4.

Dormire in somno pacis dicuntur in purgatorio existentes. III, 16, n. 1.

E

Ecce denotat certitudinem. In prologo, n. 1.

Ecclesia fidelium, synagoga irrationabiliter viventium congregatio. III, 6, n. 8.

Ecclesiæ adunatio in cœlo præfulget, in naturis ostenditur, in operibus Christi exemplificatur, in divinis legibus præcipitur, et in toto Christi corpore mystico observatur. III, 6, n. 9.

Ecclesiæ sanctitas a Spiritu sancto. II, 9, n. 9.

Ecclesia dicitur *Catholica*, quia principia ejus universaliter vera sunt, et quia per totum orbem universaliter dilatanda. Ibid. Item, III, 6, n. 8.

Suffragia Ecclesiæ quibus prosint et ad quid prosint? III, 16, n. 3 et 4.

Quæ et a quibus facta suffragia prosint? III, 16, n. 5.

Elevatio cordis ad Deum quadruplex. III, 3, n. 2.

Epistolam antecedentia et consequentia quæ sint et quid significent? II, 1, n. 1.

In Epistolarum lectione quatuor attendenda, scilicet locus, conversio corporis, legendi modus, et reditus ad sacerdotem. II, 3, n. 2.

Epistola est instructio imperfectorum. II, 1, n. 1.

Eucharistia sacramentum charitatis. III, 10, n. 2.

Tempus quo Christus Eucharistiam instituit. III, 11, n. 1.

Quare legens Evangelium et audientes stant? II, 7, n. 7.

Evangelii sex prærogativæ præ reliqua Scriptura. II, 7, n. 8.

Quare lecto Evangelio sacerdos primo librum osculatur, deinde diaconus? II, 7, n. 9.

Evangelium est instructio perfectorum. II, 1, n. 1.

Tædium longæ exspectationis. I, 1, n. 6.

F

Fides est certitudo invisibilium. In prologo, n. 6.

Fides ad speranda oculos aperit. II, 8, n. 1.

Fidei triplex acceptio. II, 8, n. 3.

Fides habet antecedentia, conclusiones, et consequentia. II, 8. n. 5.

Fides cur dicitur *Catholica* et *Apostolica*? Ibid.

Quare sanctitatis perfector incipit *Credo*? II, 8, n. 3.

Filii alieni qui sint? III, 19, n. 1.

Filio attributa. I, 3, n. 15.

Filius Dei ex deitate habet facultatem salvandi, ex humanitate unde satisfacere debeat pro nobis. Ibid.

Filius Dei donum, munus, et sacrificium. III, 6, n. 3.

Filius Dei ex amore hominum descendit de cœlis. II, 10, n. 3.

FORMA consecrationis panis : *Hoc est enim corpus meum.* III, 11, n. 1.

FORMA consecrationis vini : *Hic est enim calix sanguinis mei.* III, 12, n. 2.

FRACTIO hostiæ instituta a Papa Sergio. III, 21, n. 1.

G

GLORIA *Patri*, a quo institutum sit, et cur singulis Psalmis annectatur? I, 1, n. 16.

GLORIA est late patens prædicatum. I, 3, n. 11.

GLORIA est multorum prædicata laudatio. Ibidem.

GLORIA est clara cum laude notitia. Ibid.

GLORIA est quod sui nobilitate et honestate conscientiis hominum se manifestat. Ibidem.

GLORIA *in excelsis* quare incipit sacerdos et prosequitur chorus? I, 3, n. 1.

GLORIA *in excelsis* quare in diebus profestis et luctus non cantatur? Ibid.

GLORIA *in excelsis*, hymnus Angelorum. Ibidem.

GLORIA *in excelsis* componitur ex duobus, scilicet ex hoc quod est Angeli præcinentis, et ex hoc quod est multitudinis Angelorum laudantium Deum. I, 3, n. 2.

GLORIA quadruplex, scilicet mala, ficta, vana et vera. Ibid.

GLORIA soli Deo attribuenda. I, 3, n. 4.

Ad hæc verba Angelorum : GLORIA *in excelsis Deo*, addidit *Laudamus te*, et cætera quæ sequuntur Telesphorus Papa, non autem Hilarius Pictaviensis. I, 3, n. 1.

GLORIFICATIONIS opus. I, 3, n. 20.

GOMOR vas mensurale quod signat sacramentum Eucharistiæ. III, 4, n. 7.

GRADUALE significat profectum instructorum a subdiacono. II, 4, n. 1.

GRADUALIS versus cur a juvenibus cantatur? Ibidem.

GRADUS octo quibus ad divinitatis templum et culturam ascenditur. III, 6, n. 9.

GRÆCI Deum naturali ratione cognoverunt. I, 2, n. 7.

GRÆCI ex fide justitiæ naturalis, sicut Judæi ex fide legis Mosaicæ, justitiam Evangelii cognoverunt. Ibid.

GRÆCI inter gentiles primi fidem ab Apostolis acceperunt. Ibid.

A GRÆCIS ad Latinos fides derivata est. Ibidem.

GRATIÆ lumen a Patre luminum. I, 3, n. 10.

GRATIA Dei quomodo membris Ecclesiæ distribuatur? II, 9, n. 9.

GRATIARUM actio Deo debita. I, 3, n. 10.

Ad GRATIARUM actionem invitatio. III, 3, n. 3.

GRATIAS Deo agunt cœlum, terra, et infernus. III, 4, n. 6.

GRATIFICATIONIS opus. I, 3, n. 19.

GREGORIUS dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ. II, 1, n. 1. Item, III, 1, n. 1.

H

HÆRETICUS et infidelis quomodo differunt? II, 9, n. 5.

Hominibus bonæ voluntatis pax congrua. I, 3, n. 5.

Honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis. III, 4, n. 14.

Quare Hostia frangitur in tres partes? III, 21, n. 1.

Hostia pura, sancta, immaculata Christus. III, 13, n. 14.

Supplicatio ut Hostia jussu Dei et ministerio Angelorum sublevetur, et in altare Dei perferatur. III, 15.

Hostis nostri instantia. I, 1, n. 4.

I

Vera immortalitas est vera æternitas et immutabilitas. III, 7, n. 5.

Infidelis et hæreticus quomodo differunt? II, 9, n. 5.

Ingratitudo est ventus urens exsiccans fontem pietatis. I, 3, n. 10.

Instructio imperfectorum Epistola, perfectorum vero Evangelium. II, 1, n. 1.

In Evangelica instructione duo notanda, scilicet ritus, et doctrinæ excellentia. II, 7, n. 1.

Introitus Missæ quid significet? In prologo, n. 8.

In introitu Missæ suspiria Patrum repræsentantur. I, 1, n. 2.

Introitus non tam ab introitu celebrationis Missæ, quam ab introitu salutis et gratiæ dicitur.

Introitus dicebatur ab antiquis *antiphona*. Ibidem.

J

Jesus dicit Deum humanatum, Christus hominem deificatum. I, 3, n. 16.

Juvenculæ tympanistriæ quæ sint? I, 1, n. 15.

K

Kyrie, *eleyson*, quare in Missa inducatur, et quid significet? I, 2, n. 1

Kyrie, *eleyson*, cur novies dicatur? I, 2, n. 2.

Kyrie, *eleyson*, quare ter primo cantatur? I, 2, n. 3.

Christe, *eleyson*, quare ter subjungitur? I, 2, n. 5.

Kyrie, *eleyson*, quare iterum ter in fine cantatur? I, 2, n. 6.

Kyrie, *eleyson*, quare potius Græce quam Latine dicitur? I, 2, n. 7.

L

Inter Latinos et Græcos controversia de processione Spiritus sancti. II, 10, n. 8.

LAUDAMUS Deum pro virtutibus et gratiis, benedicimus pro bonis naturalibus. I, 3, n. 7.

LAUS est proprium virtutis præconium. Ibidem.

LEX divinitatis est per prima media, et per media ultima reducere. III, 6, n. 9.

M

MANICHÆORUM secta in tres divisa. II, 10, n. 1.

MANICHÆI figmentum de prœlio inter Deum lucis et Deum tenebrarum. II, 10, n. 3.

MARIA virgo gloriosa. III, 8, n. 2.

MARIA virgo in partu et post partum. II, 10, n. 3.

MARIA Θεοτόκος. Ibid.

MARTYRUM commemoratio cur fit in Canone? III, 8, n. 3.

Tres MEMBRORUM communiones in corpore. III, 6, n. 2.

MEMBRA alia officialia, alia simplicia. Ibid.

MEMORIA quomodo Deo et hominibus diversimode conveniat? III, 7, n. 1.

Quare MISSA non incipit a precibus sicut aliæ horæ canonicæ? I, 1, n. 2.

MISSA dividitur in tres partes : in introitum, in instructionem, et in oblationem. In prologo, n. 8.

MISERICORDIA Dei duplex, liberans et relaxans. III, 16, n. 4.

MISERIA conditionis nostræ. I, 1, n. 3.

In MISERIAM triplicem incidimus per peccatum. I, 2, n. 4.

Quod in Angelis est casus, hoc est in hominibus MORS. III, 16, n. 4.

MORS piorum est somnus. III, 16, n. 1.

N

NATIVITAS duplex : una in utero, alia ex utero. II, 9, n. 3.

NOMINIS qualitas est illud a quo nomen est impositum : substantia vero illud cui est impositum. I, 2, n. 3.

NOMEN Patris quod sit, quod in oratione Dominica sanctificari petimus? III, 20, n. 3.

NOMEN Dei quomodo in nobis sanctificatur? III, 20, n. 4.

NECESSARIA vitæ esse petenda, plurimorum exemplo ostenditur. III, 7, n. 4.

NUMERO impare cur Deus gaudeat? II, 2, n. 2.

NOTGHERUS abbas omnes antiquas fere Sequentias fecit. I, 6.

O

OBLATIONES Novi Testamenti in quinque differunt ab oblationibus Veteris Testamenti. III, 10, n. 1.

OBLATIO interior et exterior. III, 1, n. 2.

Oblatio exterior qualis debet esse, utilis valore, pinguis devotione, oblata in charitatis dilectione, et munda acquisitione? III, 1, n. 3.
Monendus populus ut oblationem ad altare deferat. III, 7, n. 3.

Olei actio, pascere, lucere, et ungere. I, 2, n. 6.

In oratione tria notanda, scilicet nomen, ritus, et conclusio. II, 2, n. 1.
Oratio est pius affectus mentis in Deum directus. III, 1, n. 2.

Ordo est relatio multorum in gradibus differentium ad unum. III, 6, n. 9.

Origenis error Christum adhuc venturum passibilem in aereo corpore pro dæmonibus. II, 10, n. 7.

P

Panis noster quotidianus, Eucharistia. III, 20, n. 7.

Papa, pater patrum, successor Petri, et vicarius Jesu Christi. III, 6, n. 12.

Patena latitudinem signat charitatis. III, 20, n. 11.

Ardor desiderii Patrum suspirantium in carne Christi præsentiam. I, 1, n. 8.
Pater nomen dulcedinis et formativæ virtutis. III, 19, n. 1.
Deus trinitas Pater noster est. Ibid.
Patri appropriata. I, 3, n. 12.
Patres Christi præsentiam suspirantes. I, 1, n. 1.
Sex præcipue causæ cur Patres clamaverunt in desiderio adventus Domini. I, 1, n. 3.

Patriarchæ et Prophetæ cur in Canone non ponantur? III, 8, n. 3.

Pax unde oriatur? III, 21, n. 5.
Pacis necessitas, veritas et congruitas. I, 3, n. 5.
Pax temporis, pectoris et æternitatis. I, 3, n. 6.
Pax et quies vera ubi reperiatur? In prologo, n. 5.

Peccatum mundi est peccatum originale. I, 3, n. 18.

Pilatus dicitur *Pontius*, quia Pontum insulam devicit. II, 9, n. 4.

Porphyrii error dicens Prophetas spiritu fanatico esse locutos. II, 10, n. 8.

Potestas est ultrix iniquitatis, compressiva malæ voluntatis, et defensiva virtutis. I, 2, n. 6.
Potestatum est libera severitate corrigere omne quod rectitudini legum divinarum non congruit. III, 4, n. 16.

Præfatio dividitur in duas partes, scilicet excitationem populi ad attentionem, et ipsam instructoriam præfationem. III, 3, n. 1.
Præfationis luculenta expositio. III, 4.
Præfationis Auctor. Ibid.
Tria in præfatione continentur, responsionis acceptæ comprobatio, sacramenti supereminens ostensa magnitudo, et ut voces Ecclesiæ vocibus angelicis misceantur supplicatio. III, 4, n. 1.

Processio personarum est causa processus creationis, et gratificationis, et glorificationis. II, 9, n. 1.

PROFECTUS in causa virtutis, in virtute, in effectu virtutis, in adjunctis ad virtutem, et in forma virtutum. II, 4, n. 2, 3 et seq.

PROPHETA quilibet custos Domini. I, 1, n. 1.

R

REDEMPTIONIS opus. I, 3, n. 18.
Solus REDEMPTOR quomodo dicitur *sanctus*? I, 3, n. 18.

REFORMATIONI ad bonum tria in nobis reluctantia, scilicet naturæ gravitas, infirmitatis fragilitas, et spiritualis nequitiæ iniquitas. I, 3, n. 14.

RESURRECTIO duplex, animæ scilicet et corporis. II, 9, n. 5.
RESURRECTIO Christi est causa nostræ resurrectionis. II, 9, n. 11.
RESURREXISSE Christum tertia die quomodo intelligitur? II, 10, n. 5.
RESURRECTIO mortuorum nondum facta, sed exspectatur. II, 10, n. 11.

REGNI virtus in quibus consistat? III, 20, n. 5.

Pro REGIBUS orandum. III, 6, n. 11.
REX debet habere justitiam pro anima. III, 20, n. 5.

S

SACERDOS præparat se ad offerendum incenso, lotione, et oratione. III, 2, n. 1.
SACERDOS Angelus. II, 1, n. 2.

SACRAMENTA Christi per quæ nos elevat. III, 13, n. 3.

SACRIFICIA sancta et illibata quæ sint? III, 6, n. 6.

SANCTITAS est ab omni inquinamento libera munditia. II, 9, n. 8.
SANCTISSIMA populo celari debent, ne ea vilipendat et ad alios usus adhibeat. III, 2, n. 5.
SANCTUS multipliciter dicitur. I, 3, n. 21.
Solus Filius quomodo dicitur SANCTUS? Ibidem.
SANCTUS cur tribus vicibus dicatur? III, 5, n. 1.

SANGUINIS Christi effectus. III, 12, n. 2.
SANGUIS Christi vinum germinans virgines. III, 6, n. 6.

SANITAS et salus quomodo differunt? III, 7, n. 4.

In SECRETA Missæ prima quid petatur? III, 2, n. 5.

SEQUENTIAM quis officio Missæ primus addidit? II, 6.

SERAPHIM, incendentes vel ardentes. I, 1, n. 10.
SERAPHIM antomastice beata. III, 4, n. 18.

SERVITUS Domini quæ et qualis sit? III, 9, n. 1.

SOLUS Filius quomodo dicitur *sanctus?* I, 3, n. 21.

SPES est certa exspectatio boni ex meritis et gratia proveniens. In prologo, n. 6.

Spiritus est animæ pars purior et simplicior et superior. I, 1, n. 1.
Spiritui sancto appropriata. I, 3, n. 23.
Spiritus sanctus est nexus et consensio et dilectio et delectatio Patris et Filii. Ibid.
Spiritus dicitur quia spirat vitam, et intelligentiam veritatis, et ad cœlestia elevationem intentionis. Ibid. Et, II, 9, n. 8 et 11.
Spiritus sancti proprium opus est sanctificare Ecclesiam. II, 9, n. 9.
Spiritus sanctus non est pater Christi. II, 9, n. 3. Item, II, 10, n. 3.
Spiritus sanctus vivificator. II, 10, n. 8.
Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit. Ibidem.
Spiritu sancto Prophetæ inspirati. Ibid.

Subdiaconus imperfectorum, diaconus perfectorum doctrinam pronuntiat. II, 3, n. 1.
Quare subdiaconus lecturus Epistolam non accipit benedictionem a sacerdote? Ibid.
Quare subdiaconus ad lectionem Evangelii pulvillum portat ante pectus? II, 7, n. 5.

Superpositio perficitur ex tribus. I, 2, n. 3.

Symbolum quid significet, et cur sacerdos et non populus incipiat *Credo?* II, 8, n. 1.
Symbolum quid sit secundum nomen? II, 8, n. 2.
Symbolum fidei quomodo ab Apostolis compositum? Ibid.
Symboli Apostolorum divisio et expositio. II, 9.
Symbolum Apostolorum quomodo in Nicæna synodo sit expositum? II, 10.
Quare cantatur symbolum synodi, non Apostolorum. II, 10, n. 11.
Symbolo non licet quidquam addere. II, 10, n. 8.

T

Tentatio a qua petimus liberari, quid sit, et qui tentationis gradus? III, 20, n. 9.
Tentationum modi. I, 1, n. 4.

In terra pax necessaria. I, 3, n. 5.

Thaddæum Apostoli vocabant *corculum*, eo quod esset custos cordis. II, 9, n. 11.

Thus incensum sub Evangelii lectione quid significet? I, 7, n. 2.
Thurificatio terna in oblatione quid significet? III, 2, n. 1.

Tractus quid significet, et quibus temporibus, et quibus notis cantetur? II, 5, n. 1.
Quare tractus plures habet versus? II, 5.

U

Uxor gloria viri est. I, 4, n. 4.

V

Venti quatuor qui mundum hunc turbant. I, 3, n. 5.

VIRTUS in omni re est ultimum potentiæ. III, 4, n. 17.

VIRTUS moralis, intellectualis, heroica et divina. II, 4, n. 2.

VIRTUTIS tres gradus quantum ad ejus radicationem. Ibid.

VIRTUS purgans, purgatoria et purgati animi. II, 4, n. 4.

VIRTUS est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis. I, 3, n. 7.

VOVERE est voluntatis, et reddere necessitatis. III, 7, n. 5.

INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ,

Qui in libro

DE SACRIFICIO MISSÆ EXPLICANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Cap.			
I,	31.	*Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.*	III, 18, n. 1.
XV,	5.	*Suspice cœlum, et numera stellas, si potes.*	III, 20, n. 6.
XVIII,	6.	*Accelera, tria sata similæ commisce,* etc.	III, 20, n. 7.
XXII,	5.	*Exspectate hic cum asino : et ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*	III, 23, n. 3.

LEVITICI.

IX,	21.	*Pectora eorum, et armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino.*	III, 6, n. 7.

NUMERORUM.

VI, 25. *Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui.* III, 14, n. 1.
VI, 27. *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* III, 6, n. 4. Item, III, 11, n. 2.
X, 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem.* II, 3, n. 1.

DEUTERONOMII.

XXI, 11. *Si videris in numero captivorum mulierem pulchram,* etc. II, 4, n. 2.

JOB.

XIV, 1. *Homo, natus de muliere, brevi vivens tempore,* etc. I, 1, n. 3.
XVI, 19. *Terra, ne operias sanguinem meum.* III, 3, n. 2.
XVI, 21. *Ad Deum stillat oculus meus.* Ibid.
XXI, 14. *Qui dixerunt Deo : Recede a nobis.* III, 16, n. 3.
XL, 4 et 5. *Si habes brachium sicut Deus? et si voce simili tonas? Circumda tibi decorem,* etc. I, 3, n. 3.
XLI, 10. *De ore ejus lampades procedunt,* etc. I, 1, n. 4.

PSALMORUM.

XVI, 8. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.* III, 6, n. 9.
XVII, 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi.* III, 19, n. 1.

XXXIV, 18. *In populo gravi laudado te.* III, 6, n. 8.
XLIV, 13. *Filiæ Tyri in muneribus.* III, 6, n. 5.
L, 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* III, 2, n. 2.
L, 6. *Ut justificeris in sermonibus tuis.* I, 1, n. 5.
LXXIII, 19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* III, 15, n. 1.
LXXXVII, 16. *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* I, 1, n. 3.
CV, 4. *Memento nostri, Domine.* III, 7, n. 1.
CX, 2. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* III, 20, n. 6.
CXVII, 27. *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* III, 15, n. 1.

CANTICORUM.

V, 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* III, 11, n. 1.
VIII, 1. *Quis mihi det te fratrem meum,* etc. I, 1, n. 8.

SAPIENTIÆ.

I, 5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* II, 9, n. 8.

ECCLESIASTICI.

XLVII, 12. *Dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ.* II, 1, n. 1. Item, III, 1, n. 1.

ISAIÆ.

X, 23. *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* III, 4, n. 13.

XXI, 14. *Custos, quid de nocte?* I, 1, n. 1.

XXVI, 9. *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* I, 1, n. 1.

XXVI, 13. *Possederunt nos domini absque te.* I, 1, n. 4.

XLV, 1. *Christo meo Cyro.* I, 3, n. 16.

LXVI, 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu,* etc.? III, 14, n. 1.

LXVI, 12. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.* In prologo.

THRENORUM.

IV, 4. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* III, 11, n. 2.
Item, III, 19, n. 1.

EZECHIELIS.

XVI, 3. *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* III, 1, n. 4.

ZACHARIÆ.

IX, 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*, etc. III, 16, n. 2.

IX, 15. *Bibentes inebriabuntur quasi a vino*, etc. III, 6, n. 6.

MALACHIÆ.

III, 4. *Placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui.* III, 9, n. 1.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆI.

VII, 6. *Nolite dare sanctum canibus.* III, 2, n. 5.

LUCÆ.

VI, 38. *Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem, dabunt in sinum vestrum.* II, 6.

XVI, 26. *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est.* III, 16, n. 2.

JOANNIS.

XIV, 27. *Pacem relinquo vobis,* etc. I, 3, n. 6.

AD ROMANOS.

VIII, 26. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* III, 19, n. 2.

XI, 36. *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* I, 3, n. 24.
XII, 2. *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* III, 20, n. 6.
XIII, 3. *Vis non timere potestatem? bonum fac,* etc. I, 2, n. 6.

AD HEBRÆOS.

XI, 1. *Est fides sperandum substantia rerum.* II, 8, n. 3.

I JOANNIS.

III, 2. *Charissimi, nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus.* III, 20, n. 4.

APOCALYPSIS.

V, 4. *Nemo dignus inventus est aperire librum.* III, 4, n. 3.
V, 8. *Cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno.* Ibid.
XII, 7. *Et factum est prœlium magnum in cœlo.* II, 10, n. 3.

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORUM

Liber de sacramento Eucharistiæ.

PROLOGUS.

Quia de sacramento altaris multa sunt quæ specialem habent difficultatem, ideo hæc ad finem reservavimus, ut cum devotione et subtilitate ad hæc tractanda vacaremus.

Et quia aliquando in missa vocatur gratia, et aliquando donum, sive datum, sive munus, et aliquando communio, et aliquando sacrificium, et aliquando sacramentum, ideo ipsum in sex istis dictis generibus ponimus, et quid proprie sibi secundum quodlibet dictorum generum proprie conveniat, in quantum Deus revelare dignabitur, diligenter inquiremus.

Primum autem tractabimus qualiter est in genere gratiæ : quia ab hoc genere *Eucharistiæ* nomen accepit, quod *bona gratia* interpretatur, eo quod illum continet qui vas est omnis boni et in quo est omnis gratiæ plenitudo.

DISTINCTIO I.

QUOMODO HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE GRATIÆ?

Incipientes igitur ab hoc genere, gratiam Dei invocantes, dicimus : Hoc est sacramentum sacramentorum Eucharistia, omnis gratiæ contentiva, edulium vegetans ad vitam æternam, viaticum confortans nos ad perficiendam hujus exsilii viam, et pignus æternæ salutis, et communicatio omnis sanctitatis.

Dico igitur, quod hoc sacramentum in sex generibus ponitur propter innumerabiles gratias quarum est contentivum. Neque unum genus est, quod tot gratiarum potest esse contentivum. Est enim in genere gratiæ, doni, cibi, communionis, sacrificii, et sacramenti.

In genere quidem gratiæ est propter sex causas, quarum una est : quia non est nisi a gratia, et non nisi gratia esse potest. Secunda autem, quia non datur nisi a gratissimo. Tertia, quia non nisi gratissimis administratur. Quarta autem, quia gratiam operatur. Quinta autem, quia est gratia super gratiam. Et sexta, quod omnis gratiæ est contentivum.

CAPUT I.

Hoc sacramentum non est nisi gratia.

1. Quod enim non sit nisi gratia, probatur per nomen ipsius : quia *Eucharistia* et est et nominatur, quod sonat *bona gratia* : quia cum in omnibus sacramentis gratiam ejus percipiamus, tamen in hoc sacramento totum est gratiæ quod videmus, tangimus, et degustamus. Unde, Zachariæ, IV, 7, dicitur de hoc sacramento : *Et exæquabit gratiam gratiæ ejus* : quia quidquid in omnibus sacramentis et virtutibus sparsum in gratiis colligitur, totum simul hic in una gratia

invenitur. Unde significatur per gomor, quod est mensura mannæ, quæ unicuique sufficiebat [1]. Mensura enim sufficiens homini ad salutem, non est nisi quæ continet gratiam in qua totus Christus continetur. Hæc est *urna aurea habens*, scilicet continens *manna* [2], quæ intra sancta sanctorum collocatur, quæ ad uniuscujusque sufficit capacitatem. Urna enim aurea vel forma est exterior, quæ hanc gratiam includit. Vel, cor est, quod intra se hanc gratiam colligit, significans corpus Christi contentivum animæ Christi, et deitatis ipsius, quod totum non est nisi gratia : quia præter meritum tantum accepimus gratiæ beneficium. In hoc enim revera *gratia et veritas per Jesum Christum facta est* [3] : quia gratia ista implevit figuralis sacramenti vacuum, et per veritatem umbram replevit antiqui et typici sacramenti. In hoc sacramento *gratiam et gloriam dabit Dominus* [4] : gratiam quidem in præsenti, gloriam autem in futuro in influxu suo, quando sua divinitate influet in nos quasi flumen pacem, et gloriam omnium gentium influet in nos, quam sugemus, sicut dicitur, Isa. LXIV, 3. Hoc enim sacramentum pacificat desiderium, et sicut torrens ex igne charitatis liquefactus superimplet omne cor nostrum.

His enim sex dictis de causis *Eucharistia* nominatur.

Non autem tantum est gratia, sed etiam non nisi gratia esse potest : eo quod nec merito, nec prece, nec pretio comparari potest. Quis enim dignis meritis, aut digno pretio, vel prece, hoc posset comparare, quod in sua solius dulcedine paravit Deus pauperibus suis. Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore.* Hoc enim non nisi ex dulcedine procedere potest, quod Deus in sua dulcedine paravit. Hoc vere est *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* [5]. Et, Isa. LXIV, 4 : *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Et ideo non nisi gratia esse potest : quia nullo merito, nullo pretio comparari potest. In hoc enim sacramento Christus Deus est omnis gratiæ : in aliis autem est gratiæ unius solius. Unde de hoc sacramento dici potest quod dicitur, I ad Corinth. I, 5 et seq. : *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni gratia* [6] : *sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* Et illud, Ecclesiastici. XXIV, 25 : *In me omnis gratia viæ et veritatis : in me omnis spes vitæ et virtutis.* Quia non nisi gratia esse potuit.

Quod seipsum in omni plenitudine sua nobis præbuit in sanctificationis sacramentum : nullo enim merito hoc umquam aliquis prævenire potuit, nullo umquam pretio comparare. Unde dicitur, Isaiæ, LV, 2 : *Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Bonum enim omnis boni hic comeditur. Et anima ærumnosa et destituta, in crassitudine dulcedinis Dei delectatur. Et hoc nemo mereri posset, nec comparare. Et ideo non nisi gratia esse potest. Si enim gratia dicitur quæ gratis habetur, hoc sacramentum non nisi gratia esse potest, in quo seipsum nobis dat Deus. Si autem dicitur gratia, quia gratis accipitur, iterum non nisi gratia esse potest : quia nihil adeo grate a Deo accipitur sicut quando seipsum spiritualiter et corporaliter dat Deus. Proverb. XXII, 1 : *Super argentum et*

[1] Exod. XVI, 16.
[2] Ad Hebr. IX, 4.
[3] Joan. I, 17.
[4] Isa. LXXXIII, 12.
[5] I ad Corinth. II, 9.
[6] Vulgata habet *scientia*.

aurum gratia bona. Hæc est gratia bona quæ sonat Eucharistia, quam coram Deo inveniunt humiles corde. Eccli. III, 20 : *Humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.*

2. Attende ergo, quod ab initio illius capitis primi adductæ sunt auctoritates, quarum prima probat, quod ideo dicitur *Eucharistia,* quia continens in se omnis gratiæ auctorem, exæquat omnem gratiam virtutum, donorum et sacramentorum. Secunda probat, quod ideo dicitur *bona gratia* : quia unicuique secundum suum statum sufficientem sibi confert mensuram gratiarum. Tertia probat, quod cor hominis locat intra sancta sanctorum in splendore deitatis : et ideo *bona gratia* vocatur. Quarta ostendit, quod optima gratia est, quæ gratiam conferendo implevit veteris sacramenti vacuum, et veritatem quæ in Christo est ostendendo, totum antiquæ legis illuminavit typum. Quinta docet, quod ideo *bona gratia* nominatur, quia Dei in nos et per gratiam et per gloriam hic et in futuro sub specie sacramentalis manducationis complet influxum. Sexta monstrat dulcedinis divinæ in nos fluentis in hoc sacramento abundans et inundans delectamentum. Septima, divini cordis dulcedinem, quando pauperibus suam hanc gratiæ paravit refectionem. Octava probat, quod ideo totum gratiæ est, quia sine merito et labore ex sola Dei dulci bonitate est homini concessum. Nona ostendit, quod non potest esse nisi bona gratia, quæ sui pretiositate ultra sensum et æstimationem et intellectum hominis est in altissimo collocatum. Decima docet, quod sui valore in homine nihil relinquit paupertate destitutum : et ideo *bona gratia* est vocatum hoc sacramentum. Undecima, quod ideo *bona gratia* dicitur, quia omnis boni bonum exhibet, et dulcissimam crassitudinem infundit affectui. Duodecima probat, quod quia vincit omnem thesaurum, sub pretio poni non potest, et ideo *bona gratia* est nominatum. Decima tertia ostendit, quod ab humilibus coram Deo est inventum, et ideo nullo merito vel pretio prævenitum, et ideo *bona gratia* est vocatum.

In hoc capitulo istud, scilicet quod gratia bona hoc est sacramentum, et non nisi gratia esse potest, sic breviter determinatum est.

CAPUT II.

Hoc sacramentum non datur nobis nisi a gratissimo.

1. Secunda autem causa ejusdem nominis est, scilicet quod *Eucharistia* dicitur, quia non est datum nobis nisi a gratissimo Domino. Licet enim omne quod nobis datur, grata et bona voluntate Dei nobis detur, tamen excellenter gratissimam et benignissimam ad nos habuit voluntatem, quando hoc magnum nobis sacramentum præparavit : ad hoc enim inclinavit torrens et totam suam dulcedinem liquefaciens charitas.

Hoc ostendit, quod sex sunt quæ omne cor faciunt exuberare ad subjectos, scilicet bonitas, benignitas, pietas, dulcedo, charitas, et placabilitas, quæ cor Dei disposuerunt ad hujus gratiæ præparatio-

nem. Bonitas enim est suiipsius ad omnia communicatio et diffusio, sicut dicit Dionysius. Benignitas autem boni igniti et continue liquefacti cordis, in omni bonitate manans efluxio. Pietas autem in sibi similia semper liquefactus affectus. Dulcedo vero convenientium secundum naturam, continua immanatio, quæ sub se continet suavitatem, quæ nihil aliud est, nisi in dulcedine immanante jucunda perceptio. Charitas autem ardor est cor torrens et incendens, ad hoc ut totum se expendat ad fructum dilecti. Placabilitas autem facilis pacificatio, qua etiam propter commissa aliqua sibi contraria non avertatur a beneficiis. Hæc igitur sunt, quæ cor gratissimi Dei hanc gratiam pro nobis præparare fecerunt. In hoc enim nobis suam communicat deitatem, et seipsum totum in nos fundit, et in nobis ad totius animæ et corporis se diffundit spiritualiter et corporaliter per participationem. In hoc ignitum suum bonum ut torrens voluptatis nobis infunditur. In hoc gustum accipimus suæ naturalis dulcedinis et in omni suavitate delectationis. In hoc ita totum se ad nos effundit et expendit, quod nihil sui a nobis contineat, deitatem, spiritum, animam, sanguinem, et corpus nobis exhibens ad fruendum. In hoc propitiationem posuit, qua placaretur in his in quibus aliquando suam meremur indignationem.

Vere ergo *Eucharistia* vocatur et est, quæ tam a gratiosissima Dei voluntate pro nobis est præparata.

2. Et de bonitate quidem dicitur, Matth. XIX, 17 : *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus.* Quia sicut dicit Gregorius : « Esse suum bonitas est, natura dulcedo. » Proprium ex tali fluens natura, est misereri et parcere. Hanc bonitatem omnibus communicat, et ad omnia diffundit, sicut dicitur, IV Regum, IV, 1 et seq., quod implevit sapiens mulier, uxor prophetæ, quæ sapientiam Dei significat, hoc est, cognitionem sapore bonitatis sapidam, vasa vacua non pauca : quia per omnia se diffundit, quæ non ponunt obstaculum ad ipsum. Oleum bene signat Eucharistiam, cujus figura est manna, quod sicut dicitur, Exod. XVI, 31, saporem habuit panis uncti sive panis oleati : quia ille in eo percipitur, quem *unxit Deus oleo exsultationis præ participibus suis*, sicut dicitur, ad Hebr. I, 9. Et illud Psalmi XLIV, 8 : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Bonitas enim et olei virtus in hoc conveniunt, quod inter liquores commixtos nihil est adeo diffusibile sicut oleum : et inter dona spiritualia nihil tam longe et late communicativum sui sicut bonitas, sicut dicit Boetius in libro de *Hebdomadibus* : « Omnia bonitatem Dei participant, et ideo bona sunt, quia a bono sunt. » Genes. I, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.* Hac igitur bonitate affectus in voluntate non fuit contentus, quin communicaret se nobis ultra esse et bonum creationis, et ultra bonitatem et formam optimæ virtutis præparando lecythum hujus olei, quo totus a nobis per substantiam et esse divinum et humanum communicaretur, dicente propheta Elia, III Regum, XVII, 14 : *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur*, unde et nos et domus nostra pascamur. Lecythus enim et hydria formas sacramentales inter quas Eucharistia continetur, significant.

A dicta igitur bonitate in qua præparatum est, *Eucharistiæ* nomen accepit.

Hoc est bonum de quo communicativa promissio promittit in bonitate sua Deus. Jerem. XXXI, 14 : *Inebriabo animas sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur.* Sacerdotibus enim paratur in ministerium, et populo in communionem divinæ bonitatis.

Hoc est de quo replebitur in bonis desiderium suum : quia in nobis communionis, Christi deitatis, spiritus, animæ, sanguinis, et corporis, omne sanctorum quietatur desiderium. Hoc est, de quo

dicitur : *Anima ejus in bonis demorabitur* [1]. Quia quod hic in specie sacramentali modo percipitur, in gloria rerum veritate beata semper et felici instillatione sumetur.

Benignitas.

De benignitate autem, hoc est, bona ignitate Dei, qua ignita et torrens ejus bonitas hoc pro nobis providit et præparavit sacramentum, sicut dicitur in Psalmo L, 20 : *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.* Muri enim Jerusalem non nisi de vivis lapidibus et divinitate solidatis ædificari possunt. Hoc autem in se non habent homines, nisi lapidis angularis sint partes et membra, et huic incorporantur per admirabile et efficax Eucharistiæ sacramentum. Sicut enim dicitur, Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est*, quod nos ad sui incorporationem admittere non dedignatur. Sic enim ignis boni in se æstuat, quod intima sua in nos emanat, quibus nobis communicatur, et nos sibi incorporat, ab intimis suis fluxit sanguis sacramenti. Joan. XIX, 34 : *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Sanguis, inquam, sacramenti, et aqua significans ad ipsum commixtionem et incorporationem insipidi populi, ut sui commixtione sapore suæ insipiditatis perdito, saporem acciperet gratiosæ suæ divinitatis, quæ sanguini dignoscitur esse unita.

Hic est Razias, qui *sacratus Domino* interpretatur, de quo, II Machab. XIV, 45 et 46, legitur, quod *pro affectu*, scilicet suæ benignitatis, *pater Judæorum*, hoc est, confitentium vocabatur, de quo legitur, quod *accensus animo surrexit : et cum sanguis ejus magno fluxu defluereț, et gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit : et stans supra quamdam petram præruptam, et jam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet : atque ita vita defunctus est.* Hic enim consecratus Deo Christum in sacrificio isto oblatum signat, qui intima sua benignitate accensus, in animo surrexit, hoc est, in cruce se exaltavit, et cum sanguis ex igne bonitatis magno fluxu in nostram defluereț redemptionem, et gravissimis vulneribus in manibus et pedibus esset saucius, cursu suæ benignitatis velocissimo totam turbam humani generis pertransiit, et stans in prærupta petra æternæ veritatis et stabilitatis, supra quam Ecclesiam fundaverat, et jam ex minimo fluxu benignitatis suæ quasi exsanguis in cruce effectus, utrisque manibus, deitatis potentia et humanitatis passione, complexus intima vitalia, in quibus vita est hominis, projecit abundanter super turbas hominum, ut in illis vitam et gratiam perciperent, invocans dominatorem omnium patrem cœlestem, ut hæc in corpore mystico sibi redderet, omnes sibi incorporando : et sic in tali benignitate vita functus est. Et ideo de hac benignitate dicitur antonomastice, ad Roman. II, 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Hæc enim ignitissima benignitas omnes homines merito convincere deberet ad sui conversionem. Hanc benignitatem signabat ignis qui in virore rubi apparuit [2]. In quo hujus sacramenti figura præcessit, in quo ignis benignitatis et divinæ bonitatis in virore rubi, hoc est, in virente omnium virtute humanitate percipitur ad Christi Dei et hominis communionem.

Hæc est enim benignitas, de qua dicitur in Psalmo LXIV, 12 : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Quia in ista benignitate omnia bona Dei ad coronam convertuntur : quia in omnis boni revertuntur auctorem, qui in isto sacramento totus continetur.

[1] Psal. XXIV, 13.

[2] Exod. III, 2.

Hæc est enim benignitas de qua dicitur, Psal. LXXXIV, 13 : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Quomodo enim non daret impinguata sanguine, et commixta corpori, vivificata anima, evocata spiritu Christi, et fœcundata deitate ipsius : quæ omnia in hoc percipiuntur sacramento. Hæc est enim benignitas de qua dicitur, ad Titum, III, 4 : *Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* : maximam enim benignitatem in hoc ad nos ostendit, et seipsum nobis ad fruendum se præbens. Si ergo in hoc sacramento digni esse volumus, non restat nisi ut faciamus quod dicit Apostolus, ad Coloss. III, 12 et 13 : *Induite vos sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.* Et tunc digni erimus tanto sacramento quod à gratia benignitatis divinæ nomen accepit.

Pietas etiam ad hoc sacramentum nobis præparandum Domini voluntatem inclinavit : quia, sicut dicit Tullius : « Pietas est in parentes, benevolentia hæc est in nobis conjunctos, in quibus similitudo parentalis boni invenitur. » Quia igitur nos fecit ad similitudinem imaginis Patris, quæ ipse est, et ideo naturali inclinatione conjunctus, hic tantæ affluentiæ omnis boni sacramentum nobis præparavit, ut benevolentiam quam in nos habet, ostenderet. Ex quo enim pietas est benevolentia in hoc sacramento, degustamus id quod dicitur, ad Roman. XII, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Hæc enim piissima et optima est in præparatione corporis et sanguinis Domini in communicationem et expiationem peccatorum. Beneplacens autem in oblatione animæ in solutionem debitorum. Perfecta autem in collatione suæ deitatis in omnium beatificantium adoptionem.

Hæc est pietas de qua dicit Apostolus, I ad Timoth. III, 16 : *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Hoc enim pietatis sacramentum dicitur : quia procedit a summa Dei pietate, et est manifestum in carnali et sacramentali sumptione, et perfectam in spiritu nostro justitiam operatur. Hoc Angelis apparuit : quia in omni Christi corporis confectione Angeli assistunt. Hoc est, quod prædicatur gentibus, ut in Christo fiant concorporales. Hoc est quod toti mundo in edulium vegetationis proponitur, et hoc est quod in gloria pro nobis in hostiam laudis continue assumitur.

Hæc est pietas quæ ad omnia valet, sicut dicitur, I ad Timoth. IV, 8 : *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Quia per species sacramentales vegetat ad vitam quæ nunc in Ecclesia agitur, et per rerum veritatem vivificat ad vitam futuræ gloriæ.

Hæc est pietas de qua dicitur, Baruch, V, 4 : *Nominabitur tibi nomen tuum a Deo in sempiternum : Pax justitiæ, et honor pietatis.* Hic est enim honor quem a pietate Domini accepimus, ut ipso fruentes et sibi incorporati dii dicamur, et in bona gratia ipsius deitatis suæ simus participes.

5. Dulcedo.

Hoc etiam in dulcedine sua paravit pauperi Deus, et ideo *Eucharistia* vocatur : quia nihil in dulcedine Dei nisi bona gratia præparatur. In dulcedine sua Deus dulciter cogitat de nobis. Nihil autem dulcius vel melius excogitari vel exoptari potest, quam quod Deus in deitate et humanitate sit in nobis ut nutrimentum ad vitam vegetans, et ut edulium spirituale, omnem in nobis perficiens conjunctionem ad ipsum. Propter quod etiam cum in libro Sapientiæ, XVI, 21, de manna loqueretur, et admiraretur, in qua cordis dulcedine tantæ gratiæ sacramen-

tum esset præparatum, subjunxit causam dicens : *Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Ac si dicat : Tam mellea dulcedo tam bonæ gratiæ non potuit procedere nisi de fonte dulcedinis divinæ, in qua oblitus veteris amaritudinis melliflua dulcedine fluens et affluens nobis in affectu, tam dulcem et bonam gratiam nobis præparasti.

Hic est Samson, sol fortis gratia illuminationis, qui per virtutem hujus gratiæ mente illuminatus, percutit leonem fortem de tribu Juda, et solvit nobis problema, quod *de comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo* [1]. Pater enim cœlestis in dulcedine sua dulciter cogitans de nobis percussit, hoc est, percuti fecit hanc victimam dulcissimam, leonem de tribu Juda, et nobis parari in edulium, in qua de comedente, hoc est, de eo qui in sacramento nos sibi incorporat, exit dulcedinis cibus, et de forti nostro propugnatore ad salutem tanta est egressa dulcedo : quidquid enim in hoc est sacramento, dulcedine plenum est, ab omni amaritudine fellis longe relegatum. Unde, I Regum, XIV, 26 et seq., dicitur, quod apparuit super faciem agri fluens mel, ad quod cum Jonathas, qui *columbæ donum* interpretatur, virgam quam manu tenebat, extendisset, dixit : *Gustavi paululum de melle isto, et illuminati sunt oculi mei.* Ager enim noster, qui antiquitus ex amaritudine fundi spinas et tribulos proferebat, nunc dulcedine deitatis Patris impletus, melleus totus fluit dulcedine, ad quod dum is qui donum columbæ, quæ etiam fellea amaritudine fellis caret, virgam rectitudinis suæ quam in manu, hoc est, in operatione tenet, extendit, et gustat dulcedinem saporis divini, statim illuminatur in oculis cordis ad intelligendam veritatem et gratiam bonam quæ per Jesum Christum omnibus nobis sunt facta, qualiter videlicet non vacuo laboramus sacramento, nec de cætero typis figurativis occupamur.

Hinc est, quod hanc dulcedinem in osculo degustans sponsa dicit, Cantic. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.* Mel ad dulcedinem divinitatis, lac ad candorem innocentiæ et gratiæ referens humanitatem. Omne quippe quod spirat, tanta dulcedine dulce est. Propter quod dicitur, Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Quia spiritus a dulcedine Dei spirans, in hac gratia melleam spirans dulcedinem, et hærens nobis immobilis, novi et æterni sacramenti favum stillantem mel ex cera, hoc est, humana natura, quæ stillat divinam sibi unitam naturam, sua dulcedine omnia nostra dulcia facit.

Hæc est etiam suavitas quam in dulcedine divina percipimus : et ideo cum, I Canon. II, 3, Petrus diceret : *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus*, Psalmista, Psal. XXXIII, 9, dixit : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* : quia tanta dulcedo innumerabili percipitur suavitate. G Suav

Hic pretiosissimus et suavissimus fructus a fruendo dictus, antidotum est primi fructus, qui primos sua suavitate seduxit parentes, de quo dicitur, Genes. III, 6 et 7, quod *vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, adspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit* : et ad turpitudinem suam contuendam illuminati sunt oculi amborum. Hunc autem per fructum dulcissimum et ad vescendum suavissimum in dulcedine Dei conditum et præparatum, quia nobis lignum vitæ exhibuit pulchrum et decorum, illuminantur oculi ad divina contuenda in perfecta gratia simul et veritate, et est cura nobis contra omnem amaritudinem, quæ nobis

[1] Judicum, XIV, 14.

infusa est ex gustu pomi quod mulier carnali suavitate concupivit. Hoc est, quod, Proverb. XVI, 24, dicitur : *Dulcedo animi sanitas ossium* : quia ex dulcedine animi Dei hoc nobis præparatum antidotum, omnia ossa nostra sanavit. Unde consilium est sapientis, Proverb. XXIV, 13 : *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo*, hoc est, delectare in melliflua dulcedine Dei, in qua tibi favum sacramenti, qui mel de cera suæ humanitatis tibi stillat in gutture delectationis cordis tui de gustu, ut ab omni absolvaris amaritudine gustus serpentini, quæ per primum gustum venenum infudit. Hoc est quod sponsa, Cantic. II, 3, dicit : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Umbra enim crucis et passionis in qua maturatus est hic fructus ad suavitatem, præstat refrigerium contra concupiscentiæ æstum : et fructus dulcissimus sacramenti, quod est fructus ligni crucis, omnis delectationis infundit dulcedinem et suavitatem. Unde, Psal. XXIV, 8 : *Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Dulcis enim fuit hoc pro nobis excogitans. Rectus autem præparationem ad hoc suscipiendum a nobis expostulans : quia *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* [1].

Et hæc lex dulcedinis et rectitudinis nobis in via pro viatico data est, ne in delictis remaneamus : et ideo lege hac justificata et mellea dulcedine affecta, dicit sponsa, Cantic. V, 1 : *Comedi favum cum melle meo, et bibi vinum cum lacte meo.* Quia et dulcedine divina delectata fuit, et dulcedinem in humanitate in sacramento invenit, et vino pretiosissimi sanguinis fuit inebriata, et talibus coram sodalibus gaudens jactabat se a Deo habuisse affectus.

Adhuc et ex nimia charitate qua dilexit nos Deus, hoc sacramentum nobis exhibendo vocatur *Eucharistia*, hoc est, bona gratia. « Diligentis et boni est, sicut dicit Dionysius, bona adducere, et optimi et optime diligentis est adducere optima. » Cum igitur optima sui dilectione ad nos Deus hanc gratiam nobis paravit, digne et justa ratione *Eucharistiæ*, hoc est, bonæ gratiæ nomen accepit. Et hoc quidem ignorans, dixit Absalon ad Chusaï Arachiten, II Regum, XVI, 17 : *Hæc est*, inquit, *gratia tua ad amicum tuum.* Chusai enim *arcanum* interpretatur : Arachites autem *suscitans fratrem captivum.* Quia hæc gratia tam excellens est, quod nemo novit arcanum ejus, nisi qui accipit : et in tanta dilectione parata, quod omnes captivos fratres Christi ad vitam resuscitavit, dicente Christo, Joan. VI, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Optime igitur in tali effectu et affectu dilectionis præparata gratia ad amicum, *Eucharistia* dicitur. Charitas.

Hinc est quod de dilectione ista loquens Dominus per Jeremiam, XXXI, 3, dixit : *In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans.* Numquam enim nos tantum attraxit, quantum tunc attraxit, quando ipse sacramentaliter secundum veritatem in nobis est, et nos in ipso secundum spiritualem sibi factam incorporationem : tunc enim fortissime attracti sumus, et ejus colligati vinculo indissolubilis charitatis, ut nos in intimis suis simus spiritualiter, et ipse in intimis nostris per sacramentalem sumptionem. Et hoc est quod dixit, Isa. XLI, 7 : *Confortavit faber ferrarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens : Glutino bonum est : et confortavit eum clavis, ut non moveretur.* Faber enim ferrarius est Pater nos amans, et ex philanthropia, hoc est, amore hominum, dicens : *Glutino*, hoc est, amore charitatis tamquam glutino mihi bonos conjungo. Et respondit omnis sanctus : *Bonum est*,

[1] I ad Corinth. XI, 29.

quia nihil melius pro nobis excogitari potest. Dicitur autem *faber ferrarius*, amor Patris cœlestis : quia sicut ferrum omnia domat, ita amor vincit omnia : unde Virgilius in *Bucolicis* :

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.

Nimii enim amoris amplexus est : quia nos adeo sibi glutinavit, ut ipse in nobis esset, et nos in ipso tam intime, ut ipse in visceribus nostris infunderetur, et nos sibi essemus incorporati. Si enim, ut beatus dixit Dionysius in libro de *Divinis nominibus*, extasim faciens est divinus amor, optime iste dictus est divinus amor, qui Deum in nos sic transponit, et nos in Deum : ἔκτασις enim Græce, constat quod Latine est *transpositio*. Dicit enim, Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* In me, inquiens, manet, extra se transpositus : et ego in ipso maneo, transpositus extra meipsum. Sic enim patitur sponsa, quando dicit in Canticis, II, 16 : *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Non enim dilectus suus sponsus esset, nisi esset in ipsam transpositus : nec ipsa dilecto esset, nisi in ipsum toto esset affectu transformata. Sic etiam dicitur, Cantic. VII, 10 : *Ego dilecto meo, ad me conversio ejus.* Totus enim in nos convertitur, quando qualiter in ipso incorporati maneamus, in sacramento perficitur et ordinatur.

Hinc est, quod clamat in Canticis, VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio.* Extra amantem ponit animam in amatum, et ideo fortis est ut mors : et ideo dilectus super cor ut signaculum ponendus est, quia animam suam et corpus et deitatem ita profunde in nos transponit, ut in visceribus meis sit sacramentaliter, et nos in ipso corporaliter spirituali virtute uniti efficiamur. Unde optime dixit sanctus Hieronymus in amativis hymnis suis, quod amor sive charitas est virtus unitiva, quæ revera, sicut dicit Augustinus, est vitta vinciens et uniens amantem et amatum. Et hoc etiam sacramentum cum sit amoris dicta de causa dicitur *unionis sacramentum*. Est enim quasi vinculum vinciens et uniens nos cum Deo, et Deum nobiscum. Unde in Psalmo LXII, 9, dicitur : *Adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.* Anima enim nostra in sacramento adhæret immobiliter, et nos æternitatis suæ ejus dextera amplexando suscepit intime, et stringendo, ut numquam separemur ab ipsa.

Hoc est iterum quod dixit, Osee, XI, 4 : *In funiculis Adæ traham eos, in vinculis charitatis.* De Adam enim in hoc sacramento accepimus corpus et sanguinem, quibus duobus funiculis in hoc sacramento trahit nos Dominus. Vincula autem charitatis habemus : quia et secundum animam et deitatem nobis vincitur Dominus in hoc sacramento, ut in perpetuum non separemur, et sic sibi simus incorporati, attracti, et colligati. Dixit Dominus, Joan. XV, 13, quod *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et salvum quidem per omnia sit verbum Domini mei : quia signum est inæstimabilis dilectionis, quod animam in mortem pro nobis positam dedit nobis in sacramento, pignus redemptionis, et sanguinem in sacrificium expiationis, et corpus in communicationis vinculum, et deitatem in saporis optimi dulcoramentum : multum enim nos sibi strinxit in amplexum charitatis, quando taliter nos sibi sociavit.

8. In hac charitate fundati et radicati, sicut dicitur, ad Ephes. III, 18, possumus *comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* Latitudo, inquam, qua late nos dilexit ubique terrarum, nos sibi uniens per communionis sacramentum. Longitudo vero : quia æternam in nobis operatur delectionem, quando quod nunc

specie sacramentali gerimus, in æternitate rerum veritate capiemus. Sublimitas autem : quia supra modum in sublimitate deitati ipsius sociamur. Profundum autem, quando etiam in profundum intimis ejus in corpore et sanguine sibi incorporamur. Sic quasi tribus diametris sive dimensionibus sociati, in longum scilicet, latum, et profundum, ut sicut *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, sicut dicitur, ad Coloss. II, 9, ita et nos in ipso per trinam dimensionem corporaliter habitemus. Hoc enim potest perficere intima ejus charitas, quæ in nos penetrat sicut ignis qui maxime penetrat, et nos sibi attrahit sicut calor ignis qui inter omnia trahentia magis trahit. Et ideo dicitur de charitate, Cantic. VIII, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Quia et nos sibi non modo attrahit, sed intrahit, et ipse in nos penetrat usque ad medullas. Tali enim affectione dixit Jeremias, Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Ignis enim in medullas penetrans erudit quæ sit vis istius amoris, quo sic nobis Christus se infundit, et nos sic intrahit intra seipsum : nec alius potest scire quam amor intimus hanc virtutem. *In hoc,* inquit [1], *cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quia in hoc magisterio et vos in me, et ego in vobis manebimus, ut simus in unum consummati. Quid igitur nisi bona et optima gratia esse potuit, quod Deus nobis in hac dilectione ad nos affectus præparavit.

9. Placabilitate autem maxime ostendit, quod non nisi gratiosa pro nobis cogitavit, et ea quæ erant optimæ gratiæ, quæ *Eucharistia* vocatur, demonstrativa : quia etiam veteribus delictis provocatus, adhuc pro nobis hanc gratiam præparavit : et ideo *bona gratia* vocatur, quia ab optima voluntate præparata. Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.*

Hæc enim ultra modum est bona gratia, qua noluit a nobis separari, quinimo voluit uniri nobis qui separari ab ipso per meritum peccati debebamus. Unde, ad Roman. V, 8 et 9 : *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est,* et non tantum mortuus est, sed etiam per passionis suæ sacramentum nobis unitus.

Propter hoc enim etiam in ipso sacramento sacrificium placationis posuit, ut si quid esset quod nos ab ipso disjungeret, merito sacrificii illius purgaretur : sic enim dicitur in Psalmo XXXIX, 7 et seq. : *Sacrificium et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti : tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui,* etc. Quia enim Deus nullum priscæ legis sacrificium acceptavit in quo peccata remitteret, ideo Christo aptavit corpus conjunctum et unitum divinitati, in quo sacrificio placatus nobis de omnibus efficeretur peccatis : et quia holocaustum animalium et sanguinem animalium pro peccato sibi oblatorum nec voluit nec debuit acceptare pro peccati satisfactione, ideo ex voluntate venit Christus, ut voluntate devotæ obedientiæ Patris perficeret voluntatem, se offerendo ut nobis omnibus in suo sanguine placationem inveniret. Hoc igitur est quod quotidie devotamus ad aram Agnum sine macula mysterialiter mactando, ut in placabili voluntate qua hanc gratiam pro nobis invenit Deus, Deum placatum nobis esse faciamus. Unde, ad Hebr. IX, 12, dicitur : *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna*

[1] Joan. XIII, 35.

redemptione inventa. Optima igitur est hujus sacramenti gratia, quæ a tam gratiosa et placabili voluntate Dei pro nobis est inventa : dicitur enim ad Hebræos, IX, 22, quod *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Magna igitur est ista gratia, quam a nobis placabilis Dei voluntas quæ omni casu contingente placari voluit, et ut placari posset, per seipsum hanc viam placationis invenit, ut Filius carnem assumeret unde placare deberet, et deitatem non deponeret unde placare posset : unde hoc sacrificio quotidie oblato placaretur, et hujus optimæ gratiæ ipse inventor existeret et acceptor. Psal. L, 21 : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.* Tunc, inquam, quando istud sacrificium a Christo est oblatum, tunc omne sacrificium justitiæ oblatum acceptat Deus, et oblationes votorum nostrorum, et holocausta in igne devotionis incensa, et etiam vitulos petulantiæ nostræ mactantes per carnis mortificationem imponimus super altare sacrificii corporis Christi, ut in ipso etiam ipsi vituli placabiliter acceptentur. Numquam enim esse potest, quod is qui de facili placabilis est, non bonam semper cogitat gratiam facere pro his quibus de facili placatur. Dicitur, Exod. XXXIV, 10, quod placatus factus est Dominus ad orationem Moysi de malignitate quam dixit facere populo suo. Et hoc idem, Numer. XIV, 20, confirmatur. Multo autem magis placatus fit oblatione Filii sui, quam Filius suus obtulit, et in qua Filius suus ibi offertur et sacrificatur in placationem. Optima igitur hæc gratia est, et *Eucharistia* digne vocata, quam ipse Deus placavit sibi ut offerretur, invenit ut placaretur.

His igitur de causis *Eucharistiæ* sive *bonæ gratiæ* hoc sacramentum nomen accipit : quia in bonitate, benignitate, pietate, dulcedine, charitate, placabilitate hanc gratiam nobis Deus præparavit. In bonitate de nobis sentiens, benignitate bonitate sua fluens, pietate liquefacto affectu in omnes nos effluens, dulcedine sua affectus in filios, et charitate fervens, et placabilitat ut bona facere posset etiam mala condonans, hoc sacramentum bonitatis, benignitatis, pietatis, dulcedinis, charitatis, et placabilitatis, nobis præparavit, etc.

CAPUT III.

Hoc sacramentum non datur nisi gratissimis amicis.

1. Est autem adhuc *bona gratia* vocatum : quia sicut a gratissimo Deo, ita et gratissimis amicis est præparatum. Quod autem gratissimis paratur, optimæ gratiæ digne nomen accepit : quia gratissimis optima cupimus et paramus.

Quatuor de causis Eucharistia gratissimis præparatur.

Hujus autem quatuor causas aliquis potest assignare. Una quidem, quia charissimi sunt et intimi, et ideo intima ad dilectum gaudent conjunctione : et hoc per optimam gratiam perficitur. Alia autem, quia gratissimi majori conjunctione sunt digni : dignitas autem hæc et electio per optimam perfici habet gratiam. Tertia autem, quia gratissimi in superabundantia non possunt esse gratissimi, nisi per optimam gratiam, et illam Eucharistiam esse oportet. Quarta autem,

quia gratissimi fonti gratiarum sunt simillimi, et ideo εὐχαρεῖς Græce vocantur Eucharistia, hoc est, bona gratia potientes.

Et de prima quidem harum causarum dicitur, Cantic. v, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.* Cum enim charorum sit in se invicem habitare per desiderium, non diceret : *Comedite, amici, et bibite*, nisi per suum corpus et suum sanguinem et animam et deitatem in eos penetrare quæreret. Nec diceret : *Inebriamini, charissimi*, nisi vellet, quod obliti suiipsus in ipsum Deum viceversa, etiam ipsi quærerent penetrare per incorporationem, sicut dicitur, Genes. XLIII, 16, de Joseph et fratribus suis : *Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium, quoniam mecum sunt comesturi meridie*, hoc est, in pleno fervore lucis, veritatis, et caloris charitatis. Mecum, inquam, comesturi sunt, et perfectè mecum, ut ego, dicit Christus, sim et commensalis et cibus. Unde versus :

Rex sedet in cœna turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Seipsum enim et manibus tenuit, et de seipso intimos cibavit : et ideo quasi ebrius dulcedine et charitate suorum, nihil sui fuit in quo dilectissimi sibi non communicaverint, sicut et Joseph in fervore meridiano comedens cum fratribus suis, coram eis legitur fuisse inebriatus [1].

Sic ergo dilectissimorum est præparatio optimæ gratiæ.

2. Secunda causa.

Sunt autem secundo gratissimi et dignissimi ut gratia potiantur optima : et hoc *Eucharistia* Græce vocatur. Hoc signatum est, Daniel. I, 3 et 4, ubi summus rex et monarcha mundi præcepit Asphenez, præposito eunuchorum, *ut introduceret de filiis Israel pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, et eruditos omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina, et qui possent stare in palatio regis.* Et post pauca, ℣. 5 : *Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, et de vino unde bibebat ipse.*

Tales enim charissimi gratia optima digni sunt, qui filii sunt per imitationem rectissimi in omni virtutis rectitudine : pueri in omni puritate sine macula innocentiæ, candore decori in omni forma compositionis gratiæ, eruditi, hoc est, extra ruditatem positi cœlesti sapore cognitionis divinæ, cauti ad omnem astutiam diaboli et mundi per scientiam, quæ bene docet conversari in medio pravæ et perversæ nationis [2] : docti doctrina Spiritus sancti in omni disciplina spirituali per unctionem quæ docet de omnibus, qui omni dignitate præcellentes sunt egregii, stare erecti ad cœlum possint in palatio templi gratiæ et templi gloriæ, contemplando vultum regis. His ut optima gratia dignissimis constituit rex annonam Eucharistiæ per singulos dies accipiendam, et de vino regali sanguinis sui. Unde ipse rex per omnia membra sua bibit et infunditur, ut eadem sagina corporis unde rex viveret, et eadem vindemia sanguinis quo membra ejus infunduntur, nutriantur, et regerentur ad beatitudinem.

Hoc etiam significatur, Esther, I, 3, quod *Assuerus, tertio anno imperii sui, fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se.* Sic enim noster Assuerus qui *beatus* interpretatur, tertio anno, hoc est, tempore gratiæ, quod antecesserat annus naturalis legis, in quo hoc sacrificium in oblatione Melchisedech fuit præfiguratum, et annus legis Moysi, in quo in agno paschali fuit expressius significatum in conspersa farina et azymis [3] : hic igitur tertio anno impe-

[1] Genes. XLIII, 34.
[2] Ad Philip. II, 15.
[3] Cf. Exod. XII, 8.

rii sui perfecit grande convivium Dei gratia et veritate perfectum. Fecit autem dignis dignum convivium : quia et principes sunt, nulla nisi ea quæ sunt digna principe cogitantes, sicut dicit Isaias, XXXII, 8 : et pueris suis omni puritate cordis et corporis dignissimis : inclytis Medorum, qui *mensurantes* et *adæquantes* interpretantur : quia tales semper se mensurantes intra fines suos consistunt, in nullo se super se elevantes : quia, sicut dicit Philosophus, insipiens est qui suiipsius ignorat quantitatem, semper se carius vendens quam sit propria æstimatio ipsius. Hi sunt Persarum qui *tentati* interpretantur fortissimi : quia ipsi sunt de quibus dicitur, Luc. XXII, 28 : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Interpretantur etiam Persæ *latera sua deserentes*, quod optime tantæ dignitatis competit viris, qui latera sua, id est, carnalium amicorum omnino deserunt, Patrem spirituum sequentes : et hac fortitudine confortati, digni habiti sunt tanto convivio. Hi sunt præfecti provinciarum Dei sui, quia quasi pro speculo positi sunt in quibus se dijudicent inferiores, et inveniant in eis quid imitentur.

Dignissimis ergo præparatum hoc convivium *optima gratia* est vocatum.

3. Tertia causa.

Adhuc autem tertia causa est : quia gratissimi per superabundantiam dicti, gratissimi esse non possunt, nisi per optimam gratiam digni sint effecti. Hæc autem optima gratia non vocatur nisi Eucharistia : quia per sumptionem hujus gratiæ omnino εὐχαρεῖς sunt facti et appellati. Unde Apostolus dicit, ad Hebr. XIII, 9 et 10, loquens de gratia hac : *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Optima enim gratia potiuntur per superabundantiam, qui hac gratia cor stabiliunt a carnalibus, gastrimargiæ escis se penitus avertentes : quia illæ nihil gulosis profuerunt nisi ad corruptionem : et ideo qui tabernaculo corporis deserviunt, de altari Eucharistiæ edere non habent potestatem. Unde hanc optimam gratiam qua gratissimi Deo potiuntur commendans Isaias, dixit, Isa. XXV, 6 : *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, vindemiæ, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Nullus enim nisi Dominus exercituum, Deus Sabaoth, cujus *plena est omnis terra gloria ejus* [1], posset hoc perficere. In monte, hoc est, tam excellentis gratiæ altitudine omnibus quidem paratum, sed gratissimis exhibitum, Convivium pinguium omni pinguedine gratiæ et devotionis saginatum : convivium medullatorum pinguium quæ medullæ dulcissimæ consolationes sunt saporum Spiritus sancti per totum convivium diffusi. Vindemiæ autem est convivium in gaudio cordis. Et vindemiæ defæcatæ : quia hoc gaudium Spiritus sancti nihil impuritatis habet admixtum.

Hic enim est *calix in manu Domini* [2] gratissimis porrectus, Calix, inquam, *vini meri*, hoc est, defæcati, qui calix semper est *plenus mixto* : quia aquam quæ populum signat, semper habet admixtam, ut nec nos sine ipso, nec ipse sit sine nobis.

Sic ergo gratissimis per superabundantiam optima gratia potientibus, hæc gratia data merito *Eucharistia* vocatur.

4. Quarta causa.

Quarto loco gratissimi sunt fonti omnis gratiæ similes vel simillimi : sicut etiam secundum naturam aliud similium nobis efficitur quod membris nostris incorporatur. Hi pro certo Christo simillimi sunt, qui jam Christo concorporales et incorporati sunt effecti : nullus autem Theologorum dubitat, quin incorporatio hæc fiat per Eucharistiæ sacramentum : et

[1] Isa. VI, 3 ; Sapient. I, 7.

[2] Psal. LXIV, 9.

sic incorporati gratissimi sunt Deo, quibus continue ad magis et magis incorporandum se Domino Eucharistia præparatur. Unde de taliter gratissimis a Domino dicitur, Luc. XXII, 29 et 30 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Regnum enim gratiæ est, in quo perfecta potestate regnat Deus in his qui jam Christo concorporales effecti, sibi sunt incorporati. In his enim sicut cor regnat in membris corporis, ita rex gloriæ et gratiæ Christus regnat in illis. Hi sunt de quorum uno dixit : *Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum* [1]. His ergo hoc regnum disponit per omnes justitiæ suæ et legum distributiones : his ut amplius incorporetur, dixit, *ut edatis* me in vos sumendo, et vos mihi magis et magis incorporando, *et bibatis* redemptionis et expiationis sanguinem continue vobis infundendo, et pignus salutis in eo magis ac magis continue sumendo. Hoc est quod dixit quidam in Spiritu sancto, Luc. XIV, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Quia revera beatus est, qui jam in regno Christi, hoc est, membrorum incorporatorum Christo, panem Christi manducat. Hi sunt de quibus dicitur, Thren. IV, 5, quod *nutriebantur in croceis.* Crocus enim et subtilis est ad penetrandum, et flagrans ad odorandum, et virtutem habet ad splendorem pulchritudinis conferendum : quæ omnia sunt in hac gratia, quæ sublimitate deitatis penetrat, odore virtutum flagrat, et splendore plenæ gratiæ pulchritudinem inducit spiritualem, qua pulcherrimo regi et fonti gratiarum assimilantur. Propter quod et gratissimi fonti gratiarum simillimi vocantur.

Quia igitur tam intimis in charitate, tam dignis merito, tam excellentibus in gratia, tam similibus fonti gratiarum, hæc gratia præparatur, digne et juste vocatur *Eucharistia* : quia non decet, quod talibus nisi optimæ gratiæ judicium præparetur : et hæc Græce *Eucharistia* vocatur.

CAPUT IV.

Hoc sacramentum Eucharistiæ non nisi bonam gratiam operatur

1. Quarto autem loco supra posuimus, quod ideo etiam *Eucharistia* vocatur, quia non nisi gratiam bonam operatur : et ideo omnis suus effectus optimæ gratiæ est effectus.

Hoc autem in quatuor probatur. Quorum primum est, quod hoc sacramentum proprium habet gratiæ effectum. Secundum, quod specialis gratiæ coram Deo est inventivum. Tertium, quod specialiter Deo est acceptum. Quartum etiam, quod nihil est in eo nisi gratum.

Sacramentum Eucharistiæ proprium habet gratiæ effectum.

Primum autem horum probat ea quam in præhabitis induximus auctoritas Apostoli, ad Hebr. XIII, 9, ubi dicit de Eucharistia loquens : *Optimum est gratia stabilire cor.* Gratia ergo cor stabilit et confortat ad hoc quod in bono divino permaneat. Hoc autem specialiter hæc gratia facit, sicut dicit Psalmista, Psal.

[1] I Regum, XIII, 14.

CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* Ex debilitate enim hominis homo hac gratia destitutus, nutat et vacillat, seipsum in bono tenere non valens, hujus gratiæ medicina destitutus. Et diu nutaverat Paulus, et sicut dicitur, Act. IX, 19 : *Cum accepisset*, scilicet gratiæ hujus *cibum, confortatus est.* Hæc vera gratia cibus animæ vegetans ad saturitatem et confortationem, cum alia omnia nec saturitatem offerant, nec cordis confortationem, dicente Anna, quæ *gratia* interpretatur, I Regum, II, 5 : *Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt.* Qui enim prius ingluvie ventris repleti sunt, et pro panibus se locant, temporalem quærentes saturitatem, nihil penitus gratiæ saturantis et confortantis accipiunt. Famelici autem cibum Domini desiderantes saturantur et confortantur. Et hoc idem dicit nostra illuminatrix Maria, filia Annæ, hoc est, gratiæ, Luc. I, 53 : *Esurientes implevit bonis, et divites,* scilicet sufficientiam in temporali refectione quærentes, *dimisit inanes.* Qui enim aliam quam gratiæ quærunt refectionem, de hac gratia edendi non habent potestatem, dicente Apostolo, I ad Corinth. XI, 20 et 21 : *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare : unusquisque enim cœnam suam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Ac si dicat : Si aliam quam gratiæ refectionem quæritis, hanc gratiam percipere non potestis. Alius enim jam concupiscentia illectus, temporalem refectionem esurit. Alius autem delectatione carnali repletus, insanus et ebrius est. Et ideo istis talem gratiam non quærentibus non contingit Dominicam cœnam manducare. Hoc est quod dicitur, Proverb. XIII, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.*

Quia igitur gratia satiat, et proprium habet hunc effectum hoc sacramentum in cibo acceptum, proprie *bonæ gratiæ* nomen accepit.

2. Est specialis gratia coram Deo inventivum.

Secundum autem est, quod specialis gratiæ coram Deo est inventivum. Pro omnibus enim invenit gratiam oblatum in cruce : et ideo quando Christus hoc sacramentum suis discipulis tradidit, dixit : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* [1], ut scilicet vos gratiam coram Deo inveniatis. Et hoc signatum est, Ruth, II, 8 et seq., ubi statim ut Booz dixit ad Ruth : *Ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco : sed jungere puellis meis, et ubi messuerint, sequere : mandavi enim pueris meis ut nemo molestus sit tibi : sed etiam, si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus et pueri bibunt :* statim in gratiarum actione *cadens in faciem suam et adorans super terram, dixit ad eum : Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos ?* Ager enim in quo gratia istius refectionis colligitur, terrenum et divinum est Domini corpus : nec ad alium agrum euntes invenimus gratiæ edulium, sed juncti puellis et pueris nostri Booz, qui *in quo est virtus* interpretatur, virtutis colligimus cibum, et ad sarcinulas quæ figuras et formas sacramentales significant, bibimus aquas refrigerii sempiterni : statim in gratiarum actione odorantes et dicentes, quia gratiam invenimus specialem. Hanc autem non inveniunt, qui in agro corporis Christi victum non quærunt, sed potius omni gratia privati inanes relinquuntur.

Hæc sunt novalia patrum, de quibus, Proverb. XIII, 23, dicitur : *Multi cibi in novalibus patrum.* Patres enim omnes in Christi corporis novalibus gratiam saturitatis invenerunt : quia nihil malarum stirpium in hoc novo fundo umquam succrevit.

Gratia ergo novæ satietatis coram Deo

[1] Cf. Matth. XXVI, 26 ; Marc. XIV, 22 ; Luc. XXII, 19.

specialiter in sacramento hoc invenitur : et ideo *Eucharistia* vocatur.

Tertio etiam constat, quod specialiter Deo est acceptum : quia specialis gratiæ est ostensivum. Unde, Matth. XXVI, 20, et Marc. XIV, 22, et Luc. IX, 16, et Joan. XXII, 19 et VI, 11, ubi hæc gratia sacramentalis significatur in panibus quibus Dominus turbas satiavit, semper præmittitur : *Accepit Jesus panes, et benedixit, ac fregit.* Ubi Glossa dicit, quod *accepit,* quoniam specialiter hoc sacramentum acceptavit inter omnes gratias quas hominibus exhibuit. Oportet autem specialiter gratiæ nomen habere, quod in gratia ipsi fonti gratiæ est acceptissimum. Unde, Psal. L, 21 : *Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.* Sacrificium enim justitiæ est, quod omnem pro nobis perfecit justitiam, et quod specialiter in gratia Deo est acceptum, sacramentum est Eucharistiæ, in quo oblationes sunt corporis et sanguinis animæ et spiritus et deitatis Christi, et holocausta Agni omni tempore immolandi κατὰ mane et κατὰ vespere, sicut dicitur, Levit. VI, 12 : qui Agnus totum in igne charitatis se incendit in odorem suavissimæ gratiæ apud Deum : et tunc illa gratia potientes etiam nostros vitulos, hoc est, omnem carnalem petulantiam mactantes, imponimus super altare sacramenti in igne charitatis, nostra sibi offerentes, ut accepta sint in tanti sacramenti acceptatione.

De his autem qui huic gratiæ non communicant, dicitur, Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra,* hoc est, quidquid offertis, non acceptabo : quia sine hujus oblationis gratia nihil est acceptum. Et hoc est quod subdit, ℣. 11 : *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Munda autem digna Deo est et accepta.

4. Nihil est in eo nisi gratum.

Quartum autem est : quia nihil est in hoc sacramento nisi gratum. Omnia enim quæ in ipso sunt, corpus, et anima, et deitas Deo grata sunt. Corpus autem ex purissimis est sanguinibus gloriosæ Virginis, qui ex Spiritus sancti gratia sunt mundati, numquam ulla originalis vel actualis peccati macula infecti. Anima autem a Deo Patre et Filio et Spiritu sancto ad imaginem Dei perfectissima creata de novo, et deitas æterna, in cujus munditia nihil umquam immundum potuit incurrere. Sapient. VIII, 20 : *Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Et ergo propter suam munditiam *nihil inquinatum in eam incurrit* [1].

Et sic mirabili et nova gratia hic occurrunt aliqua, scilicet antiquum, novum et æternum. *Antiquum* quidem tantum in antiquitatis primæ gratia assumptum : quia in immunitate culpæ Christus assumpsit corpus, quamvis voluntarie assumpserit pœnam. Et hoc est quod dicitur, Joan. I, 30 : *Qui de cœlo venit, super omnes est,* sicut dicit Glossa ibidem : « Non quod de cœlo corpus attulerit, sed quia hoc quoad immunitatem culpæ de altitudine humanæ naturæ assumpsit. » Et hoc corpus plenum gratia fuit propter duas causas. Quarum una est, quia corpus altitudinis divinæ naturæ in gratia fuit. Secunda autem, quia corpus manibus Spiritus sancti formatum totum fuit gratiæ promptuarium. Et hoc est signatum, Judicum, VI, 37, ubi ros in area descendens, et concham et vellus implevit. Ros enim gratiæ et concham uteri virginalis et vellus Agni immaculati in corpore Christi implevit : et expressum vellus concham implevit, quia de corpore Christi redundans gratia implevit Virginis uterum, et implevit Ecclesiam, cujus ille uterus fuit figura. Patet igitur, quod

[1] Sapient. VII, 25.

nihil nisi gratia fuit in eo quod fuit antiquum.

Novum autem, hoc est, anima, plenum fuit gratia. De hac enim dicitur, Joan. III, 34 : *Non ad mensuram dat Deus spiritum* : hæc enim anima non ad mensuram in donis sanctitatis accepit Spiritum sanctum : hæc enim felix anima est, de qua dicitur, Proverb. XXXI, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Et ideo novum etiam plenum fuit imbre gratiarum.

Æternum autem quod est deitas, non tam est gratiæ plenum, quam etiam fons gratiarum : hic est enim fons copiose omnia per gratiam infundens, de quo dicitur, Cantic. IV, 15 : *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Libanus enim candidus est noster Christus, a quo impetu divinitatis ejus fluunt indeficientes rivi gratiarum.

Sic igitur omne quod est in hoc sacramento, gratia est plenissimum. Et hoc signatum est, Genes. XVIII, 6, ubi magnus patriarcha Deus Pater uxori suæ sapientiæ dixit : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes*, scilicet azymos, procul dubio Angelorum usui præparatos. Simila enim corporis et animæ et deitatis signat puritatem. Et ideo *tria sata* dicuntur esse, in quo corporis sit puritas et animæ et gratiæ et deitatis candor æternus. Ex his autem fit manu sapientiæ præparatus noster subcinericius panis, Jesus Christus, sub cineribus nostræ mortalitatis decoctus, et usui Angelorum ad omnem delectationem præparatus : quia sicut dicit Psalmista, Psal. LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia.*

Nihil enim nisi gratiæ plenitudo in hoc invenitur sacramento : quia et corpus in nobis efficit gratiæ communionem, et anima gratiæ redemptionem, et deitas omnis gratiæ acceptationem : et ideo merito bona gratia, hoc est, *Eucharistia* vocatur hoc sacramentum.

CAPUT V.

Hoc sacramentum est gratia supra gratiam, quasi cumulum continens gratiarum.

1. Quinta causa quam supra posuimus, est quod est gratia super gratiam, quasi cumulum continens gratiarum.

Confert enim hoc sacramentum gratiam communionis, et super hanc gratiam expiationis, et super has duas confert gratiam redemptionis, et super has tres confert gratiam vivificationis, et super has quatuor dat gratiam refectionis spiritualis, et super has quinque significat nobis gloriam æternæ beatitudinis. Et ex his patebit, quod cumulum confert gratiæ et sanctitatis : ex corpore quidem confert gratiam communionis omnium Christi membrorum, ex sanguine autem dat gratiam expiationis, ex anima vero gratiam redemptionis, et ex spiritu Christi dat gratiam vivificationis et virtutis, ex deitate autem affert gratiam refectionis, et ex toto signo sacra-

menti dat gratiam æternæ beatitudinis.

Et de communione quidem corporis dicit Apostolus, I ad Corinth. x, 16 : *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Quasi diceret : Sic est : quia sicut dicit Apostolus, ad Roman. xii, 4 et 5 : *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo*[1]. Sicut enim in uno corpore Christi naturali et vero omnium membrorum fuit una in corpore Christi omnis boni et omnis gratiæ communicatio, ita in corpore mystico per corpus Christi verum omnes in omnibus gratiis Christi et omnium fidelium communicamus. Psal. cxviii, 63 : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua, Domine.* Unde vere dicitur de fidelibus, Act. iv, 32 : *Et erant illis omnia communia.* Et sequitur statim, quod non erat quisquam egens inter illos, sed vere fiebat in illis quod dicit Apostolus, II ad Corinth. viii, 14 et 15, *æqualitas, sicut scriptum est,* scilicet de manna : *Qui multum habuit, non abundavit : et qui modicum, non minoravit*[2]. Omnibus enim in hac communione corporis Christi omnia quæ sunt corporis, sunt communia, sicut et membra corporis Christi veri omnia bona corporis communicaverunt.

Hæc est sanctorum communio, quam in symbolo nos credere profitemur, dicentes : « Credo in sanctorum communionem. » Quia in communione corporis Christi omnia quæ sunt Christi et fidelium propria, nobis omnibus efficiuntur communia, sicut dicitur, II ad Corinth. viii, 14 : *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Hæc enim sunt promptuaria hujus sacramenti, de quibus dicitur, Psal. cxliii, 13 : *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* Et hoc est quod in consonanti jucunditate sanctorum de plenitudine ista accipientium in gratiarum actione dicit Psalmista, Psal. cxliv, 7 : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt.* Habentes enim illam memoriam abundantiæ istius communionis Christi et omnis sanctitatis, de plenitudine illa eructant suavitatem, et exsultant in justitia abundantissima ad omnem plenitudinem gratiarum.

2. Gratia expiationis.

Super hanc communionis plenitudinem in omni gratia confert gratiam expiationis ab omnibus peccatorum piaculis. Non enim umquam expiatur, quod sanguis Christi non expiaverit et emendaverit. Unde dicit psalmista, Psal. l, 9 : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Et præmisit : *Asperges me hyssopo, et mundabor.* Hyssopus autem herba est sanguinis et pulmonis purificativa, sanguinem Christi signans, qui nos omnes expiat a maculis peccatorum. Unde, Apocal. vii, 14, dicitur de omnibus expiatis : *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Quia quidquid in conversatione operis, vel observantia cordis, vel affectibus, et sensibus animæ, vel cogitationibus spiritus invenitur, non expiatur nisi sanguinis Christi aspersione. Et hoc est quod dicitur, Job, ix, 30 et 31 : *Si lotus fuero velut aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea.* Quia quamvis niveas virtutes habeamus naturales et purgatorias, sive etiam animi purgati, sicut distinxit Plotinus : et si vestimenta conversationum nostrarum fulserint velut mundissima picturis heroicarum virtutum decorata, tamen nisi sanguis Christi expiet nos, sordescimus et sordidi sumus, dicente Apostolo, ad Hebr. ix, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hoc etiam est quod signatur, ad Hebr. ix, 20, ubi om-

[1] Cf. I ad Corinth. xii, 12 et seq.

[2] Cf. Exod. xvi, 18.

nia præcipiuntur mundari in sanguine, dicente Aaron : *Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus.* Testamenti enim sanguis, sanguis est expiationis, in quo omnia mundantur, dicente Apostolo, ad Hebr. IX, 14 : *Sanguis Christi ....emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.*

Hæc igitur gratia expiationis est super gratiam communionis in hoc sacramento.

3. Gratia redemptionis.

Cumulatur et hoc sacramento per gratiam redemptionis quæ est in animæ pretio quod pro nobis in hoc offertur sacramento. Hoc enim, ut dicit Ambrosius, est admirabile pretium, cujus pondere tota est redempta captivitas, mundi tartarea confracta sunt claustra inferni, aperta est nobis janua regni, et nos sumus omnes liberati. Isa. XL, 10 : *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur : ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo.* Merces, inquam, qua omnes redempti sumus. Psal. CXXIX, 7 : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Quia pretium animæ plus ponderis intulit in thesauros Patris, quam totum abstulerit humanum genus.

Hoc est pretium decoris. Zachar. XI, 13 : *Projice illud ad statuarium, decorum pretium quo appretiatus sum ab eis.* Ad statuarium, hoc est, primum imaginis humanæ factorem intulit pro nobis Christus in redemptionem nostræ captivitatis. Unde Jacob in figura Christi dicit de eo, Genes. XXXI, 39 : *Damnum omne reddebam, quidquid furtim perierat, a me exigebas.* Plus enim quam damnum pro nobis solvit anima Christi : quia et nos ab obligatione captivitatis redemit, et nobis vitæ æternæ mercata est beatitudinem : sic enim in redemptionem pro nobis Christus animam suam posuit. Joan. XV, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et iterum, Joan. X, 11 : *Bonus pastor animam suam dat ovibus suis.*

Et hoc pretium redemptionis quotidie offerimus ad aram in devotione, ut ab omni obligatione redimamur. Unde Apostolus, I ad Corinth. VI, 20 : *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Empti enim sumus non aliter, quia redempti sumus animæ Christi pretio. Et hoc est quod dicitur, I Petri, I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.* Nec loquimur de sanguine in quantum in ipso specialiter est gratia expiationis, sed potius in quantum sedes animæ est in sanguine, in pretium redemptionis. Ad hanc redemptionem clamat David in Psalmo CXXIX, 8, dicens : *Redimet*, scilicet Deus, *Israel ex omnibus angustiis*[1] *suis.*

Hanc igitur gratiam super duas dictas habet hoc sacramentum.

4. Gratia vificationis.

Adhuc autem et his quartam cumulat gratiam vivificationis ex spiritu Christi : quia sicut in aliis hominibus vehiculum est spiritus vitæ et virtutis, restituens in nobis omne quod deperditum vitæ spiritualis ex inedia famis antiquæ, per quam macerati non habentes istud edulium, vita divina deperdita est in nobis : hoc enim totum deperditum spiritus Christi refundit in sacramento corporis Christi vivifici, quod totum est plenum spiritu. Unde, Joan. VI, 58, dicitur : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Et quod a Spiritu hæc vita procedat, dicit, ibidem, ℣. 64 : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Sic etiam de mortuis qui corpus Christi acceperunt, dicitur, Ezechiel. XXXVII, 10 : *Ingressus est in ea spiritus*, scilicet vitæ, *et vixerunt.* Spiritus enim perpetuæ vi-

[1] Vulgata habet *iniquitatibus.*

tu, spiritus Dei est : quoniam abundanter nostrum spirat sacramentum. Unde, Apostolus dicit, ad Roman. VIII, 11 : *Qui suscitavit Jesum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Mortalia enim corpora sunt, quæ continue deperditionem habent in vitæ principiis, quæ deperditio continue reparatur per vivificationis et vegetationis æternæ sacramentum. Sic de Christo summa sapientia Patris, qui hunc vivificationis modum excogitare potuit, dicitur, Eccli. IV, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* Inspiravit enim omnibus filiis suis vitam in pane filiorum vivifico, in quo Christus sumitur, a quo vitæ spiritus procedit. Sic enim ut, Eccli. XV, 3, dicitur : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum :* sicut dicitur, Joan. X, 28 : *Ego vitam æternam do eis, et non peribunt.* Per cibum enim conjungit eis Spiritum qui æternam vitam spirat in eis : et ideo perire non possunt.

Et hæc est quarta gratia quam cumulat super tres anteriores.

5. De re-fectione. Habet autem et quintam ex refectione deitatis. Hæc enim est quæ vere reficit et verum confert homini nutrimentum refectionis. Unde, I ad Corinth. III, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat, Deus.* Hæc est pascua intimæ refectionis, de qua dicitur, Genes. L, 21 : *Nolite timere : ego pascam vos et parvulos vestros.* Nihil enim interius mentem reficit, nisi sumpta in corpore Domini divinitas, de qua dicit Psalmista, Psal. XXII, 2 : *In loco pascuæ ibi me collocavit.* Alibi enim pascua non inveniuntur.

Unde Christus hæc pascua suis exhibens tam in nuda divinitate in qua cum Patre communicat, quam etiam in humanitate quæ deitati est unita, dicit, Joan. X, 9 : *Et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Intus enim inveniet in deitate, et extra ad sensum in humanitate, quæ deitati est unita. Ezechiel. XXXIV, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas.* Uberrima pascua sunt refectiones sacramenti, saporem divinitatis habentes. Hoc est quod dicit, Isa. LVIII, 14 : *Sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* Altitudo enim terræ est excellentia corporis Christi, in qua cibus est et refectio per hoc quod corpus deitati est unitum, et hoc est hæreditas Jacob et omnium ab initio patriarcharum : quia omnes in fide et benedictione hujus sacramenti sunt vegetati et refecti. Hoc est quod omnes invitans Dominus dicit, Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Reficitur enim quod deperditum est gratiæ hujus edulium : quia comedentes ipsum semper sunt in desiderio refectionis hujus. Unde, Eccli. XXIV, 29, dicitur : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient.*

6. Gratia æteruæ beatitudinis. Præter omnes dictas gratias, ex se signat nobis fructum æternæ beatitudinis, sicut dicit beatus Dionysius in primo capitulo *Cœlestis hierarchiæ*. Et hoc etiam innuit Gregorius in quadam Collecta dicens : « Præsta, ut quod specie gerimus, rerum veritate capiamus. » Sicut enim Christus in specie sacramenti sacramentaliter se influit nobis ad gratiam, ita secundum deitatem influet se nobis et omnibus beatis ad gloriam. Et hoc est quod dicitur, Joan. XVII, 22 et 23 : *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis : ut sint unum, sicut nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Claritas enim quam Pater perficiendam dedit Filio, est claritas qua claret in omnibus membris corporis mystici. In omnibus enim illis fulget et lucet claritas Christi. Et ideo cum ab aliis removeretur Judas proditor, secum portans hoc corpus, statim dixit Christus, Joan. XIII, 31 : *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Et cum converterentur ad ipsum Gentiles claritatem ejus accipiendo, sta-

tim dixit, Joan. XII, 23 : *Venit hora ut clarificetur Filius hominis.* Nihil enim claritatis habere possumus, nisi claritas Filii Dei clareat in nobis.

Sic ergo influendo se nobis spiritualiter et sacramentaliter, nobis suam dat claritatem, quam sibi Pater dedit in mundo perficiendam : et sic unum sumus cum ipso corpus, dicente Apostolo, I ad Corinth. XII, 27 : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro.* Hoc enim modo Pater per consubstantialem Filio deitatem suam est clarens in Christo homine secundum suam humanitatem. Et sic claret Filius in Patre secundum unam et eamdem substantiam deitatis clarissimam. Et si hoc igitur modo Christus claret in nobis, sic sumus in unum Patris et Filii in claritate consummati in gratia quæ signum est æternæ claritatis in gloria, qua clarebimus per influxum in nos deitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Joan. XIV, 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Apud nos enim manet, quia in nobis sibi claram constituit mansionem. Sic complebitur quod dicit Apostolus, I ad Corinth. XV, 28 : *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Et hoc est quod dicit Job, XVIII, 17 : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Aurum enim et quidquid splendet corporaliter, æterno splendori adæquari non potest. Vitrum enim omne et quidquid pervium in lapidibus pretiosis, transparet, quia id quod intus est, vel in parvo, vel in magno abscondunt, quod non adeo relucet quando nudum exhibetur, non potest adæquari illi cœlesti gloriæ, quæ erit in nobis quando tam claræ erunt mentes nostræ et corpora nostra, quod quidquid in nobis est de Deo et Dei puritate, in nullo penitus per corpulentiam nostram abscondatur. Et hoc intendit Gregorius dicere, ibidem in Glossa dicens, quod in beatitudine uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet. Et hæc divina, ut dicit Dionysius, signat Eucharistia, quæ cum Deus sacramentaliter in nos hic fluit, et a nobis sic percipitur ut sibi incorporemur, designat in nos futurum influxum suæ clarissimæ deitatis, quæ undique gloriose fulgens in nobis, non abscondetur, sed sua claritate omnino clari efficiemur. Hæc est enim de qua, Sapient. VII, 29 et 30, dicitur : *Est enim hæc speciosor sole, et super omnem dispositionem stellarum : luci comparata, invenitur prior. Illi enim succedit nox : sapientiam autem non vincit malitia.* Hac claritate incorporati nobis solis fiet sermo qui scriptus est, Matth. XIII, 43 : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Nec mirum : sicut enim Christo incorporati, in quibus nulla peccati est obscuritas, sunt incorporati ei, de quo dicitur, Sapient. VII, 26, quod *candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Et in hoc est advertere quantum est videre Deum in tot beatis, sicut videtur lumen in pluribus lucernis diversimode participantibus ipsum secundum diversam uniuscujusque dignitatem.

Et hæc est significatio quam modo in Eucharistia præsentamus : propter quod *Eucharistia* vocatur.

CAPUT VI.

Hoc sacramentum est omnis gratiæ contentivum.

1. Sextam autem causam hujus nominis esse diximus, quia omnis gratiæ est contentivum : continet enim eum qui vas est omnis gratiæ plenissimum : propter

quod etiam a pluribus dicitur *sacramentum sacramentorum*.

Quod autem omnia sacramenta significant et continent divisim et particulariter, istud simul complectitur, continendo vas et auctorem gratiarum. Et hoc signatur, Eccli. L, 10 : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*. Corpus enim Christi vas est auri pretiosi deitatis. Ad Coloss. II, 3 : *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*, scilicet Dei, *absconditi*. Quod esse non posset, nisi in se perfecte totum contineret splendorem deitatis.

Totus enim omnis sanctorum splendor in ipso ab æterno resplenduit, totus in ipso contentus mansit, totus in agro suæ humanitatis germinavit, totus ab ipso processit, totus in ipso existens particulariter a sanctis accipitur, totus in ipso esse cognoscitur et ostenditur in admirationem.

2. Et de primo quidem horum, quod scilicet splendor omnis sanctitatis ab æterno effulsit in ipso, dicitur in Psalmo CIX, 3 : *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te*, hoc est, ex fœcunda mea deitate, Fili, te genui radiantem in omni splendore sanctitatis, antequam lux creata oriretur in cœlis vel in terris. Hic autem Filius in omnibus splendoribus in sacramento Eucharistiæ continetur : et ideo de ipso potest dici quod dicitur, Eccli. XLIII, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ*. Quoad litteram, hostia de qua corpus Domini consecratur, *nebula* vocatur : quæ festinat in nostram medicinam, quia panis qui sub nebula est, festinanter absque mora temporis in corpus Christi transsubstantiatur, in quo omnis medicina est : quia in ipso ab æterno est omnis decor sanctitatis quo quisque sanatur. Sic etiam potest exponi quod dicitur, III Regum, VIII, 12 : *Dominus dixit ut habitaret in nebula*. Glossa, id est, opere monstravit. In hac enim nebula statuit habitare ad nostram salutem : et quia sic omnium sanctorum splendor est in ipso, non est mirum si in eadem imagine resplendent illi qui digne ipsum percipiunt. II ad Corinth. III, 18 : *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu*. Continet igitur hoc sacramentum Christum in omni splendore sanctitatis.

Filius Dei in omnibus splendoribus in sacramento Eucharistiæ continetur.

3. Continet recte Christum in omnis sanctitatis plenitudine. Unde ipse Filius sapientia Patris dicit, Eccli. XXIV, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea*. In Christo enim corporaliter plenitudo est sanctitatis. Et ideo Filius Dei etiam secundum divinitatem per unionem detinetur in ipso homine, qui in hoc sacramento continetur et confitetur. Unde etiam ille homo sic assumptus specialiter debet esse beatus. Unde, Psal. LXIV, 5 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis*. Quasi diceret : Ille specialissima et privilegiata beatitudine factus est, cujus tu Deus assumpsisii naturam, et quem ad hanc sanctitatis plenitudinem elegisti : hic enim tibi unitus habitabit in atriis tuis in eminentia omnium bonorum tuorum quibus ipse præ omnibus perfruitur in omni plenitudine tuam communicans sanctitatem. Et ideo de Christo secundum perfectam rationem dicitur, quod et secundum perfectam participationem scriptum est de primo Angelo, Ezechiel. XXVIII, 12 et 13 : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore : in deliciis paradisi Dei fuisti*. Præ omnibus enim est signaculum similitudinis, quæ est ipsa in nullo differens imago Patris, Patrem in toto coæquans in omni plenitudine deitatis et sanctitatis.

Hunc autem in plenitudine copiæ et affluentiæ istud centinet sacramentum. Plenitudine, inquam, copiæ : quia num quam deficiet, dicente Domino, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummatio*

nem sæculi. Est autem nobiscum in sacramento. Plenititudine autem supereffluentiæ dico : quia ipse totus inde effluit in omne et totum corpus mysticum, ut, sicut dicitur, ad Ephes. III, 19, impleamur *in omnem plenitudinem Dei.* Et iterum, ad Ephes. IV, 12 et 13, dicit : *In ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Hoc est dicere, omnia quæ fecit Christus in mysteriis Ecclesiæ, ad hoc fecit ut ædificatio mystici corporis perficiatur, et impleatur proportionabiliter ad plenitudinem sanctitatis veri corporis, donec sic omnes qui sic sumus membra ejus, occurramus Christo Deo nostro in unitatem fidei suæ et agnitæ in nobis sanctitatis Christi, in virum illum perfectum Christum in toto suo corpore, et participemus mensuram ætatis in gratia et sanctitate plenitudinis Christi, ita quod in gratia et sanctitate perfecta habeamus quantitatem, nec de cætero simus parvuli et imperfecti. Sic ergo in plenitudine copiæ et effluentiæ sanctitatis Christus in hoc sacramento continetur : et ideo *bona gratia* vocatur.

4. Totum quod est sanctitatis et gratiæ, in agro humanitatis Christi nobis germinavit.

Adhuc autem, totum quod est sanctitatis et gratiæ, in agro suæ humanitatis nobis germinavit : quem sanctitatis odorem percipiens patriarcha magnus admirans dixit, Genes. XXVII, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Et subjungit de incremento mystici corporis ad plenitudinem veri, dicens, ℣. 28 : *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini.* Ac si dicat : Faciat te crescere in membris sicut crevisti in teipso. Et hoc facies : quia deitate tua dabis eis de rore cœli qui gratiam signat, et de pinguedine terræ, et hoc est, tui terreni corporis, quod omni sanctitate impinguatum est, abundantiam. Hæc abundantia roris et pinguedinis quæ germinavit in agro corporis Christi, nobis de plenitudine hujus ministratur sacramenti : et ideo plenitudo gratiæ et bona gratia vocatur. Hoc est quod dixit Psalmista, Psal. LXXXIV, 13 : *Dominus dabit benignitatem,* scilicet roris et pinguedinis de corpore suo in sacramento : *et terra nostra* membris omnibus *dabit fructum suum,* ad modum fructus qui crevit in agro Dominici corporis, hoc modo sicut dicitur, Isa. XLV, 8 : *Aperiatur terra,* suscipiens rorem gratiæ et pinguedinem devotionis, *et germinet Salvatorem.* Quæ enim melior terra esse potest, quam corpori Christi conjuncta, et sanguine suo impinguata? Pro certo nulla : quia ad litteram secundum terræ naturam nulla pinguedo adeo terram fœcundat, sicut rigatio humani sanguinis. Multo autem et in infinitum magis fœcundat sanguis Salvatoris. Unde, Job, XVI, 19 et 20 : *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus : ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis.* Vult enim, quod sanguis in terram fusus a fructu vacuus non lateat, et clamor quem offerendo seipsum in holocaustum pro nobis, non lateat, sed cum effectu exauditionis veniat ad aures Patris, qui testis est et conscius omnium eorum quæ gessit : quæ omnia fecit ex Patris obedientia. Hæc autem omnia in sacramento Eucharistiæ in singulis missis repræsentantur, et omnia nobis de agro Dominici corporis succreverunt.

5. Salus nostra a Christ procedi

Totum etiam hoc quod nostræ salutis est, ab ipso processit. Unde, Joan. I, 16, dicitur : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Nec ab ipso acciperemus, nisi esset ab ipso : nec aliquo modo etiam de hoc quod in ipso est, accipere possemus, nisi sibi communicaremus. Non autem vere communicamus, nisi in communicationis sacramento : totus enim ibi percipitur et emanat de ipso in omnes. Propter quod etiam ipse Dominus cum omnia sua communicare vellet suis, et nihil abscon-

dere ab ipsis, ultimo seipsum in cœna Apostolis in sacramento exhibuit, dicens : *Accipite et comedite : hoc est corpus meum* [1]. Ac si dicat : Gratiæ plenitudinem quæ in me est in vase sacramentali corporis mei, et ex illa recipietis reconciliationem et remissionem : quia ex ipso manat gratia redemptionis. Numer. XXIV, 7 : *Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas.* Situla hic signat corpus Christi, et Christum, de qua aqua gloriæ et gratiæ plene effluxit, quæ quasi semen in cordibus fidelium effusa in aquas gratiarum plurimarum redundavit. Sic enim dicitur, Esther, x, 6 : *Parvus fons,* in humilitate Jesu Christi, *crevit in fluvium,.. et in aquas plurimas redundavit.* Sic gloriosa Virgo *plena gratia* effecta est [2], et Stephanus *plenus gratia et Spiritu sancto* [3]. Unusquisque sibi proportionabilem plenitudinem accepit, ita quod in spiritu et gratiarum actione dixerunt : *Repleti sumus mane misericordia tua : et exsultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris* [4].

6. Hæc plenitudo gratiæ in ipso videtur et cognoscitur : quia nihil in hoc sacramento nisi plenitudo gratiæ percipitur. Unde, Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Quidquid enim videtur in ipso, non vacua, sed plena est gratia de plenissimo fonte emanans. Unde, Esther, XV, 17, exclamans dicit : *Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum.* In quacumque enim facie inspicitur, mirabilis et plenus gratia invenitur : a facie enim deitatis causatur gratia, et per faciem humanitatis propagatur, in nativitate consecrat virginitatem, in vita decorat conversationem, in verbo ostendit gratiæ veritatem, in miraculis probat gratiam potentem, in morte gratiam ostendit efficacem : et sic omnis ejus facies est plena gratiarum. Et hic totus in omni gratiæ choro plenus continetur, ubique probans, quoniam *gratia et veritas per Jesum Christum facta est* [5], ut dicitur hoc sacramentum. Plenitudo gratiæ in Christo.

Omnibus igitur hoc sacramentum Eucharistiæ percipientibus, gratiæ plenitudo et vas omnis gratiæ communicatur : et ideo *sacramentum Eucharistiæ* digne vocatur.

[1] Matth. XXVI, 26.
[2] Luc. I, 28.
[3] Act. VI, 8 et 55.
[4] Psal. LXXXIX, 14.
[5] Joan. I, 17.

DISTINCTIO II,

QUOMODO HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE DONI ?

Hoc autem sacramentum etiam in genere doni et muneris invenitur.

In dono enim tria considerantur, scilicet proprietas donantis, et proprietas doni, et proprietas ejus cui fit donatio.

Proprietas autem donantis in dono isto triplex est, scilicet magnificentia in donantis largitate, hilaritas in ipsa donatione, et affectus donantis in doni charitate.

TRACTATUS I.

DE PROPRIETATE DONANTIS.

CAPUT I.

De magnificentia in donantis largitione.

Magnifici sive liberalis quæ sit proprietas ?

Magnificus enim est, qui tantum donum vel thesaurum dedit. Unde, Exod. xv, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine ? quis similis tui, magnificus in sanctitate ?* Tantum in hoc dono dedit, quantum ipse est in corpore et anima et deitate : et sicut dicitur, Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Principis enim fuit tam magnificum dare donum. Ante quidem dederat munera, sed parva respectu hujus doni fuerunt.

Magnificum autem donum est sibi in corpore et anima et deitate nihil privatum retinere, quod non nobis exhibeat : unde dicitur, Deuteron. XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.* Perfectum tunc fuit opus donationis, quando nihil sibi privatum retinuit quod non nobis donaverit : tunc enim omni laude liberalitatis suæ, sicut dicit Psalmista, Psal. VIII, 2 : *Elevata est magnificentia tua super cœlos :* et quidquid in cœlo fuit gratiæ et gloriæ, totum nobis dedit. Unde hanc magnificentiam canens Psalmista, Psal. CIII, 27, dicit : *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore.* Hoc est donum alimenti divini, de quo dicitur, Psal. CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Ac si dicat : Quidquid hactenus dedisti, parum est, adhuc inedia destituit, exspectamus omnes donec largam manum magnificentiæ aperias, et nos omnes dono quo teipsum das in escam, benedictione impleas. Et hoc est quod in Evangelio Matthæi, XXII, 2, dicitur de cœna magna, quæ ex abundanti omnibus Dei magnificentia est præparata. Sic Assuerus, Esther, I, 3, dicitur, *fecisse grande convivium*, ex magnificentia Dei præparatum. Jussit convivium præparari permagnificum *cunctis principibus et pueris suis.* Et post modicum, II, 18 : *Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Magna enim dona Christi in hoc convivio : corpus dedit in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, deitatem in condimentum exhibendo.

Sic igitur magnificentia divina donum hoc significatur, et magnificentia liberalitate. Psal. CXLIV, 5 : *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt*, etc.

CAPUT II.

De hilaritate donantis in donatione.

Hilaritas manum mum sit, quanta hilaritate hilaratus se nobis dedit.

De hilaritate autem in donando et quam hilariter donavit hoc donum, non est qui possit digne exprimere. Si enim aliqua tristitia cordis in dando retractus esset, non totum in dono seipsum dedisset. Propter quod dicitur, Eccli. XXXV, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum, et exsultatione sanctifica decimas tuas.* Hoc enim solum datum est, quod omne datum est : quia in hoc dato nihil privatum sibi Christus retinuit, humanitatis simul et deitatis nobis omnia dona conferens.

Et hoc donum est signatum per omnem decimam ab omnibus tam in lege naturæ quam in lege Moysi oblatam Per omnes illos decima sacerdotibus qui vicem et locum liberatoris tenebant, offerebatur, novem retentis partibus quæ imperfectionem et indigentiam liberationis signabant, et decima oblata, quæ perfectionem per quam per summum sacerdotem liberatio facta est, significat. Hæc autem perfectio non est nisi in corpore et sanguine Domini, quam omnis significat decima. Hic ergo rex et sacerdos nobis dona sua conferens, quæ omne datum in se habent, et per omnem decimam significantur, in omni hilaritate hoc exhibuit : omnino enim cor ejus

exhilaratum est, quando nimia charitas ejus se sensit a membris communicari ad perfectam membrorum incorporationem sibi factam in communionis dono.

Adhuc autem, in omni hilaritate perusus est ille magnificus in liberalitate rerum, quando a se vidit tantum donum procedere. De proprietate enim magnifici est delectari et hilarescere in magna donando, et contristari si magna donare non poterit. Hoc autem optime significatum est, II Paralip. xxx, 1 et seq., ubi loquitur Scriptura de Phase quod celebravit Ezechias rex, qui regem Christum significat, et Phase ejus significat donum pretiosi corporis et sanguinis Christi, ubi sic dicitur, ℣℣. 24 et 25 : *Sanctificata est ergo sacerdotum plurima multitudo. Et hilaritate perfusa omnis turba Juda, tam sacerdotum et levitarum, quam universæ frequentiæ quæ venerat ex Israel*, etc. In hac enim hilaritate ad quam quidem sanctificantur sacerdotes et inferiorum ordinum ministri, sanctificatur tota frequentia populi communicans huic dono Domini nostri Jesu Christi. Et hoc est quod dicitur, Eccli. xxvi, 4 : *Divitis et pauperis cor bonum, omni tempore vultus eorum hilaris.* Largitoris enim et eorum quibus largitur hoc donum, necesse est cor hilarescere in jucunditate mutuæ communionis : quamvis tristitia fuerit de passione imminente, tamen maxima fuit hilaritas in istius communionis collatione. Unde, Esther, ix, 22, dicitur : *Luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt.* Quis enim non hilaresceret in tantorum bonorum collatione, sciens quod scriptum est, Proverb. xvi, 15 : *In hilaritate vultus regis vita, et clementia ejus quasi imber serotinus?* Omnis enim vita et omnis clementia et omnis imber gratiæ ab ipso procedit sacramento : dicitur enim, Proverb. xix, 12 : *Sicut ros super herbam, ita et hilaritas regis :* quia hilaritas ejus omnes perfundit gratia suæ largitatis : qui enim semper per Apostolum suum dixit, II ad Corinth. ix, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus*, non potuit in tantis suis donis non esse hilaris. Et iterum, ad Roman. xii, 8 : *Qui miseretur in hilaritate.* Unde et ipse in tot misericordiæ indiciis nobis exhibitis non nisi hilaris esse poterat. Et hoc optime significatur, Ruth, iii, 7, ubi dicitur : *Cum comedisset Booz et bibisset, et factus esset hilarior, issetque ad dormiendum*, ubi notatur, quod Booz noster, qui *in quo robur* interpretatur, eo quod sic robustus omnia perfecit nostræ redemptionis et sanctificationis opera, in cœna cum suis sua donans in cibo et potu, factus est hilarior. Et sic ivit dormitum in crucem et sepulcrum. Unde etiam perfecto omni negotio dixit, Psal. iv, 9 : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.*

Sic ergo magnificus est in largitate, et hilaris in donatione.

CAPUT III.

De affectu donantis in charitate et intimo amore.

Quanto affectu Christus suum, corpus donavit.

Attenditur autem in donante etiam affectus in quo dat, ut scilicet ex intimo amore det dulciter affectus in donando. Hoc enim patet ex hoc quod dixit, Luc. xxii, 15, cum donaret corpus suum in communionem discipulorum : *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Desiderio enim desiderabat, qui ex intimo affectu se suis communicabat, et gaudens mor-

tem sustinebat, qui non moriens a suis recedebat, sed in dono quod dederat in optima communione suorum, remanebat. Unde etiam et sui ad ipsum in hac communicatione magno ineffabiliter affectu sunt affecti, ita ut, Job, xxxi, 31, sub juramento dicat : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus, ut saturemur ?* Hoc enim verbum Joannes Chrysostomus tractans *super Joannem*, xiii, dicit, quod viri tabernaculi, Christi Apostoli fuerunt et discipuli, qui ex intimo affectu suspirantes in desiderio animæ dixerunt : De carnibus ejus in communionis sacramento, quis det ut saturemur ? ita quod ulterius non esuriamus. Plenam enim refectionem fert cibus iste, si quis ipsum spiritualiter degustet, et plenum charitatis affectum. Unde Chrysostomus ibidem dicit in originali *super Joannem*, i : « Ut leones ignem spirantes, ita a mensa secedimus illa. » Ipse enim est, qui per dilectum suum discipulum dixit, I Canonica Joannis, iii, 17 : *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ?* Quasi diceret : Nullo modo est charitas in eo. Unde Christus omnes suos fratres videns necessitate famis deficere, non clausit ab eis viscera, sed in visceribus charitativi affectus corpus et sanguinem, et viscera, spiritum et animam et deitatem nobis communicavit : fecit enim quod in spiritu Tobiam docuerat, Tob. iv, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Et hoc quod ipse dives in misericordia et copiosus habuit, totum nobis dedit in communionem, paternæ liberalitatis se probans hæredem, de quo dicitur, Jacobi, i, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

Sic ergo magnificus et hilaris et affectuosus Dominus in dono fuit.

TRACTATUS II.

DE PROPRIETATE DONI.

CAPUT I.

De doni nobilitate.

Eucharistia donum Dei electum.

In ipso autem dono sacramenti hujus quatuor notanda esse occurrunt, scilicet doni nobilitas, doni sufficientissima copiositas, et doni utilitas, et quarto, doni hujus ad donantem conformitas.

Propter quod semper etiam memoria habetur in dono, et de nobilitate est pretiositas et electio doni : quia nobile pretiosum est et electum. Hoc est enim illud donum de quo dicitur, Sapient. III, 14 : *Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Domini acceptissima.* Quamvis enim multa sint fidei dona, tamen hoc donum præ omnibus fidei donum est, in quo tanta sunt fidei fundamenta : quia in hoc dono et fides Christi fundatur, et fideles sanctificantur : et ideo ex omnibus est donum electum, et magnum fidei sacramentum, quo donatum est fidelibus. Et est istud donum tota sors fidelium acceptissima, in qua omnes acceptantur in templo Domini, in quo donum offertur, et ad cujus oblationem totum Ecclesiæ templum sanctificatur, dicente Patre ad Filium, Isa. LVI, 7 : *Holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo :* quia in hoc dono omnia alia munera fiunt accepta, in quo Filius offertur Patri, et in Filio nobis sic dato omnes nos ipsi dono communicantes acceptantur, dicente, Isa. LX, 7 : *Offerentur super placabili altari meo, et donum* [1] *majestatis meæ glorificabo.* Hoc enim bono nobili pretioso et electo tota domus divinæ majestatis et exaltatur et glorificatur. Propter quod, Aggai, II, 10, dicitur : *Magna erit gloria domus hujus novissimæ plusquam primæ.* Quia nullum tale donum in aurato templo synagogæ fuit, quantum est istud donum in domo templi Dei fidelibus donatum. Unde, I Petri, I, 18 et 19, dicitur : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.* Quod tractans Joannes Chrysostomus in *Originali* super Joannem, XIII, dicit :

[1] Vulgata habet *domum*.

« Sicut homo auro servos emit, et servos quos honorare vult, mundat et ornat : ita Dominus noster nos et sanguine mundavit et ornavit. » Et Ambrosius in libro de *Virginitate* loquens de sancta Agnete, dixit : « Ab alio amatore prævenia sum : quia mihi satis meliora te obtulit ornamenta : jam corpus ejus corpori meo sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas. » Hic est enim de quo dicitur, Cantic. v, 10, quod est *candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Est donum istud in candore cibi immaculati confecti ex adipe candidissimi frumenti, et rubore pretiosi sanguinis ex uva sui corporis expressum. Unde, Genes. XLIX, 11, secundum translationem Septuaginta, legitur : *Lavit* [1] *vino stolam suam, et in sanguine uvæ et olivæ pallium suum.* Hoc ergo est donum, quod nobilitate suæ pretiositatis est ex omnibus electum.

Hoc est etiam donum, quod sui pretiositate a multis est absconditum et amicissimis datum, de quo dicitur, Proverb. XXI, 14 : *Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam.* Omnem enim iram et indignationem Dei hoc pretiosissimo dono exstinguimus : hoc enim munus omnes qui Deum placare quærimus, offerimus tam pro vivis quam pro mortuis. Unde dicitur, Sophoniæ, III, 10 et 11 : *Filii dispersorum meorum deferent munus mihi. In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me, quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo* Ac si dicat : Tam pretiosum munus mihi offers, non tuum, sed a me tibi datum, quod remittam tibi omnes tuas adinventiones peccatorum, et non imputabo tibi eas ad confusionem : et adeo vincet te magnificentia et pretiositas muneris, quod ultra de te magna non senties, nec in superbia magna loqueris, nec exaltaberis in corde magna de te sciens : sed de me magna dices, qui tali te munere magnificavi. Hoc enim tantum est munus, quod omnem nostram vincit jactantiam, et dignum donum Deo est sua nobilitate.

CAPUT II.

De doni copiositate.

Hoc est munus sufficientissimum sui copiositate quod de suis copiosis abundantiis largitus est nobis Deus. Et hoc est quod dicitur, II ad Corinth. IX, 8 : *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Sicut dicit Philosophus, quod in commutabilibus unum est, quod fidejussor est omnis necessitatis, et ideo ad omnia sufficiens est : ita et in donis gratiæ unum est, quod ad omnia sufficit, et ideo omnis necessitatis spiritualis est fidejussor, de quo omnia sibi sufficiunt : et hoc est donum, in quo totus Christus a quo procedit Spiritus sanctus, intelligitur, de quo intelligitur hoc quod dicitur, Tob. x, 5 : *Omnia simul in te*

Christus omnis necessitatis nostræ fidejussor.

[1] Vulgata habet *lavabit in vino*, etc.

uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. Unde, Eccli. XXIX, 20 : *Gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam.* Quia sicut etiam in ante habitis diximus, corpus dedit in communionem, animam in redemptionem, sanguinem in ablutionem, et deitatem in omnis virtutis acquisitionem. Optimus est ergo omnis necessitatis nostræ fidejussor : ipse enim est, qui pignus pro nobis omnibus sufficiens ponit. Proverb. XX, 16 : *Tolle vestimentum ejus qui fidejussor exstitit alieni, et pro extraneis aufer pignus ab eo.* Vestimentum enim Dominici corporis a Domino tollimus, qui pro nobis alienis pignus posuit, et fidejussor exstitit, et pignus animæ suæ accepimus, ut nos ipsos redimamus : et ideo ipsemet Dominus dicit in Psalmo LXVIII, 5 : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam :* quia ipse pro omnibus nobis pignus fuit, et solvit quæ non rapuit : et sic hoc donum fidejustor omnis necessitatis est. Sic enim dicitur, II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* quia ex nimiis copiis Domini ad omnia sufficientes sumus, quæ omnes in hoc dono continentur, in quo concluditur omnis boni plenitudo. Unde dicitur, ad Roman. X, 12, quod *dives est in omnes qui invocant illum :* quia omnibus seipsum dando sufficiens est et copiosus. De hoc enim dono verum est quod dicitur, Genes. XXIV, 36, quod filio suo summus patriarcha *dedit omnia quæ habuit.* Et filius in largitate paterna omnia in illo nobis donavit. Ad Roman. VIII, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Unde omnes cum Isaia, LXIII, 7, dicamus : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, ei super multitudinem bonorum domut Israël, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum.* Omnem enim misericordiam ostendit, quando in uno dono omnem nostræ indigentiæ sufficientiam exhibuit.

Sic ergo omnis in isto dono est sufficientia.

CAPUT III.

De doni hujus sacramentalis utilitate.

Est autem hoc donum etiam utile, omnem in se habens utilitatem. Sic enim sicut dicitur, ad Hebr. XII, 9 : *Multo magis obtemperabimus Patri spirituum.* Et post pauca, ℣. 10 : *Hic autem erudit nos ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.* Quantæ putas utilitatis est donum hujus sacramenti, quod omnem in se exhibet ad corpus et animam utilitatem? Isa. XLVIII, 17, dicit, quod *ego Dominus docens te utilia, et gubernans in via qua ambulas.* Hoc enim quamvis in omnibus faciat, in hoc tamen sacramento præcipue hoc facit, in quo homo ad omnia quæ utilia sibi sunt, accipit eruditionem. De hoc enim loquens, Eccli. XX, 10, dicit : *Est datum quod non est utile, et est datum cujus retributio duplex.* Datum enim mundi fallit, et non est utile. Datum autem Christi præcipue

quod dedit in dono corporis sui, utile est in duplicem remunerationem : quia proficit in vitæ spiritualis deperditæ restaurationem, et proficit in redemptionem : et sic valde utile hoc donum invenitur. Unde de eodem dono ibidem post pauca, ℣. 12, subinfertur : *Est qui multa redimat modico pretio, et restituens ea in septuplum.* Modicum autem pretium dicitur corpus Christi, non ideo quod modicum sit, sed est magnæ humilitatis, quod revera multa redemit : quia omnia nostra redemit et restituit in septuplum. Affert enim ex corpore Christi dulcissimam participationem, ex sanguine autem sanctificationem, ex anima vero reconciliationem, et ex spiritu vitæ spiritualis in nobis restaurationem, et ex divinitate omnis virtutis perfectionem, et ex ipso sacramento Christi recordationem, et ex modo percipiendi sacramentum affert æternæ beatitudinis imaginem, et sic omnia restituit in septulum.

Hæc est ergo utilitas istius sacramenti.

CAPUT IV.

De doni hujus ad donantem conformitate.

Ex hoc autem donum illud tantam habet conformitatem ad donantem, ut in ipso donans ipsum totus sit et totus habeatur. Unde, Luc, XXII, 19, dicit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et, Apostolus, I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Propter quod etiam donum istud memoriale abeuntis Domini vocatur : quia in ipso recordatio et repræsentatio Domini habetur : unde, Psal. CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui.* Faucibus enim lingua adhæret, quando quærit temporales faucium delectationes contemptis spiritualibus. Quando autem habet spirituales delectationes, jam non faucibus adhæret. Et hoc effectu dicit David, quod si non recordatur in suo memoriali abeuntis Domini, lingua sua faucibus adhæret : quia recordatione Domini non nisi faucibus retrahitur. Jerem. LI, 50 : *Recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Sunt autem tria quorum facit hoc sacramentum recordationem, scilicet dulcissimæ charitatis, in qua is qui in sacramento sumitur, animam pro nobis posuit, et se nobis in sacramento exhibuit : amarissimæ passionis, quam pro nobis sustinuit : et transitus ex hoc mundo ad Patrem, per quem nobis in cœlum ingressum construxit, reconciliationem nostri ad Patrem perfecit.

Eucharistia memoriale dulcissimæ charitatis, amarissimæ passionis, et transitus ex hoc mundo ad Patrem.

De prima dicitur, Eccli. XLIX, 1 : *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii.* Josias interpretatur *in quo est sacrificium et incensum Domini*, et signat Christum, qui seipsum obtulit in igne charitatis, totus factus incensum Domini in odorem suavitatis, sicut opus pigmentarii, qui pro nobis *pigmenta confecit suavitatis et sanitatis*, sicut dicitur, Eccli. XXXVIII, 7. Et in hujus rei memoriam devotamus ad aram hoc sacrificium venerandi corporis et pretiosi sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Osee, XIV, 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.* Vinum enim illud

valde odoriferum, et in omni suavitate flagrans, et dulce ad gustum, et valde rubicundum : quæ omnia dilectionem Domini signant omni odore virtutis flagrantem, et dulcissimam omnium cordibus fidelium, et in omni corde lætitiam generantem, et judicio dilectionis maxime in effusione sanguinis nobis demonstratam : quia sicut dicitur, Cantic. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* Et ideo, Eccli. XLIX, 2, dicitur : *In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et sicut musica in convivio vini.* Hoc enim melos musicum est in jubilo cordis, et vinum oris ad reamandum, et inflammans in affectu dilectionis, et stringens nobis dilectum in amplexibus intimæ communionis : quorum amplexum duo brachia sunt : quia ex dilectione pro nobis passus est, et ex dilectione se nobis tradidit in sacramanto. Unde beatus Bernardus : « Supra omnia te mihi reddit amabilem, Domine Jesu, calix quem bibisti, opus redemptionis. » Propter quod in recordatione hujus dicit sponsa, Cantic. I, 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur,* supple ad recordationem. Et statim, ℣. 13, subjungitur : *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Quia multiplicitas passionum Christi, et dilectio quæ per vinum significatur, Christum nobis reddunt memorabilem ad amandum. Cyprum enim vinum valde est accendens et spiritus multiplicans dulces in amorem. Hic autem maxime deprehenditur in vino vinearum Engaddi, quod *oculus solis* ab antiquis est vocatum, et *fons hœdi* interpretatur : quia ad litteram illuc sol recto radio respicit, et fontem petulantiæ hœdi, hoc est, vinum calidum amoris petulantiam perficiens ex loco illo manare facit, et in hac proprietate amoris sui sponsi recordationem facit.

Sic ergo memoriale est dulcissimæ charitatis.

2. Est autem etiam memoriale amarissimæ passionis, quam pro nobis sustinuit. Propter quod, Exod. XII, 8 et seq., lactucis agrestibus intincta caro, assa igni sumi præcipitur, ut memoria passionis sit ex succo amaro, et memoria charitatis ex igne : *nec crudum quid, nec coctum aqua* sumitur, *sed tantum assum igni.* Crudum enim cor est, quod nulla decoctione pietatis et charitatis ab humore concupiscentiæ est transmutatum. Elixum autem est aqua, quia aqua fervens concupiscentiæ mundanæ interius ab omni pietatis amore destituit. Elixa autem, sicut dicit Philosophus in IV *Meteororum,* intus sicca sunt, humiditate naturali destituta, et exterius humore aquæ ferventis infusa. Assa autem igni intus sunt humida et exterius sicca sunt per propriæ carnis mortificationem. Hoc est quod dicitur, Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii et fellis.* Paupertatis, inquam, qua omnibus spoliatus nudus sum suspensus : transgressionis, qua in sensu doloris omnes omnium passiones longe excessi. Thren. I, 12 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus !* Absynthii et fellis, quibus commixtis cum aceto et hyssopo interius in gustu sum amaricatus. Et respondet pro omnibus Jeremias, Thren. III, 20 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Isa. XLIII, 26 : *Reduc me in memoriam, et judicemur simul : narra si quid habes ut justificeris.* Ac si dicat : Compara passiones tuas in doloribus, et paupertatem et amaritudinem ad meas, et judica me Deum nulli debitorem ad te hominem omnia debentem per compassionem, et tunc narra si quid habes quod comparari possit, et videbis quia nihil habes nisi ut diligas, et gratias agas. Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.*

Sic ergo est memoriale passionis.

3. Est etiam memoriale Domini abeuntis, qui dicit, Joan. XIV, 2 : *Si quo minus*

dixissem vobis : Quia vado parare vobis locum : et ideo eamdem quam pro nobis obtulit, frequentamus hostiam : quia per ipsius sanguinem introivit Jesus pro nobis in sancta, et cum ipso habemus ingressum. Ad Hebr. IX, 11 : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum.* Et post pauca, ℣. 12 : *Sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Ad Roman. V, 2 : *Per quem,* scilicet Christum, *et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Hoc attendens Paulus, ad Hebr. X, 19 et seq., dicit : *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei : accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda : teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* Hoc est enim quod nulla umquam delere debet oblivio, quod pro nobis abiit, et sanguinem quo introivit ad hoc quod semper introire possimus, nobis frequentandum in devotione reliquit. Psal. CXXXVI, 5 : *Si oblitus fuero tui, Jerusalem,* etc.

Sic igitur primum memoriale attendit ad amorem. Secundum ædificat ad fidei veritatem. Tertium autem mirabiliter elevat ad spei firmitatem. Unde, ad Hebr. VI, 18 et 19 : *Ut... fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Sicut enim anchora figitur navis, ita hæc spes in nobis fluctuantem tutatur mentem, et exspectatione salutis tenet immobilem.

Hæc ergo in ipso dono sunt consideranda, etc.

TRACTATUS III.

DE PROPRIETATE ACCEPTANTIS.

CAPUT I.

Quod donum debeat esse effectuosum ex parte accipientis.

1. Donum autem in accipiente tres quærit habere proprietates, scilicet quod sit effectuosum, proprios doni veri perficiens effectus, quod ex parte suscipientis in dono servetur debitus modus, et quod donum sit permanens et non evanescens sicut quidam ludus.

Effectum enim quærit donum quo suscipienti aliquid conferat, proportionem quærit donandi modus ut quisque sibi competens et conferens accipiat, permanentiam autem vult habere, ne indigentiæ accipientis deficiat. Multi enim dant ea quæ effectum doni non habent : quia nihil conferunt nisi nocumentum. Unde, Eccli. XX, 14 et 15 : *Datus insipientis non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplices sunt. Exigua dabit, et multa improperabit : et apertio oris illius inflammatio est.* Omnis autem dans insipiens est, qui non dat nisi ad decipiendum, sicut diabolus promittens regna, et mundus promittens fortunæ bona, et caro promittens delicias : et uniuscujusque oculi horum sunt *septemplices*, quia septem capitalia innuunt vitia in donis suis : et apertio oris in tentando ad accipendum inflammatio mala est, vel ad ambitionem, vel cupiditatem, vel carnis concupiscentiam. Et ideo post pauca ibidem dicitur, ℣. 16 : *Hodie fœneratur quis, et cras expetit : odibilis est homo hujusmodi.* Quæcumque enim quasi fœnerando dant diabolus, mundus, et caro, *cras*, hoc est, post modicum tempus expetunt cum usura mortis et inferni in pœnis æternis : et ideo tales in datis suis nobis deberent esse odibiles.

His de causis distinguendum est in donis sicut dicitur, Eccli. XX, 10, ubi sic dicitur : *Est datum quod non est utile, et est datum cujus retributio duplex.* Quia data ad decipiendum non sunt utilia, sed multum nociva : quia sicut aves laqueo et pisces esca in hamo, ita per talia insipientes decipiuntur. Unde, Sapient. XIV, 11 : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.* Datum autem duplicem habet retributionis utilitatem : quia et hic ad gratiam, et in futuro valet ad gloriam. Psal. LXXXIII, 12 : *Misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam*

dabit Dominus. Hoc est quod dicit, Jacobi, I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Datum enim optimum est, quod et fortunæ bonis et naturalibus est melius in seipso : perfectum autem est, quod omnem boni doni habet effectum.

2. Istud autem donum habet quidem multiplicem effectum, sed unum habet essentialem vel substantialem, alios autem effectus habet adjunctos. Substantialis autem effectus est restauratio deperditi in spirituali vita, quam homo incurrit ex longa abstinentia cibi spiritualis. Adjuncti effectus sunt in causando et significando. In causando quidem dicitur hoc donum unitivum, et confortativum, et charitatis incentivum. In signando autem dicitur sacramentum veritatis, et sacramentum repræsentationis cœlestis beatitudinis.

Eucharistia habet unum effectum substantialem et plures junctos.

Primus quidem effectus qui essentialis est, ostendit quod donum istud inediæ spiritualis est restaurativum, sicut cibus corporalis inediam restaurat corporalem : et hoc est Dei donum. Unde, Psal. XXII, 5 : *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me : impinguasti in oleo caput meum : et calix meus inebrians quam præclarus est !* In eo enim quod dicit, quod mensam Dominus paravit, refectionem innuit. In eo autem quod dicit : *Adversus eos qui tribulant me,* innuit quod hæc mensa confortat contra malos, et contra illa quæ inediam in spirituali inducunt virtute. In eo autem quod dicit : *Impinguasti in oleo caput meum,* innuit crassitudinem dulcedinis hujus doni, quæ delectabiliter nutrit. Et in eo quod dicit : *Calix meus inebrians quam præclarus est !* innuit humorem calidum et dulcem, qui spiritualiter membra infundit ad sui oblivionem, et transitum in divinam delectationem in optima ebrietate.

De adjuncto autem effectu in quantum est unitivum, dicitur, Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* De confortatione autem dicitur in Psalmo CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* Et de incendio charitatis dicitur, Cantic. V, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.* Et hæc breviter transimus : quia multa talia in antehabitis diximus.

De effectu autem quem habet in significanda veritate, est in eo quod quidquid figurale fuit in veteribus sacramentis, hic ostenditur in veritate. Unde, Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Et iterum, ibidem, ℣. 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* In veritate enim reficit hoc sacramentum, et non in umbra typi antiqui. Sic enim veritas de terra orta est, hoc est, de terreni corporis et sanguinis dono et sacramento. In signanda autem beatitudine sanctorum dicitur, Luc. XIV, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Nullo igitur destituitur effectu, ex quo habet omnia quæ deserviunt instructioni in signando, et gratiæ refectionis deserviunt in causando. Est autem advertendum in hoc sacramenti dono illud quod Hilarius dicit in libro IX de *Synodis,* quod scilicet hoc donum naturalem nostri ad Christum perficit unionem. Sed *naturalem* vocat *unionem,* veram unionem naturarum : quia per hoc sacramentum Christus in nobis per utramque manet naturam, et nos in ipso per corpus et animam, quæ quasi duæ naturæ sunt in nobis : ipse enim veraciter unitur nobis per humanitatem et divinitatem, et nos in ipso manemus spiritualiter per spiritualem manducationem et corporaliter per sacramentalem manducationem, sicut ostendit præinducta auctoritas Joannis, VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

Sic ergo hoc donum nullo effectu destitutum verum est donum.

CAPUT II.

Donum hoc est conveniens et proportionatum suscipienti.

Secundum autem quod in dono consideratur, est ut sit ei cui donatur conveniens et proportionatum. Non enim idem est dandum militi et rustico, non enim idem nobili et ignobili, non idem puero et seni. Dicit enim Philosophus, quod sphæra et lecythus pulcherrima et magnificentia sunt puerilis doni, quæ tamen seni exhibita potius irrisio quam dona viderentur. Hoc significatur, Matth. xxv, 15, ubi sic dicitur : *Unicuique dedit secundum propriam virtutem*, hoc est, secundum propriæ virtutis proportionem. Hoc ergo donum tantæ est existimationis, quod unicuique dat a se consideratam gratiam et delectationem. Sapient. xvi, 21 : *Deserviens uniuscuisque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur*. Et parum ante, ℣. 20, dixit : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem*. Ad Philip. iv, 18 : *Habeo autem omnia, et abundo*. Unde, Act. iv, 34, de Apostolis et discipulis dicitur, quod *nullus erat egens inter illos*, qui ex gratia communionis quam hoc sacramentum signat, omni indigentia replebantur : eo quod ipsum donum omnibus esset proportionatum, ut eo quilibet quam quærit inveniat, et non deficiat. Luc. xxii, 35 et 36 : *Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil*. Communicatio enim quam habebant ad invicem quæ in hoc sacramento et exhibetur et significatur, omnes omnium replevit indigentias.

Eucharistia dat unicuique a se consideratam gratiam et delectationem.

CAPUT III.

Donum debet perseverare et permanere cum eo qui accepit.

Tertium in dono bono considerandum est, ut sit perseverans cum eo qui accepit et in vita et in morte, nec sit evanescens sicut dona ludentium in mundi vanitate. Unde, Eccli. xi, 17, dicitur : *Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum*. Hæc est enim vera datio quæ in transitu manet in viaticum, et in vita in refectionem, et in judicio in redemptionem, et in patria in

æternæ beatitudinis significationem. Tales enim successus donum istud habet in æternum. Hoc modo novit Pater cœlestis bona data dare filiis suis [1]. Proverb. XXXI, 12 : *Reddet enim bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ.* Quia omnibus diebus vitæ nostræ et in gratia et in gloria donum istud perseverabit, vel in re gratiæ contenta, vel in re gloriæ significata. Tob. XII, 3 : *Bonis omnibus per eum repleti sumus.* Joan. X, 29, de hoc dono dicit : *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est.* Hoc enim maximum fuit quod perseverans nobis donum donavit : per hoc enim semper et omnia sumus et erimus sufficientes. Unde, Psal. CX, 4 et 5, dicit : *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus. Escam dedit timentibus se.*

Hoc enim omnibus mirabilibus est mirabilius, quod se nobis donat, et in se consistens permanet, quod sumitur in cibum, et integer perseverat, quod perseverat in nobis in omnem sufficientiam corporis et animæ et vitæ et mortis et gratiæ et gloriæ, nihilominus est donator et donum omnium illorum. Unde, Isa. XXXIII, 16 : *Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt :* quia non deficiunt sicut panis mendacii mundi et carnalis deceptionis, etc.

[1] Cf. Luc. XI, 13.

DISTINCTIO III.

QUOMODO HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE CIBI?

Ponitur autem hoc sacramentum a sanctis Patribus in genere cibi et potus, sicut et ipse Christus dicit, Joan. VI, 56 et 57: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo,* etc.

Et sic circa hoc sacramentum quatuor in communi occurrunt notanda. Primo scilicet cujusmodi sit cibus? Secundo, qualis sit potus? Tertio, qualiter totus Christus sub cibo contineatur et potu? Quarto vero, qualiter sit sumendus, et quid in eo percipiatur?

In primo autem, scilicet cujusmodi cibus sit Eucharistia, novem in genere notanda occurrunt, scilicet cibi nobilitas, ex genere. Cibi suavitas, ex sapore. Cibi laucitas, ex præparatione. Cibi sanitas, ex operatione. Cibi nutrivitas, ex virtute. Cibi ad cibatum congruitas, ex similitudine. Cibi ad cibatum penetrabilitas, ex subtilitate. Cibi ad cibatum unibilitas, ex connaturalitate. Et cibi cum cibato firma hæsibilitas, ex cibati per cibum apprehensione. Hæc enim novem in omni cibo vero et bono considerantur, etc.

TRACTATUS I.

CUJUSMODI SIT HIC SACRAMENTALIS CIBUS?

CAPUT I.

De nobilitate hujus cibi ex genere.

1. De primo notatur, quod nobilis esse debet, ideo quia est regius, quia est regis filiis ordinatus, et quia de ipsis promptuariis summi regis assumptus.

De primo horum dicitur, Genes. XLIX, 20: *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Non enim ignobilis est cibus istius Aser, qui *beatus* interpretatur, et delicias etiam regibus valet præbere: regibus, inquam, illis qui in regno Christi omni decore virtutis coronati regium honorem obtinuerunt. Hic est cibus qui Uriæ fidelissimo militi exhibitus est a David cum reverteretur ab exercitu, II Regum, XI, 8, ubi sic dicitur: *Egressus est Urias de domo David, secutusque est eum cibus regius.* Urias *lux mea Deus* interpretatur, vel *incendium meum Dominus*, et signat eos in quibus decor fulget regius in lumine sapientiæ, et igniti radiant lapides virtutum in igne affectus in charitate. Hi sunt de domo et palatio regis David: quia pertinent ad curiam regalem ad regnum ordinati: in palatio enim cœli cogitatione et aviditate et intentione et desiderio conversantur, dicentes cum Apostolo, ad Philip. III, 20: *Nostra conversatio in cœlis est*: scilicet coram David qui adspectu est desiderabilis in contemplatione veritatis, et manu fortis in omni honestate virtutum. Hos per manum summi regis missus sequitur cibus regius ad regalem dignitatem præparatus. Hoc optime significatum est, Jerem. LII, 31 et seq., ubi dicitur, quod rex Babylonis, Evilmerodach, qui tunc summus monarcha fuit, *elevavit caput Joachin*, qui *Domini exaltatio* interpretatur, *regis Juda, et eduxit eum de domo carceris. Et locutus est cum eo bona, et posuit thronum ejus super thronos regum, qui erant post se in Babylone. Et mutavit vestimenta carceris ejus, et comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ. Et cibaria ejus, cibaria perpetua dabantur ei a rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ.* Rex Babylonis, rex hujus mundi et Dominus et judex, qui Joachin, eum quem Deus gratia surgere fecit in altum, de domo carceris sui strictissimi in quo multi captivi tenentur in peccatorum vin-

culis, elevatum, benigne alloquitur, et vesci eum conversatione regii decoris, et de mensa regali cibaria facit exhibere in refectione hujus cibi cunctis diebus perpetuo, quæ vegetent in æternum.

Sic ergo cibus iste est regius, quia regibus præparatus.

2. Est ideo etiam regius quia filiis regis summi ad regnum vocatis debitus est et ordinatus. Unde etiam dicitur a Domino, Matth. xv, 26: *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Hi autem sunt filii de quibus dicitur, Joan. I, 13: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* A spiritu enim formati in similitudinem divinam facti sunt filii Dei, quibus divinus cibus est præparandus. Et hæc est causa, quod vocatur *panis Angelorum*, quia filii Dei secum dicuntur in gloria regnantes. *Panem Angelorum manducavit homo*[1], homo scilicet ad similitudinem Angelorum provectus. Sapient. xvi, 20 et 21: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum: et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat.* In dulcedine paterna regis cœlestis filiis Dei est præparatus iste cibus, et ideo regius.

3. Est autem tertio regius, quia de ipsis summi regis promptuariis est assumptus, sicut dicitur, Psal. xxxv, 9: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Abundans enim est cibus regalis in domo summi regis, nec aliud est in ea nisi splendidum et regale: hoc enim est de quo dicitur, Eccli. xxxi, 28: *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele.* Splendent abundantia et decore regio omnia quæ in domo sunt regis: et ideo in panibus splendorem habet: quoniam omnium gustantium panes illos benedicunt labia magnifica gratiarum actione, et testimonium veritatis de omni regio cultu mensæ suæ fidele et verax in perpetuum. Propter quod et filius prodigus qui primo per stultitiam bona sua consumpserat, sapienter in seipsum reversus, ait, Luc. xv, 17 et seq.: *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei:... Fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Abundans enim omnibus est domus, et omni abundantia regalium ciborum adimpleta. Psal. cxliii, 13: *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.*

Sic ergo cibus dicitur *regius*.

4. Quare Christi vitulo agno, hœdo, mannate et frumenti fuit præ gnatus.

In specie autem acceptus iste cibus in quantum est cibus et non sacrificium, invenitur in animalibus tribus dignioribus significatus, in granis autem præsignatur in duobus.

In animalibus enim præsignatur in vitulo saginato, in agno, et in hœdo, qui leguntur cibi fuisse et Angelorum et patrum. In granis autem præsignatus est in mannate, et in pane frumenti, nec in aliis cibis de facili invenitur præsignatus in cibo simplici.

Cujus causa est: quia in vitulo præsignatur Christi officium quod est Christi cultura, qua excoluit corda hominum tamquam quædam divinæ vitulamina plantationi et seminationi præparanda: et quantum ad refectionem talis operis voluit in cibo vituli saginati præsignari. In agno autem significatur quantum ad innocentiam et patientiam: et ideo præsignans suarum virtutum refectionem voluit præsignari in cibo agni. In hœdo autem significatur quantum ad incarnationis et passionis causam quæ est peccatum: quia venit *in similitudinem carnis peccati*[2], qui peccatum omne tulit: et ideo voluit cibo hœdi præsignari: quia

[1] Psal. lxxvii, 25.

[2] Ad Roman. viii, 3.

et hœdus similitudinem hircorum et caprarum habet, sed fœtorem et hircorum et caprarum non habet. In his præsignatus est in cibis patrum iste cibus.

De granis autem ratio est : quia in Christo id quod eum cibum nostrum fecit, pietas est, et misericordia, et obedientia Patris : et quoad hæc tria præsignari voluit in manna, quod de cœlo venit, in quo signatur obedientia Patris de cœlo. Et saporem habuit cibi dulcis et pinguis. Et in dulcedine quidem significatur naturalis bonitas et pietas quæ eum cibum nostrum effecit. In pinguedine enim significatur misericordia ipsius, quam ad nos habuit, quando talia bona multiplicibus defectibus nostris opposuit. In grano autem frumenti præsignatur in cibis patrum quantum ad robur gratiæ, quod patrat hoc sacramentum : tam magnus enim cibus uno et eodem signo non potuit præsignari. Refert enim Philo qui librum *Sapientiæ* fecit, quod omnis saporis in cibo patrum exeuntium de Ægypto fuit delectamentum salutare.

3. In vitulo quidem præfiguratur Angelorum esca. Genes. xviii, 7 et 8, ubi sic dicitur, quod tribus Angelis venientibus ad tabernaculum Abrahæ in ipso fervore diei, et facientibus promissionem de nascituro filio, qui cunctis risum et gaudium esset facturus, dicitur, quod ipse Abraham *ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque puero, qui festinavit et coxit illum Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum quem coxerat, et posuit coram eis*, scilicet, Angelis. Abraham enim pater fidei et prima credendi via, summum patriarcham significat. Armentum autem significat totam utilium fidelium congregationem, ex quorum grege assumptus est vitulus : quia ex eorum corporali substantia sine lege concupiscentiæ assumptus est noster cibus Jesus Christus. Vitulus autem qui jugum non portaverat alicujus servitutis.

Hic est vitulus, de quo dicitur in Psalmo lxviii, 32 : *Placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.* Iste enim vitulus super omnes Deo placet vitulos, qui ad illius nostri optimi vituli similitudinem in cibum Angelorum sunt formati : quia sancti Angeli in conversatione eorum delectabiliter reficiuntur : et cornua producunt virtutis et veritatis, quibus et vitia et falsitatem omnem ventilant, et ungulas duras fissas severissimæ censuræ et districtionis, quibus se et effectus suos protegunt, ne terrenis delectationibus inquinati molestentur.

Hic est vitulus tenerrimus, quem nulla induravit mali consuetudo, teneriter se præbens ad fidelium manducationem.

Hic est vitulus optimus omnium bonitatem excedens sanctorum, ita ut in comparatione ipsius alii non dicantur boni. Matth. xix, 17: *Unus est bonus, Deus.*

Hic est vitulus puero patriarchæ, id est, ordini sacerdotum assignatus : coquendus in igne passionis et charitatis et devotionis, quibus ignibus nobis in cibum convenientem præparatur, ut communicantes simus passionibus affecti in charitate, et tota mentis devotione accedamus. Hoc cum butyro suæ deitatis nobis proponitur, et cum lacte humanitatis, dicente Isaia, vii, 15 : *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Et in Canticis, iv, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.*

Iste est vitulus saginatus, quem occidit magnus paterfamilias[1], quando filium suum salvum recepit, et symphoniam et chorum exsultare fecit : quia in reconciliationem nostri ad Deum hic vitulus omni pinguedine gratiæ saginatus, occisus fuit, cui totus cœtus prophetarum et sanctorum concorditer quasi in symphonia cecinerunt, et omnes in tripudio convivium istius solemnitatis laudaverunt.

[1] Luc. xv, 25.

Iste est vitulus, cui multi vituli sunt postea adjuncti in Angelorum nuntiorum Dei refectionem, ad laudem Domini nostri Jesus Christi. Osee, XIV, 3: *Reddemus vitulos labiorum nostrorum*, hoc est, votorum nostrorum tibi utiles labores offeramus.

Hic est vitulus, de quo dicitur, I Regum, I, 24 : *Adduxit eum*, scilicet Samuelem, *secum Anna in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et amphora vini.* Anna enim *gratia* interpretatur, quæ puerum a Deo postulatum in vitulis tribus, hoc est, in profectu veritatis, virtutis et devotionis, secum ad sacerdotem adduxit, et tribus modiis farinæ quæ tres signant mensuras innocentiæ, hoc est, quod nulli nocuit, quod bona pro malis rependit, quod læsus a lædente vindictam non expetiit, sed indulgentiam impetravit. Et amphora vini quæ signat mensuram internorum gaudiorum in sanguine Christi.

Sic ergo pretiositas et nobilitas istius cibi in vitulo signatur saginato.

6. Significatur etiam in agno qui occisus est ab origine mundi [1]. Hic enim cibus etiam fuit sanctorum liberans eos a percussore Angelo. Signatur autem in agno quantum ad innocentiæ et patientiæ et obedientiæ simplicitatem. Unde, Exod. XII, 5 : *Erit autem agnus sine macula, masculus, anniculus.* Absque omni macula peccati fuit Christus. Masculus, hoc est, perfectus. Anniculus super quem omnes cœlestium luminum fuerant completæ revelationes. Hic est enim annus perfectæ cœlestis illuminationis, annus benignitatis divinæ. Psal. LXIV, 12 : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* In coronam enim in ipsis illuminationibus transivit, quando umbra veritati respondit.

Hic est agnus sine macula, de quo dicitur, Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Et, Isa. LIII, 7 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet :* quia innocentiam suam per omnem modum patientiæ et obedientiæ probavit, ostendens quod ipse est *agnus Dei qui tollit peccata mundi* [2]. Unde, Apocal. XIV, 1 : *Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis :* qui multi agnelli humiles et mites et obedientes hunc Agnum imitati sunt et secuti, qui seipsos Deo immolaverunt. De quibus dicitur, Apocal. VII, 17 : *Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet illos ad vitæ fontes aquarum.* Agnus enim, quia mansuetum animal est et innocens, gregale animal est, et delectatur in grege agnorum, in quo est ipse dux et vervex omnium mansuetorum. Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit.*

In hœdo autem significatur quantum ad causam incarnationis et passionis. 7.
Unde, Exod. XII, 5, præcipitur, quod juxta ritum agni tollatur et hœdus, in cujus sanguine et cibo filii Israel liberentur. Unde, Genes. XXVII, 9, mater Rebecca dixit Jacob, filio suo : *Affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur*, etc. Duo autem hœdi significant : unus quidem similitudinem peccati in corpore Christi, alter autem causam peccati in corpore nostro : qui tamen cocti igne divino devotionis et charitatis, mirabiliter delectant fauces Dei et ad benedictionem inclinant.

Hic est hœdus quem Manue, id est, *requiescens*, obtulit Angelo Domini, Judicum, XIII, 15 et seq., in cujus flamma Angelus in cœlum ascendit. Angeli enim Dei in pœnitentiis peccatorum reficiuntur, et ascendentes in cœlum, coram Deo vota pœnitentium exponunt, referentes gratiam pro operibus pœnitentiæ.

[1] Apocal. XIII, 8.

[2] Joan. I, 29.

Sic ergo cibus iste præsignatus est in animalibus, et hac ratione quæ assignata est a nobis. Sicut enim diximus, tanti sacramenti cibus una et eadem figura simplici non potuit præsignari, sed pluribus propter plures ejus gratias præsignari digne debebat.

In granis autem præfiguratus est in duobus, scilicet in manna quod ad modum grani coriandri cadebat, et in frumento.

In mannate autem quinque de causis præfigurabatur, scilicet quantum ad originem: quia cœleste fuit manna. In sapore: quia diversos sapores habebat. Et in loco: quia transeuntibus per desertum tantum dabatur. Et in miraculo: quia miraculose venit. Et in defectu: quia gustatis fructibus patriæ defecit.

Et de primo quidem horum convenientia est: quia et Christus de cœlo venit. Et multitudo gratiarum in Christo multiplicis saporis in mannate indicium fuit. Desertum autem in quo exhibitum est, desertum mundi significat, quod a perfecta receptione divinæ dulcedinis desertum est et incultum. Miraculosa autem nativitas Christi respondet in miraculo mannatis. Et defectus ejus in patria, significat quod post exsilium hujus vitæ talibus formis et similitudinibus cibi divini non indigemus, quando Deus per seipsum se nobis in aperta specie instillabit.

His igitur de causis in mannate est præsignatum, et in memoriale hujusmodi gratiæ coram Domino est reservatum. Ad Hebr. IX, 4: *In qua urna aurea habens manna.*

Primum ergo istorum est, quod origine cibus noster est de cœlo, hoc est, de altitudine humanæ naturæ, in qua Christus nostram naturam accepit immunem a culpa. Joan. III, 31 et 32: *Qui de sursum venit, super omnes est... Et quod vidit et audivit, hoc testatur.* Psal. LXXVII, 24 et 25: *Panem cœli dedit eis... Cibaria misit eis in abundantia.* Et melius, est panis noster de cœlo: quia de cœlo humanæ naturæ fuit assumptus. De cœlo autem sanctæ Trinitatis fuit assumens: et de altissimo virtutis cœlestis fuit facta assumptio. Isa. LVIII, 14: *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* Altitudo autem terræ supremum est naturæ humanæ prout quantum ad innocentiam culpæ fuit in primo statu hominis, de quo statu Christus nostram naturam assumpsit, quæ divinitati est unita, per quam unionem plenitudinem omnis gratiæ accepit: et ideo Eucharistia, hoc est, bona gratia, quæ fideles nutriat, esse poterit. Hoc autem per corpulentam substantiam hæreditas patrum nostrorum fuit, a quibus Christus descendit. Unde de se et omnibus talibus sibi sic incorporatis dicit Christus, Joan. III, 13: *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo,* qui per naturam divinam de cœlo sanctæ Trinitatis descendit, et in ipso remansit. Per naturam autem humanam de cœlo in quo creatus fuit homo, assumendo passibilitatem descendit, et in ipso quantum ad immunitatem peccati permansit, et cum omnibus electis sibi incorporatis in utrumque cœlum reascendit.

Sic ergo conveniunt manna et cibus iste quantum ad originem.

9. Conveniunt etiam in saporum diversitate: quia sicut manna diversos sapores habuit corporaliter, ita diversos sapores gratiæ habet iste cibus spiritualiter. Dicit enim Philo in suo *Exodo* quem fecit texendo Pentateuchi historiam, quod manna masticatum semper convertebatur ad saporem desideratum a comedente, ita tamen quod vincebat in eo sapor dulcis et pinguis, ut ex dulcedine reficeret naturam, et ex pinguedine condiret cibum, et ex affectu saporis ad quem convertebatur, satisfaceret appetitui comedentis. Et hoc est quod, ut dicit Philo, intendit Psalmista, Psal. LXXVII, 29 et 30: *Et*

manducaverunt, et saturati sunt nimis: et desiderium eorum attulit eis, scilicet Dominus. *Non sunt fraudati a desiderio suo*: quia ex dulcedine attulit saturitatem, ex pinguedine demulsit gustum, et ex desiderato sapore attulit desiderium. Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Et paulo post, ℣. 21: *Et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Ita etiam spiritualiter panis noster quem ad aram devotamus, omnium vas est gratiarum, omnem saporem gratiæ exhibens, et præter hæc dulcedinem divinæ naturæ et pinguedinem devotionis ad nos gustu exhibet spirituali. Et sicut aures diversorum verba Dei audientium diversas in verbo inveniunt pro uniuscujusque facultate illuminationes, ita fauces diversorum hunc cibum gustantium, diversas gratiarum inveniunt refectiones. Job, XII, 11 : *Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem?* Quasi diceret : Dummodo fauces aliena amaritudine non sint infecti. Infirmis enim omnia amara videntur, sicut dicit Philosophus : quia cholerica et fellea amaritudo palatum inficit febricitantium. Et sic infirmi ex amaritudine peccati non dijudicant verum saporem hujus cibi. Act. VIII, 23 : *In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis, video te esse*, Hoc significatum est, Exod. XXIX, 41 et 42, ubi de agno offerendo Domino in vespera Dominus dicit sic, quod juxta ea quæ diximus, *in odorem suavitatis sacrificium est, Domino oblatione perpetua.* Dicunt autem hi qui eruditi sunt in naturalibus, quod odor sequela est saporis, nec potest esse odor suavissimus nisi saporis suavissimi : nec hoc esset in oblatione perpetua in omnes generationes, nisi unusquisque saporem spiritus quem quærit, in agno isto inveniret. Hinc est quod dicitur, Cantic. IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Quia omnis unctionis et pinguedinis gratia est in Eucharistia contra omnem infirmitatem et omnem refectionem sapor omnia vincens aromata.

Sic igitur convenientia est eucharistialis cibi et mannatis in diversitate saporis.

10. In loco etiam exhibitionis utriusque gratiæ conveniunt. Non enim dabatur manna nisi in deserto, ubi aliud delectabile et reficiens ad esum non fuit : et sic non sentitur dulcedo gratiæ et sapor Eucharistiæ nisi ab his qui se in desertum corde transferunt, ut mundanas non sentiant delectationes. Unde B. Bernardus : « Delicata est divina consolatio, non datur admittentibus alienam. » Et hoc est quod dicit Psalmista, Psal. LXIV, 13 : *Pinguescent speciosa deserti*, quæ seipsa deserta faciunt, ne in eis quidquam colat mundus de tumultuosis et caducis delectationibus, *et colles* tam altorum cordium frequenter *exsultatione* divinæ consolationis *accingentur*. Ad hoc desertum invitat Dominus, Marc. VI, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* In hoc deserto bis Dominus pavit turbas, et alibi pavisse non legitur [1]. Joan. VI, 49 : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto.* Hoc est desertum, de quo dicitur, Isa. XXXII, 15 : *Erit desertum in Chermel, et Chermel in saltum reputabitur.* Chermel enim *agnus tener* interpretatur : quia desertum illud delicias nostri et Dei agni omni gratia tenerrimi habere experitur. *Et Chermel reputabitur in saltum* : quod quia ibi omnia exsiliunt fruteta, *saltus* vocatur : quia in talibus deliciis viror salit omnis virtutis.

11. Conveniunt etiam in traditionis et exhibitionis modo. Utrumque enim per miraculum Dei est exhibitum naturalibus potentiis ad hoc existentibus infirmis et invalidis. Unde, Exod. XVI, 4 : *Ecce, ego*

[1] Cf. Matth. XVI, 13 et seq. ; Marc. VI, 31 et seq. ; Luc. IX, 10 et seq. ; Joan. VI, 1 et seq.

pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies. Psal. LXXVII, 23 et 24: *Januas cœli aperuit,* scilicet Dominus: *et pluit illis manna ad manducandum.* Sic etiam Filius Dei sua voluntate et verbo cibum nobis Eucharistiæ ministravit. Joan. VI, 52: *Panis quem ego dabo, caro mea est.* Ac si dicat: Ego dabo et non alius: quia non nisi Deus hunc cibum mannatis gloriosum saporem in se continentæ divinitatis habentem poterit dare. Unde Christus hunc cibum præferens mannati, et ostendens quod nec illum nec istum dare potuit nisi solus Deus, dicit, Joan. VI, 32 et 33: *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* Ille enim panis quem Moyses a Deo oratione impetravit, et non de thesauris suis dedit, sed Dominus non ad vitam æternam sumentes eum vegetavit, quamvis de cœlo descenderit: sed iste panis qui sicut ille descendit, quem sicut illum non de thesauris humanis, sed de divinis suis promptuariis Pater cœlestis protulit, in hoc verus est, quia refectos ad se vegetat ad vitam æternam, et ita uterque miraculo bonitatis Dei est exhibitus. Et in hoc verum est quod dicit Psalmista novum miraculum veteri conformans, Psal. CX, 4 et 5: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus. Escam dedit timentibus se.* Quia ne inferiores reputaremur antiquis patribus, qui Angelorum esca nutriti sunt, quinimo ut superiores in infinitum reputaremur, Dominum Angelorum nobis paravit in escam. Joan. VI, 7: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* De quo pane post pauca, ℣. 34, quidam ignorantes verum, dixerunt: *Domine, semper da nobis panem hunc.* De quo etiam Dominus exponens subdit, ℣. 35: *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet.* Patet igitur, quod uterque ab ipsa Dei dulcedine per miraculum est administratus. Dicit enim Joannes Chrysostomus, quod id per miraculum fit, quod sola fit Dei voluntate, nulla potentia naturæ cooperante.

12. Est autem convenientia in defectione. Manna enim defecit filiis Israel in terram promissionis intrantibus, et de fructibus terræ promissionis gustantibus. Unde, Josue, V, 12: *Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ: nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.* Ita etiam in hoc transitu mundi utimur cibo Eucharistiæ sub specie panis et vini velati: sed cum ad patriam veniemus, ipsam rerum veritatem gustabimus in vera specie Dei qui est fructus terræ Chanaan, hoc est, transmutatæ: quia ibi gratia transmutatur in gloriam. Et hoc est quod Dominus dicit, Joan. XVI, 25: *Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Similitudinibus enim sacramentalibus utemur tantum usque ad manifestationem et perceptionem apertæ veritatis. Hoc est quod dicit Apostolus, I ad Corinth. XIII, 10: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Hoc enim perfectum, quod Deum sicut est, participamus. Similitudinibus autem panis et vini sensibilibus modo manuducimur propter nostram imperfectionem.

In omnibus ergo quinque dictis convenit manna cum Eucharistia, et talis convenientia in divinis *concordia* vocatur.

Sic ergo per manna Eucharistia præsignatur.

13. Eucharistia frumento comparatur.

Hujus autem sacramenti materia tamquam in cibo sui generis nobilissimo accipitur in pane de frumento: huic enim frumento Christus se comparavit, Joan. XII, 24, dicens: *Nisi granum fru-*

menti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.

In granis enim quatuor considerantur, scilicet color, figura, quantitas, et puritas substantiæ, si debeant esse nobilia. Hæc autem omnia in grano frumenti inveniuntur.

Est enim interius coloris nivei, et exterius coloris rubei. Et hæc meliora dicuntur a physicis esse grana. Et hæc duo competunt sacramento, ut rubor sanguineus referatur ad passionem, et niveus color referatur ad candorem vitæ innocentis. Cantic. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Candidus innocentia, et rubicundus passionis patientia.

Figura autem grani frumenti columnalis est. Cujus genus, dicit Euclides, est quod circulus circa centrum æqualiter distans, æqualiter elevetur : figura enim a centro æqualiter distans, ubique æqualiter premit et premitur, et est fidei fulcimentum, sicut hoc intelligitur esse sacramentum. Apocal. III, 12 : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei.* Et hoc modo dicitur, Eccli. XXIV, 7 : *Thronus meus in columna nubis.* Hæc est enim columna immobilis una de septem sacramentalibus gratiis, de quibus dicitur, Proverb. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.*

Quantitas autem consideratur : quia majus est inter grana, quæ in panem qui hominis est panis, assumuntur. Hordeum enim cibus est jumentorum : avena autem cibus est altilium : siligo est infirmitas ad frumentum, quia in terra bona siligo seminata nobilitatur in triticum, et in terram malam frumentum seminatum degenerat in siliginem : et ideo perfectum granum non est nisi granum frumenti. Zachar. IX, 17 : *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines,* hoc est, virgineas mentes?

Puritas autem substantiæ est, quod hoc etiam adeps aliorum granorum esse perhibetur. Unde, Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Hoc enim purum est et adeps omnis grani nutrientis. In quibuscumque granis ista quatuor inveniuntur, illa sunt nobiliora, et ideo materiæ corporis Domini apta. In nullo autem ita inveniuntur sicut in grano frumenti, et ideo corpus Domini de nullo grano nisi de grano frumenti potest consecrari.

Patet igitur, quod in genere cibi panis ista grana continens, nobilissimo cibo comparatur. Unde, Genes. XXVII, 37, dicitur : *Frumento et vino stabilivi eum.* Quia tota domus Jacob, hoc est, Ecclesia fundata est super hoc sacramentum frumenti et vini : quia in eo materia est materia frumenti et vini. Hinc est, quod dicitur de patribus hoc sacramentum desiderantibus, Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini,* et olei : quia frumentum signat hujus sacramenti quam in sacramento dat cordis firmitatem. Vinum autem spiritualem jucunditatem, et oleum pietatis pinguedinem : et hæc sunt super quæ tota consistit Ecclesia.

Sic ergo patet, quod iste cibus in genere suo quantum ad significationem et causationem est egregius : hoc enim est granum pinguissimum et dulcissimum inter omnia grana. Unde etiam is qui degustavit, id clamavit, et dixit, Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum.* Quia adeps gratiæ deitatis et pinguedo devotionis ita repleverant animam ipsius, quod tota prorupit in exsultationem laudis. Hoc est triticum quod purissimo purissimum congruit, et grano quod est Deus incorporatur : et ideo totum ad horreum Domini pertinet colligendum. Matth. XIII, 30 : *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad conburendum : triticum autem congregate in horreum meum.* Omnes enim isti pertinent ad horreum Domini cœli, et ad mensam Dei. Et quia ipse cui

incorporandi sumus, purissimus est, ideo congruit ut non nisi de purissimo grano conficiatur cibus corporis ejus.

Hoc est triticum et vinum quod omnes antiqui inedia famis consumpti petebant, dicentes, Thren. II, 12 : *Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum ?... cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Inedia enim longa consumpti populi matribus suis, hoc est, prælatis dixerunt : Ubi est triticum corporis Christi, et vinum sanguinis ejus, quod solum sacramentum est pignus salutis æternæ ? Et hoc dixerunt eo tempore, cum ex inedia destituti exhalarent animas suas viatico carentes in sinu, hoc est, in gremio prælatorum hoc sacramentum non exhibentium : quia non nisi figuram habebant et non veritatem.

Nullum igitur in genere granorum inveniri potest adeo nobile et adeo dulce et minus ventosum, quod humilitatem signat, sicut granum frumenti. Et dicit Psalmista, Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.*

Hæc igitur est causa, quia in genere grani non nisi de grano frumenti hoc sacramentum confici potest.

CAPUT II.

De cibi hujus suavitate et sapore.

Secundum ordinem superius inductæ divisionis, nunc dicendum occurrit de saporis suavitate, quæ in hoc cibo spiritualiter gustantibus eum invenitur. Et quamvis in præmissis quædam de hoc dicta sint, tamen quia ad cibum bonum etiam pertinet saporis suavitas, etiam hic quædam alia et aliter quam superius dicta sunt, scribemus.

Habet igitur in causando saporem hoc sacramentum, et habet saporem in significando : et in ambobus his admirabilem spirat sanctitatis odorem.

In causando quidem habet sex sapores : habet enim saporem puritatis ex corpore, saporem dulcedinis valde amabilis ex sanguine, saporem autem omnis virtutis ex anima, qui est sapor aromaticus. Habet etiam saporem subtilitatis in nos penetrantis ex spiritu humano, qui est in ipso, et saporem omnis gratiæ, qui est sapor gratiosus ex deitate, et tandem habet saporem cœlestem in omnibus ex unione humanorum suorum cum deitate. Quamvis enim, sicut dicit Isaac, in dictis universalibus novem sint sapores corporales, scilicet dulcis, pinguis, ponticus, stipticus, acutus, et acetosus, salsus, amarus, et aquosus qui *insipidus* vocatur, tamen quia probatum est, quod sapor est sequela complexionis, necessario sequitur, quod sicut quælibet res commixta vel composita propriam habet complexionem, ita quælibet proprium habet sibi attributum saporem.

Quia igitur quædam sunt in parte pura, et in parte impura, et in parte corrupta, et in parte non corrupta, ideo pauca inveniuntur in omni puritate suum saporem exhibentia. Sed Domini nostri Jesu Christi purissimum corpus naturalis solum inter omnia communicativa suæ puritatis exhibet saporem, et sicut dici-

tur de Moab [1], in malo quod *non transfusus est : de vase in vas,... idcirco permansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus* [2] : ita per contrarium in bono dicitur de Dominico corpore, quod in vase uteri virginalis manibus, Spiritus sancti formatum, in aliquod vas commaculationis non est transfusum. Et ideo gustus puritatis ejus permansit in eo, et odor qui est saporis quædam evaporatio, non est immutatus : omnino enim incorruptum est quod est in ipso, sicut ipse dicit in Psalmo XV, 10 : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Scitur autem ab omnibus physicis, quod impuritatis odor ab aliquo impuro resolvitur, et sapor similiter. Considerentur enim omnia principia hoc corpus perficientia. Materia enim purissimus sanguis est uteri virginalis. Virtus in eo diffusa, virtus Altissimi est, ut dicitur, Luc. I, 35 : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Operans Spiritus sanctus est, sicut dicitur ibidem : *Spiritus sanctus superveniet in te.* Assumens hoc corpus Filius est Altissimi, sicut ibidem dicitur. Anima de novo a manibus Trinitatis creata, et puritati corporis infusa, et omni gratia repleta. Quid ergo impuritatis in hoc corpore gustari poterit? prorsus nihil. Unde, Sapient. VIII, 19 et 20, ipse qui est sapientia Patris, dicit : *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Bene enim puer, qui sic testa recenti imbibitum servabat puritatis odorem : et bene animam bonam sortitus, quia omnis gratiæ vas sortitus est animam, et bene magis bonus omnibus erat, qui verus erat Deus de quo dicitur, Matth. XIX, 17 : *Unus est bonus, Deus.* Et optime subjungitur, quod venit ad corpus a commaculatione omni incoinquinatum : quia de puro sanguine a puro spiritu et in purissimo vase uteri virginalis est confectum.

Habet igitur purissimum ex omni parte saporem, si puris faucibus, sicut ipsum est purum, degustetur.

2. Sapor dulcedinis valde amabilis ex sanguine.

Habet etiam saporem dulcedinis valde amabilis ex sanguine : naturale enim est, quod omnis sanguis dulcis est saporis : quia cum sanguis sit ultimum nutrimentum eorum quæ sanguinem habent, et nihil nutriat nisi dulce, oportet quod omnis sanguis qui incorruptus est, dulcedinis habeat saporem. Quantæ ergo putas dulcedinis est sanguis sacramenti hujus, qui de tam dulci fonte manavit, et a tam dulci fonte hauriente in tam dulce vas est transfusus? Fons enim hujus sanguinis est sanguis in visceribus gloriosæ Virginis contentus : hauriens hunc fontem, Spiritus sanctus est : vas in quod transfunditur, corpus Dominicum est, ex quo etiam manat in sacramentum et ex sacramento in corda fidelium : quæ omnia nihil amaritudinis habent admixtum. Unde, Cantic. II, 3, ubi sponsa de fructu arboris crucis loquitur, dicit : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Et hoc dicit propter sanguinem a cruce distillantem. Unde sapientia Salomonis suadet, et dicit, Proverb. XXIV, 13 : *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo.* Sanguis enim dulcis de Dominico corpore in nos distillans, est tamquam favus dulcissimus, in quo mel a cera distillat.

Sapor aromaticum cum virtute gratiæ ex a

Saporem autem aromaticum omni virtute fragrantem habet ex anima, quæ omnibus virtutibus fuit, est, et erit semper plenissima. Unde per ortum deliciarum significatur [3], ubi sponsa Spiritum sanctum alloquitur, et a se spiritum malignum fugat, dicens : *Surge, Aquilo : et veni, Auster : perfla hortum meum, et fluent aromata illius.* Ab Aquilone enim

[1] Isa. XVI, 1 et seq. ; Jerem. XLVIII, 1 et seq.
[2] Jerem. XLVIII, 11.
[3] Cantic. IV, 16.

pandetur omne malum, qui est ventus frigidus diabolicæ suggestionis, constringens aromata, ne saporem et odorem virtutum effundant. De hoc igitur dicit, quod *surgat*, hoc est, recedat, et de medio tollatur : quia ille vere omnino repulsus est ab horto verarum deliciarum, quæ est anima Christi. Sed, *veni, Auster*, qui est ventus calidus et humidus, ex calore aperiens, et ex humiditate laxans aromata, et significat Spiritus sancti aspirationem calidam charitate, et devotione humidam, pietatis consolatione resolvens et laxans et spirare faciens hortum istum : ut aromaticus ejus sapor et odor in omnem fluant Ecclesiam, ut omnes hi inebrientur sapore. Unde, ibidem, ℣. 10, dicitur : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Sicut autem in ante habitis diximus, odor est indicium saporis, et respiratio quædam ex sapore facta.

4. Saporem deitatis spiritu humano.

Ex spiritu autem humano Christi qui est in hoc sacramento, et pulsans ad vitam, et animales perficiens operationes ad cognoscendum, habet hoc sacramentum saporem subtilitatis : quia etiam secundum naturam subtilium in compositione spiritualium sapores et odores valde sunt subtiles et facile penetrantes. Tali enim spirituali et spiritu pleno sapore se transfert Dominus in omnium sanctorum animas, et in saporem suum convertit, ut, ad Hebr. IV, 12, dicitur, quod est *penetrabilior omni gladio anciptiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis*. In omnia enim hæc spiritus iste subtilis penetrat, et omnia sapore deitatis informat. Et hoc est quod dicitur, Sapient. VII, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit*. Quod enim dicit, quod *in animas sanctas se transfert*, non est nisi subtilitatis et spirationis, in cujus spiritus materia, hoc est, humore, sicut in proprio subjecto est sapor, et exspiratio ipsius secundum naturam est causa odoris. Nec aliquis dicat, quod subtilitas ad saporem non pertineat : quia quamvis subtilitas non sit sapor, tamen dispositio est omnis saporis et odoris, subtiliter in nos penetrantis et bene moti ad hoc, quod in nos transferatur et moveatur. Per hanc subtilitatem in nos penetrantem dicitur de sapientia, quæ est Filius Dei, Sapient. VII, 24 et 25 : *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia : attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera*. Talis autem vaporis spiratio et emanatio sincerissimi spiritus subtiliter in nos penetrans, nos ad omnem sui spiritus informat saporem et odorem.

5. Saporem omnis gratiæ ex deitate.

Saporem autem gratiosum valde habet ex deitate, in qua, sicut dicitur, Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*. Hoc sapore omnibus præfertur delectabilibus, nec aliquid est quod comparari possit delectationi hujus sacramenti. Sic accipitur quod dicitur, Psal. XXXVI, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*. Si enim delectatio est, ut dicit Aspasius, diffusio naturæ super maxime conveniens, inæstimabilem convenit esse delectationem super gustum deitatis in omni gratia et omni bono refertum. Psal. XV, 11 : *Delectationes in dextera tua usque in finem*. Et, Isa. LV, 2 : *Comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra*. Hic est enim delectabilis sapor, omni satisfaciens desiderio sanctorum, sicut dicitur, Proverb. XIII, 19 : *Desiderium si compleatur delectat animam*, etc.

6. Saporem cœlestem ex unione humanorum suorum cum deitate.

Ex unione humanorum suorum omnium cum deitate saporem habet inusitatum in terris, qui est sapor cœlestium gaudiorum, quem omnia quæ sunt in Christo gustantibus hoc sacramentum, infundunt : et hic est sapor vitæ æternæ,

de quo dicitur, Proverb. XXXI, 18 : *Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus.* Hæc est enim vinea gaudium æternum gustui inferens, et saporem bonorum æternorum. Eccli. XXIV, 21 : *Quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam.* Libanus enim mons optimus et delectabilibus plenus : et ideo non unum, sed omnia spirat bona, et signat conjunctionem summæ deitatis cum humanitate, in qua cœlestia omnia terrenis sociata sunt, et omnia quæ in cœlo sunt, sapiunt et spirant. Et attende, quod licet isti sapores non sint de saporibus corporalibus qui ad faucium corporalium gustum deprehenduntur, tamen omnem convenientiam quæ ad nos potest esse, determinant. Ad nutrimentum enim substantiæ exigitur puritas : quia impurum in nutrimento sumptum abjicitur a natura, et ad naturæ convenientiam assumitur dulcedo : quia nihil nisi dulcedo appetitur et retrahitur a natura. Aromaticus autem assumitur ad appetitus excitationem : quia cum fastidio et abominatione cibus sumptus abjicitur magis quam utiliter sumatur. Subtilitas necessario requiritur ad penetrationem ad interiora. Delectabilitas autem ut natura expansa et dilatata undique capiat et capiatur a cibi nutrimento. Et quia nihil perficit suam operationem naturalem sine virtute cœlesti, conjungitur omnibus in sapore virtus cœlestis, bona cœlestia ingerens, ut quodlibet prædictorum ad suum proprium deducatur effectum. Et in hoc deprehenditur mirabilis altitudo sapientiæ divinæ. In quo altitudo divina consideratur, quæ in uno cibo omnia congregavit, quæ ad perfectionem requiruntur nutrimenti. Et hoc significatum est, Genes. XLV, 18, ubi sic dicitur : *Venite ad me : et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.* Omnia enim bona nostra, quando in Ægypto hujus terræ habitamus, sunt in corporis Domini sacramento, et tota medulla terræ, hoc est, terreni corporis per saporem et nutrimentum est in eo. Medulla enim purius est quod in corpore est, et dulcius, et magis odoriferum, et subtilis humiditatis etiam per ossa penetrantis, et delectabilis in gustu, et virtutis maxime ad nutriendum propter pinguedinem quam in se habet infusam.

Hos igitur sapores spiritualiter habet in causando.

7. Eucharistia duos habet sapores in significando, scilicet saporem panis et vini.

Habet autem duos sapores in significando, scilicet saporem panis, et saporem vini. Quia quamvis aqua vino in calice admisceatur, non tamen tanta apponi debet ut vini tollat et deleat saporem, sed potius ipsa aqua tota transire debet in saporem vini. Quia aqua significat insipiditatem populi, quæ tota transire debet in saporem spiritus Domini, sicut inferius ostendemus.

Sapor enim panis de frumento assumitur ad significandum cordis ex isto nutrimento confortationem, sicut ipse dixit patriarcha, Genes. XVIII, 5 : *Ponam buccellam panis, et confortate cor vestrum.* Confortat autem principium vitæ et virtutis ferens nutrimentum in vehiculum : quia per substantiam suam per nutrimentum, et per spiritum quo illud granum plenum est, diffundit spiritum qui vigoris et virtutis est vector in membra. Et hoc magis facit panis in sacramento, qui nutrientis puritatem substantiæ habet perfectam, et fons est omnis spiritus administrantis virtutem et fortitudinem. Inde enim dixit patriarcha : *Confortate cor vestrum.* Et propter hoc dicitur in Psalmo CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* Et, Act. XXVII, 34, dixit Paulus : *Rogo vos accipere cibum pro salute vestra, quia nullius vestrum capillus de capite peribit.* Cibus enim salutis saluberrimus omnibus et confortat in gratia, et salvat a periculo. Unde etiam, III Regum, XIX, 8 : Elias *in fortitudine cibi illius*, scilicet panis quem sibi ministravit Angelus, *ambulavit* per desertum *quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.* Quia per totum desertum hujus mundi quadragin-

ta diebus et quadraginta noctibus pœnitentialibus ambulamus, donec ad montem divinæ visitationis et visionis veniamus.

Sapor autem vini in signando assumitur, ut sapor cœlestium gaudiorum in nobis perficiatur, sicut dicitur in Psalmo CIII, 15 : *Vinum lætificat cor hominis.* Et, Judicum, IX, 13, dicit hæc nostra vitis : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri?* Sicut autem diximus, quamvis aqua pro nobis in sacramento accipiatur, tamen sapor aquæ in sacramento non sentitur : quia populus junctus sanguini Domini, non sanguinem convertit ad insipiditatem, sed potius gaudiorum spiritualium accipit saporem, sicut, Joan. II, 8, aqua a Christo conversa in vinum nihil retinuit de aquæ insipidate, sed tota conversa est in vini saporem. Unde, ibidem, ℣. 10, dicitur : *Servasti bonum vinum usque adhuc.* Sic etiam vitis in se complutam per radicem bibit aquam, et ex illa generat vinum, quod proprinet eis a quibus colitur. Propter quod, Isa. V, 6, dicitur de vinea fructum congruum non ferente : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Propter quod etiam Empedocles de natura vini loquens, dixit quod vinum est aqua putrefacta in vite, putrefactionem pro digestione accipiens. Sic igitur et naturali exemplo et Christi miraculo probatur, quod aqua in sacramento cum vino mixta, non debet in sapore aquæ remanere, sed potius saporem vini accipere : quia de insipidis dicitur, Apocal. III, 16 : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Tepidum autem ibi ponitur pro insipido.

8. Vinum autem assumitur in significando tum propter hoc quod Christus se viti comparavit [1], tum propter hoc quod dictum est, quia vinum in jucunditatem animum convertit, et cor dissolvit in gaudio, et bona spe futurorum bonorum. Hæc enim tria facit vinum, quando proportionabiliter sumitur.

De primo horum dicitur, Eccli. XXXI, 35 et seq : *Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio. Exsultatio animæ et cordis vinum moderate potatum. Sanitas est animæ et corpori sobrius potus.* Hoc enim maxime de vino Eucharistiæ intelligitur, quod animam jucundam facit, quod corpus et animam in exsultatione spirituali infundit, quod sanitatem animæ et corpori tribuit. Hoc enim est quod dicitur, Eccli. XXX, 23 : *Jucunditas cordis hæc est vita hominis, et thesaurus sinè defectione sanctitatis.*

De secundo autem, hoc est, de gaudio supra inductæ sunt auctoritates : quia *vinum lætificat cor hominis* [2] : quia lætitiam æternam de æternis jam sacramentaliter degustatis infundit. Hoc est vinum, de quo dicitur, Proverb. IX, 5 : *Bibite vinum quod miscui vobis.* Proverb. XXXI, 6 et 7 : *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui in amaro sunt corde. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.*

De spe autem quam bonam tribuit futurorum bonorum, dicit Philosophus, quod vinum bonæ spei facit hominem. Et hoc est vinum de quo, Cantic. VII, 9, dicitur : *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Guttur enim gustans hoc vinum, diu in se revolvit saporem, in se revolvens rei speratæ dulcedinem, et hoc labiis cordis, hoc est, intellectu et affectu revolvitur, et continue ruminatur, ut dulcedo beatitudinis in eo speratæ perfectesugatur.

His igitur de causis duos in hoc sacramento sapores significantes a Christo habemus, scilicet et panis et vini.

[1] Joan. XV, 1, 5.

[2] Psal. CIII, 15.

CAPUT III.

De cibi hujus laucitate ex præparatione.

1. Modo autem tertio loco quæ sit cibi hujus laucitas ex præparatione, describemus.

Est autem laucissimus hujus præparationis modus in quatuor, scilicet in efficacia virtutis, in altitudine sapientiæ hunc cibum contemperantis, et in condimento delectationis, et in abundantia administrationis. Primum horum attribuitur potentiæ Patris. Secundum attribuitur sapientiæ Filii. Et tertium attribuitur bonitati Spiritus sancti. Quartum autem majestati attribuitur totius Trinitatis. De potentia enim Patris potuit hæc fieri præparatio. De sapientia Filii inventa est. De bonitate Spiritus sancti condita est. Nec expresse haberi poterant nisi de majestate et magnificentia totius Trinitatis.

Cibus potentia Patris præparatus.

De potentia enim Patris dicitur, Esther, XIII, 9 et seq. : *Domine, Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.* Ac si dicat : Talem redemptionis nostræ cibum et pignus impossibile est humanæ infirmitati præparare : sed tibi, Domine Deus, rex omnipotens, nihil est impossibile : quia in ditione tua cuncta sunt posita, quia in verbo simplici tibi coæterno fecisti cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt contenta : et eodem verbo creaturas, ut dicit Ambrosius, mutare potes in corporis et sanguinis Filii tui cibum. Nec enim mirum est si verbum quod omnipotentia Dei fecit creaturas, eadem potentia mutat creaturas in illud quod voluerit : quia Dominus universorum ipse est : cujus magnificentiæ cuncta obediunt, et nihil resistit. Et hoc est quod dicitur, Sapient. XII, 18 : *Subest tibi cum volueris posse.* Quia quamvis fides in omnibus articulis suis omnipotentiæ Dei innitatur, in sacramento tamen altaris, in quo consistit fundamentum fidei et totius Ecclesiæ communio, maxime innititur omnipotentiæ. Et hoc est quod in signo hujus sacramenti dixit ad Saram Angelus, Genes. XVIII, 14, ubi similis promissio sanguinis facta est, et confectio cibi Angelorum de tribus farinæ satis, quæ magna fuerunt, et non nisi ab omnipotentia Dei fieri poterat. *Numquid Deo quidquam est difficile?* Quasi diceret : Non est : facile est enim creaturas mutare et transsubstantiare quas fecit, et de cibis nobis consuetis, hoc est, pane et vino, corporis sui et sanguinis nobis dulcem cœnam præparare. Hoc est etiam quod, Luc. I, 37, Angelus dixit cum de perfectione et conceptione Dominici corporis et sanguinis ageretur : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et persuadens Virgini, unde hoc fieri posset, dixit, ℣. 35 : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quod exponens Origenes, dicit virtutem Altissimi esse virtuosam potentiam Patris, quæ umbram et imaginem suiipsius fecit in Maria Virgine, de creatura vetustatis corruptæ novum hominem secundum Deum creatum perficiens, et hunc non ad imaginem, sed ipsam imaginem faciens per unionem,

in quo perfecta resultaret potentia Patris.

2. Sapientia inventus.

De sapientia autem hunc cibum contemperante dicitur, ad Roman. XI, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Quis enim digne valeat investigare qualiter ex antiquo corpus incorruptum sit innovatum, qualiter nova anima vivificatum, qualiter utrumque horum deitati sit sociatum, in unam personam unitum et assumptum, qualiter in carne infirmitates carnis portaverit, et qualiter in cruce mortuus sit, et qualiter in corpus et sanguinem principalia esculenti et poculenti natura humana mutaverit, et sic se hujusmodi præbuerit in cibum? Hæ enim viæ sapientiæ Dei sunt absconditæ. Unde, Proverb. XXX, 18 et 19, dicit Salomon confitens hæc sibi esse abscondita, sic : *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris, et viam viri in adolescentia.* Viam enim aquilæ acutæ videntis et alte volantis et de longe escam odorantis in cœlo, viam vocat altissimæ sapientiæ divinæ profundas partes omnes circumspicientis : alto quidem consilio voluntatis super Cherubim in quibus est scientiæ plenitudo, quia mysterium hoc nec ipsi Cherubim et Angeli ad plenum cognoscunt: et de longe providentia sua escam hanc qualiter parant odorantis. Via autem navis est via veritatis in doctrina et virtutis in vita : quia sicut per navem, ita per crucem salvat eos qui hoc mare mundi navigant, cujus mysterium etiam altitudinem sapientiæ humanæ excellit. Via autem colubri qui exaltatur pro nobis, ut morsus venenatici serpentis evadamus, est via medicinæ sacramentorum et præcipue hujus sacramenti, in quo sicut in pyxide continetur omnis medicina : et hoc est super petram solidissimæ veritatis fidei, in qua fundatur Ecclesia, quæ etiam humanam vincit sapientiam. Via vero viri perfecti in omnibus virtutibus et gratiis et in adolescentia juvenili, est introitus sapientiæ in humanam naturam infantilem et juvenilem, quæ infantilis et juvenilis esse solet, et non habere proprietates viri perfecti in providentia et actibus virtutis. Hæc igitur sapientia omnem humanam sapientiam excedens, hæc omnia providit et conjunxit in hoc sacramento. Hæc est mulier evangelica fermentum efficacissimæ deitatis abscondens *in farinæ satis tribus*[1], hoc est, purissima natura corporis, et purissima natura animæ, et purissima natura corporalis spiritus, tamquam sub tribus satis abscondens, *donec fermentatum est totum*, hoc est, a deitate penetretur, et divinæ virtutis et sapientiæ in intima sua recipiat influxum, et totum sic deitati societur. Hæc etiam sapientia per Saram principem et uxorem magni patriarchæ significatur, Genes. XVIII, 6, ubi Saræ, uxori suæ, dixit Abraham : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.* Hæc est enim sapientia summi Patris, quæ tria sata deitatis et animæ et corporis commiscuit, hoc est, sociavit et ut undique simul sint, et tamen commixtionem quæ mutet aliquod illorum, non patiantur. Accelerat autem : quia in momento operata est, et non per momenta temporum ut infirma facit natura, et fecit nobis panes æternæ refectionis sub cineribus hujus nostræ mortalitatis decoctos. Simila autem purissima fuit : quia in deitate nihil furfuris cadere potuit. Anima autem numquam commaculata fuit : et corpus sine omni contagione conceptum et natum, et per totam vitam conservatum. Unde etiam, Levit. II, 4, Dominus de simila purissima præcepit fieri sibi sacrificium et præparari.

3. Bonitate Spiritus

De bonitate autem Spiritus sancti, per quam iste cibus est conditus : quia ipse

[1] Matth. XIII, 33.

sancti conditus.

est Patris et Filii delectatio et condimentum, ut dicitur, Sapient. XII, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* Omne enim condimentum est in ipso, et sine ipso cuncta efficiuntur insipida. Et in hujus rei figuram dicitur ad sponsam in Canticis, VIII, 2 : *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.* Vinum enim sacramenti cibus et potus est, conditum cum sapore bonitatis Spiritus sancti. Mustum autem malorum granatorum est succus delicatissimæ pietatis corporis Domini, quod sicut granatum quædam in se continet grana spiritualium virtutum et refectionem, quæ ex ipso per passionem expressæ, tamquam mustum mali punici continentur in sacramento : propter quod in dulcedine sua sacramentum parasse pauperi dicitur dulcissimus Deus[1]. Hoc signatum est, IV Regum, IV, 39 et seq., ubi dicitur, quod amaritudo colocynthidarum per farinam in ollam immissam ab Eliseo tota in dulcedinem versa est, ita quod non fuit quidquam amaritudinis in illa olla. Farina autem illa dulcissima est, et delicata, dulcedinem signat et condimentum Spiritus sancti. Olla autem vas sacramentale signat. Colocynthidæ autem amarissimæ signant tumulum Christi passionum amarissimarum, quæ tamen omnes nobis dulcissimæ fiunt condimento farinæ, hoc est, bonitatis Spiritus sancti.

4.

Ex abundantia totius Trinitatis administratus.

De abundantia autem divinæ majestatis quæ dat impensas, dicitur, I Paralip. XXIX, 2 : *Ego totis viribus meis præparavi impensas domus Dei.* Et domus in qua infallibiliter omni tempore invenitur Dominus, sunt species sacramentales, quas post confectionem rite celebratam semper inhabitat Dominus.

Hujus domus impensæ sunt natura divina et humana in anima et corpore et sanguine et spiritu et omnibus bonis quibus plena est natura divina, et quæ non ad mensuram data sunt homini Christo : quas impensas nemo parare potuit nisi magnus ille rex, qui majestatem totius signat Trinitatis. Unde, Esther, I, 7 : *Bibebant autem qui invitati erant, aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur.* Invitati autem ad hoc sacramentum sunt omnes fideles Christo in sacramento cum Apostolis et discipulis communicantes, qui omnes aurea bibunt pocula : quia omnis eorum refectio in splendore deitatis administratur. Et cibi refectionis eorum aliis et aliis vasis gratiæ inferuntur : quia in corpore cibus, in sanguine potus, in anima pignus redemptionis, in spiritu vita, in deitate omnis gratiæ gustus infertur, et vinum æternorum gaudiorum abundans in hydria perfectæ personæ divinæ quæ est Filius : et præcipuum, quia in ipso fonte omnium gaudiorum haustum, nobis in hoc sacramento proponitur.

Eucharistia cur dicitur cœna

Hoc est quod de majestate Dei dicitur, Luc. XIV, 16 : *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.* Hæc enim est Dei magnifica majestas quæ dicitur quidam singulari dignitate homo humanitate sive benignitate, fecisse dicitur, magnam quidem magnifica præparatione, cœnam autem quæ ultima est, et post eam alia refectio in sacramento fidelibus non præparabitur, sicut ista post prandium agni typici veteris parata fuit, sed alia post istam in gratia fidei in cætero non parabitur, et ideo *cœna* vocatur. Hæc cœna signata est, III Esdræ, III, 1 et 2, ubi sic dicitur, quod *rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, et omnibus magistratibus Mediæ et Persidis, et omnibus purpuratis, et prætoribus, et consulibus, et præfectis sub illo*, etc. Darius enim significatur seu interpretatur *augmentatus*, et signat Christum qui omnibus fidelibus continuum accipit augmentum.

[1] Psal. LXVII, 11.

Hic rex fidelium suæ magnificentiæ demonstrans decorem in hoc quod tam lautam et magnam in sacramento fecit cœnam omnibus vernaculis, qui sunt servi in domo sua nati, quæ domus est Ecclesia. Magnates autem sunt viri magna virtute, quorum pietates et merita numquam defecerunt. Purpurati autem sui sunt martyres purpureo sanguine conformiter Christo rubificati. Prætores autem sui sunt sancti Ecclesiarum judices, decreta canonica et leges ad regimen sanctæ Ecclesiæ statuentes. Consules autem sunt doctores de secretis Scripturæ in dubiis fidelibus consulentes. Præfecti autem sunt plebibus in Ecclesiis præpositi. Quibus omnibus hæc cœna magna est præparata eximio et lauto præparationis modo, quem *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligent illum* [1]. Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti* diligentibus sive *exspectantibus te.* Hæc est cœna de qua dicitur, Apocal. III, 20 : *Ecce ego sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Hic enim rex cœnat cum fidelibus, et se tribuit in cœnam Angelis reverentiam exhibentibus, et sacerdotibus ministrantibus istius convivii fercula et cibum. Isa. LXVI, 8 : *Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile?* Rex cum suis cœnat et se in cibum exhibet, sacerdotes sanctificati ministrant, Trinitas condit, Angeli cœlestes obsequuntur.

CAPUT IV.

De cibi hujus suavitate ex operatione.

1. Cibus sanus est ex operatione : quia is infirmitate præservat.

Sic cibus sanus est ex operatione : quia operatur suavitatem in homine ipsum in communionem sumente.

Est autem sanus quadrupliciter, scilicet ab infirmitate præservando, causam infirmitatis expurgando, sanitatem perditam reparando, et sanitatem reparatam conservando.

De præservatione quidem ab infirmitate dicitur, Eccli. XXXVIII, 4 : *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.* De terra enim illa benedicta Dominici corporis et sanguinis, de qua scriptum est : *Domini est terra* [2], etc., creavit nobis Deus medicinam gratiæ præservantem nos ab omni peccati infirmitate. Vir ergo prudens, qui de futuris habet providentiam, quod scilicet sine hac medicina non præservatur homo ab infirmitate, et ideo non abhorret eam : quia licet sit apud imperitos horribile sumere humanam carnem, vel humanum sanguinem, tamen in hoc sacramento medicina est supra modum amplectenda. Et hoc est quod dicitur, Eccli. XLIII, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Quia forma panis intra quam corpus Domini continetur, *nebula* vocatur, quæ medicina est præservans ab omni infirmitate. Hoc est

[1] I ad Corinth. II, 9.

[2] Psal. XXIII, 1 ; I ad Corinth. X, 26.

quod dicitur, Job, v, 19 : *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Tot enim sunt infirmitates quas timemus. Sunt enim sex quæ causantur ab infirmitate corporis et mentis. A corpore quidem tres, luxuria, gula, avaritia. Ab anima tres secundum quod est in corpore corrupto, scilicet ira ex sanguinis accensione, acedia ex corporis ponderositate, invidia ex cordis pravitate, quia scilicet timet ne alterius prosperitate ipse impediatur Hæc est quæ ducit hominem in desperationem. (De hoc vide Bernardum in sermone 43.) Superbia autem causatur ex sola spiritus altitudine, et hæc est septima. In quibus nos non tangit malum, a quibus nos corpus Christi præservat. Si enim cogitamus patientis humilitatem, quando in memoriam passionis Christi corpus Domini sumimus, non tangit nos malum superbiæ. Si autem cogitamus Christi charitatem in qua nobis se in corpore et sanguine communicavit, non tangit nos malum invidiæ. Si autem cogitamus, quod impiger fuerit ut omnia faceret quæ ad nostram salutem requirebantur in offerendo se pro nobis, liberamur a malo acediæ. Et si advertimus quam liberaliter sua et se nobis impendit, liberamur a malo avaritiæ. Si autem ad cor reducimus patientiam ipsius et mansuetudinem cum se pro nobis obtulit, liberamur a malo iræ. Si autem subvenit nobis de sobrietate illius cœnæ, liberamur a malo gulæ. Et si cogitamus amaritudinem in lactucis agrestibus, quæ amaritudinem et acerbitatem signant passionis, liberamur a malo luxuriæ.

Hoc signatum est, Tob. vi, 8 et 9 : *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Quia omne genus dæmoniorum consistit in his septem : hæc enim est illa optima particula inter omnia sacramenta quæ nobis Salvator exhibuit, et ideo illa posita super carbones devotionis igniti cordis, statim fumat in effectu ad Deum, et omnem vim inimici expellit a nobis. *Et fel valet ad ungendos oculos in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.* Fel enim est fellea amaritudo exprobrationum Christi patientis, quæ extergit albuginem spissam, quam nobis ante oculos vanitas mundi posuit, ut non videamus lumen cœli : quia Christi amaritudo reducit nos, ita ut nos cognoscamus et ad lumen cœli oculos attollamus, et vanitatem mundi non curemus quæ nobis oculos obtexit.

Sic igitur est cibus iste operans sanitatem, præservando nos ab omnibus malis, quæ septem sunt in mortalibus, et unum octavum in cæcitate veritatis.

2. Causam infirmitat expellit.

Est etiam iste cibus sanus causam infirmitatis expellendo. Omnis enim causa nostræ infirmitatis est quintuplex. Quod enim ad infirmitatem movet, extra nos est, secundum id quod dicitur, I Joannis, ii, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Et quod in nobis inducit, aut est timor humanus vel mundanus, vel amor improbus, in quo superflue nos ipsos amamus. Et hoc totum curat cibus iste. Si enim cogitamus Christi in patiendo dolorem, expurgatur concupiscentia mollitiei carnalis. Si advertimus patientis nudam paupertatem, concupiscentiam expurgamus oculorum. Si autem advertimus illusi et exprobrati et derisi etiam a crucifixis latronibus vilitatem, totum expurgatur quod in nobis est de vitæ superbia. Thren. iii, 19 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii et fellis.* Paupertatis, inquam, ne concupiscentia oculorum in mundi spectaculis divitiarum te inficiat. Transgressionis in sensu doloris, ne dulcedo te concupiscentiæ carnalis alliciat. Absynthii et fellis in exprobratione derisionis et illusionis, ne superbia vitæ decipiat.

Contra timorem valet recordatio gaudii, qua pro nobis audacter crucem sustinuit. Et recordatio mortis, quam pro nobis sustinuit, valet contra amorem

superfluum, ne nos tantum amemus, quod pro ipso nihil sustinere velimus. De timore dicitur, Matth. x, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ad Hebr. xii, 3 : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* De amore autem dicitur, Joan. xii, 25 : *Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* De utrisque similiter dicitur, ad Hebr. xii, 2 : *Adspicientes in auctorem fidei et consummatorem, Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Sic enim fit quod dicit Apostolus, I ad Corinth. xi, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

Sic enim memoria passionis expurgat ab omni causa infirmitatis.

Est item medicina sanitatis, sanitatem deperditam restaurando. Sicut enim perditur sanitas et vires corporis, ita perditur sanitas mentis. Sanitas autem corporis et vires perduntur per longam abstinentiæ inediam, ita quod consumuntur substantiæ membrorum et vires : et sic per longam abstinentiæ inediam deperditur substantia spiritus et vires et substantia boni naturalis in spiritu. Thren. iv, 9 : *Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ.* Occisi enim gladio sunt percussi rumphæa diaboli, quæ est peccatum actuale et mortale, in quo satiatur libido concupiscentiæ. Fame autem per abstinentiam istius cibi laborantes, interius destituuntur, et contabescit bonum spiritus naturale ex longa inedia famis, et omne bonum nutrimentum interius convertitur in tabem. Unde, Psal. xxxviii, 12 : *Propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.* Quia propter iniquitatem operis corrumpitur homo, et corruptus a sumptione istius cibi spirituali manducatione suspenditur, et tunc inedia consumptus, spiritualia sua in tabem convertuntur et destituuntur in seipso. Per hunc autem cibum fit deperditi in substantia spiritualis boni restauratio, et revertuntur vires, et homo redit ad statum et vigorem debitum. Sapient. xvi, 26 : *Quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint conservat.* Nativitatis enim fructus pascunt corpus, sed non animas : sed sermo Dei, hoc est, Verbum Dei, formam et figuram cibi et potus assumens in sacramento pascit eos qui in te confidunt ad restaurationem substantiæ boni spiritualis et naturalis, et virium spiritualium restaurationem : quia per abstinentiam cibi istius sacramenti tabescit anima, hoc est, in tabem corruptam convertitur, sicut aranea quæ labore venationis muscarum, in quibus vana hujus mundi gaudia signantur, pro quibus homo laborat, contabescit eviscerans se in suiipsius labore : livida enim tabes efficitur in interioribus omnis hominis qui hoc cibo diu privatur.

Hoc optime signatum est in Psalmo cvi, 36 et 37 : *Collocavit illic,* hoc est, in terra fructifera, *esurientes, et constituerunt civitatem habitationis : et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.* Esurientes enim sunt cibum corporis Christi desiderantes, et sitientes sunt qui desiderant sanguinem Christi. Hi constituerunt se per Dei gratiam in hoc loco, ubi est habitatio civitatis Dei, hoc est, in Ecclesia, et ibi semine justitiæ seminaverunt agros ab augendo seu agendo dictos, in quibus crescit frumentum panis corporis Christi, et plantaverunt vineas in quibus crescit potus sanguinis Christi : et in his fecerunt fructum dulcissimum gratiæ sacramenti quo cibamur, qui dicitur *fructus nativitatis,* quia ex eisdem et corporaliter et spiritualiter nascimur et nutrimur : gratia enim Christi nascimur, et gratia Christi in sacramento nutrimur. Psal.

XXII, 1 : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Ibi enim et substantia spiritualium restituitur, et vigor virtutum perficitur, et revertitur spiritus omnium bonorum. Act. IX, 19 : *Cum accepisset cibum, confortatus est,* ita quod sicut dicitur, III Regum, XIX, 8, Elias recreatus est in fortitudine cibi Angelorum panis, totum desertum transiit, et ambulavit usque ad montem in quo Deo est conjunctus. Hinc est quod patriarcha dixit, Genes. XVIII, 5 : *Ponam buccellam panis, et confortate cor vestrum,* quod scilicet prius per inediam longæ famis erat tabefactum. Genes. XLII, 2 : *Descendite, et emite nobis cibaria necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia.* Triticum enim quod ad imperium Joseph venditur in Ægypto, omnes salvat a sterilitate famis. Hoc est triticum corporis Domini, quod a Domino, qui per Joseph significatur, venditur commutatione animæ et corporis, et in mundo salvat omnes a famis spiritualis consumptione. Sic igitur restituendo deperditum in substantia et vigore spiritus sanitatem restituit deperditam et reparat vigorem. Genes. XLVII, 12 : *Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis.* Sic alit nos Christus, et omnem domum, hoc est, Ecclesiam quæ est domus Patris, præbens cibaria singulis in sacramento cibi spiritualis, in quo est medicina perfectæ sanitatis, quo omnia restituuntur deperdita per inediam antiquæ famis.

4. Repertam sanitatem conservat.

Est etiam iste cibus sanus, repertam sanitatem et robur conservando. Sic enim per gratiam sacramenti dicitur de Christo, Eccli. XXXVIII, 1 : *Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus.* Necessitas autem vocatur necessaria conservatio sanitatis : unde ibidem dicitur, ỳ. 2 : *A Deo est enim omnis medela, et a rege accipiet donationem.* Quia hæc medicina sanitatis a Deo est : sed ipsa pyxis, hoc est, sacramentum in quo datur, accipit donationem a Christo rege nostro, qui omnem gratiam in sacramento posuit. Miro enim modo studuit quomodo nobis gratiam nos in omni sanitate conservantem præpararet, et invenit sacramentum, in quo ipse medicus et ipsa medicina semper haberentur. Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum,* scilicet in sacramento, *et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.* Et hoc studium commendatur, Eccli. XXXVIII, 3 : *Disciplina medici exaltabit caput illius, et in conspectu magnatorum collaudabitur.* Hæc enim disciplina honorabilem fecit Christum, et in conspectu magnatorum omnium, hoc est, Ecclesiæ patrum, fecit ipsum laudabilem in charitate qua nobis dedit seipsum : et quia sic sanitatem restauratam conservat, *unctio* vocatur : quia secundum naturam nulla corpora sic in sanitatem conservantur, ut dicit Avicenna, sicut quæ undique circumdata sunt naturali et propria pinguedinis unctione.

Hoc est signatum, Joan. XII, 3, ubi cum Christus esset in cœna, Maria venit et effudit unguentum super caput ipsius recumbentis, *et domus impleta est ex odore unguenti :* quia tota Ecclesia replenda erat unctione sacramenti Christi, quod fracto alabastro corporis sui in passione sacramentaliter in totum corpus mysticum Christi distillavit ad sanitatis conservationem. Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.* Et hoc signando dicitur, Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.* Et sic conservat sanitatem restitutam, ne iterum infirmitas pejus quam prius revertatur, sicut dicit David : *Oleo sancto meo unxi eum* [1]. Quia sic cognoscimus mirabilia Dei qui tantum studium conservandæ sanitatis habuit de nobis.

[1] Psal. LXXXVIII, 21.

Eccli. XXXVIII, 6 : *Dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.* In his enim mitigabit dolorem. Jerem. XVII, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es.* Nullus enim his modis qui dicti sunt, sanat et sanus est, nisi solus Deus.

CAPUT V.

De cibi hujus nutritivitate ex virtute.

Dicemus nunc de cibi hujus nutritivitate, hoc est, virtute quam habet ad nutriendum.

Virtus autem hujus cibi ad nutriendum in sex cognoscitur, scilicet quod nutrit virtute cœlesti, quod nutrit veritate veri cibi, quod nutrit ad vitam, quod radicem confert immortalitatis, quod nutrit virtute vincente nutritum et ad se convertente, et quod nutrit virtute universali. Primum habet ex origine. Secundum ex naturali puritate. Tertium ex conjuncta sibi deitate. Quartum habet ex æternitate virtutis. Quintum autem habet ex spiritus plenitudine. Sextum autem ex omnium gratiarum plenitudine.

Primum igitur notandum est, quod nutrit cœlesti virtute quæ nobilior est omni virtute humana vel humani cibi. Unde, Joan. VI, 32 et 33, dicitur : *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* Hic enim panis vegetare et nutrire habet ad vitam cœlestem, de quo dicitur, Isa. V, 10 et 11 : *Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Imber enim gratiæ descendit de cœlo Trinitatis, et nix candidissimæ castitatis nihil habens de incendio fomitis in uterum beatæ Virginis, et inebriavit terram illam ad maledicti veteris abolitionem, et infudit eam ad hujus tritici fertilitatem, et dedit semen serenti omni sacerdoti, et dedit panem manducanti et omni communicanti huic sacramento. Et sic factum est de verbo quod egressum est de ore Altissimi : hoc enim vacuum a fructu et divinum in spiritum tantum non est reversum, sed se incorporando fecit quæcumque Pater voluit, omnem familiam suam cœlesti virtute satiando : quod prosperatum est in his ad quæ misit illud, quia continue sumptum multiplicat virtutem, in nullo deficiens a seipso. Sic enim impletum est quod dicitur in Psalmo CXXXI, 15 : *Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.* Vidua ejus Ecclesia est, quæ benedictionem ejus in novo sponso suo et cultore Christo consecuta est, ita ut omnes pauperes spiritu panibus ejus qui virtutis sunt cœlestis, sint saturati. Hoc enim non nisi virtute cœlesti fieri potuit, nec famelici Christi esurient, nisi panem virtute cœlesti nutrientem. Panis enim de terra talibus non

deficit, sed panem de cœlo esurierunt.

Est autem advertendum, quod etiam alimentum corporale corpora animata non nutrit nisi virtute cœlesti, quamvis elemento corporali, hoc est, calore naturali, qui virtutem habet ignis, nutrimentum digeratur et purificetur, eo quod caloris ignei est segregare grossa a subtilibus, et aggregare subtilia quæ sibi attrahit : tamen ad æqualitatem complexionis non nutriret, nisi in eo esset virtus cœlestis, quia omnis æqualitas in complexione corporum animatorum est ab æqualitate cœli, in quo prima est æqualitas in genere corporum : et ideo Christus nobis naturalem perficiens cibum, optimam cœlestem virtutem posuit in ipso, qua nutriret. Quia etiam ipsum nutrimentum propter hoc de cœlo venisse dicitur, Joan. VI, 31 : *Panem de cœlo dedit eis manducere.* Et ibidem, ℣. 32 : *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Sicut etiam dicitur in Psalmo CXLIII, 5 : *Inclina cœlos, et descende* : non tantum ut nobiscum in terra sis, sed etiam sic ut nobis cœlestem cibum in communicando cœlestem virtutem ingeras, qua ad cœlestium vitam nutriantur. Hoc est quod dicitur, Joel. III, 18 : *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte.* Montes enim sunt supremi cœli Trinitatis vertices, a quibus cœlis nobis hæc stillavit dulcedo nutrimenti. Colles autem sunt eminentiæ humanæ in natura et persona Christi. In natura quidem in corpore, sanguine et spiritu etiam vivifico et naturali, et in anima Christi. In persona autem una in deitate et humanitate. Hæc enim omnia de cœlo humanæ naturæ dicit venisse Joannes Baptista, Joan. III, 31 : *Qui desursum venit, super omnes est.* Ex his omnium cœlorum virtutibus habet virtutem nutritivam iste cibus. Psal. LXVII, 9 : *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.* Terra enim corporis Domini mota est, et mota de infimis in virtutes cœlestes : quia cœli qui dicti sunt, sicut dictum est, potenter in eam distillaverunt omnem suam virtutem a facie præsentiæ Dei Sinai, qui in monte Sinai apparens manna tamquam cœli cibum dedit patribus, et a facie præsentiæ Dei Israel, quem sicut dicitur, Genes. XLVIII, 15, pascit a juventute sua [1], sicut usque in præsentem diem verum Israel pascere dignatur. Ideo tota die continue clamamus ad ipsum dicentes, Matth. VI, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, qui supersubstantiali virtute nobis præstet nutrimentum. Ubi enim nos habemus *supersubstantialem*, hebraicus sermo habet *Egolga*, quod interpretatur *egregius panis.* Panis enim cœlestis est : quoniam ad gregem communem non pertinet, sed specialiter his præparatur, qui ad cœlibem, quantum possunt, vitam toto desiderio et conatu referuntur, dicentes cum Apostolo, ad Philipp. III, 20 et 21 : *Nostra conversatio in cœlis est, unde etiam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Quia per nihil corpus humilitatis nostræ adeo configuratum est corpori claritatis suæ, scilicet Christi, sicut per nutrimentum cœleste et cœlesti virtute nutriente, quod dedit nobis. Sic est quod dicitur, Deuter. XXVIII, 12 : *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ, in tempore suo.* Optimus enim thesaurus Dei est hæc cœlestis virtutis in nutrimento nostro gratia. Et hic thesaurus est cœlum, hoc est, virtus cœlestis, ex quo sicut ex pluvia ad fœcunditatem irrigatur terra propter cœli virtutem quæ in guttis roris et pluviæ descendit in ipsam. Ita irrigatur ad fœcunditatem cœlestem tota natura terrena quæ in nobis est ex influxu in nos hujus nutrimenti, quod optimi the-

[1] Genes. XLVIII, 15 : *Deus qui pascit me ab adolescentia mea.*

mauri cœlestis secum in nos defert virtutem, et irrigat animas nostras ad proferendum cœli decorem. Hoc est quod dicitur, Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini, cœlique caligabunt rore.* Oculus enim signum est desiderii sanctorum ad frumentum istud, vinum in quo cœli jam concepta dulcedine cœlesti rore tantæ gratiæ caligant, et stillant nobis cœlestis roris virtutem.

Sic ergo cibus iste optime nutritivus est ex ea quam in se habet cœlesti virtute, quæ nutrit ad cœli conformitatem, et in cœlo nostram facit esse per cœlibatum conversationem et intentionem rationis.

Sicut autem nutrit cœlesti virtute, ita etiam nutrit ipsa veri cibi veritate. Et ideo dicitur, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Et hoc ipsum de isto cibo conveniens dicitur, quam de naturali corporis cibo, quamvis et cibus corporeus non nutriat nisi per id quod est in ipso de cibi veritate. Verus enim cibus vocatur ille, qui nihil habet sibi admixtum nisi cibum. Multa enim sunt admixta cibo corporali, quæ non sunt de cibi veritate : et ideo natura in nobis fecit instrumenta, quæ non verum cibum a vero cibo separent, ita quod solus verus cibus ad nutrimentum membrorum referatur. Sicut enim stomachus a cibo separat grossa terrestria, et grossa emittit in secessum, sic hepar et venæ ejus aquosum grossum separantes a vero cibo, aquosum per renes mittunt ad vesicam. Sic incensum amarum a cibo vero separatum ad receptaculum fellis mittitur. Sicut melancholicum fœtulentum cibi ad splen dirigitur, sic etiam de ipsis venis aliquid terrestre separatur, quod non satis conveniens est et quod redundans ad venas magnas hepatis in vesicam emittitur, quod in urina a medicis *hypostasis* vocatur. Sic etiam aliquando quod ipsis membris non in veritate cibi influxum est, per apostemata vel sudores emittitur, ut sincerus cibus ad membrorum nutrimentum in cibi simplici veritate adhibeatur. In isto autem cibo nihil est nisi simplex et verum, nihil penitus de impuro vel non vero cibo habens admixtum, et ideo verus cibus et potus vocatur. Absit enim ab omnium fidelium cordibus, quod aliquid sit in hoc cibo, quod verus cibus non sit, similitudine cibi se verum cibum esse mentiatur. Et ideo de omnibus sic illo cibo cibatis et potu isto potatis dicitur, Joan. VI, 51 et 52 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Et ibidem, ℣. 35 : *Ego sum panis vitæ : qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam.* Adeo enim habet cibi veritatem, quod alterius aufert esuriem : quia desiderium sanctorum jam ad aliud nutriens spiritum, iterum non accenditur, quamvis per necessitatem corporis cibus terrenus propter sustentationem suscipiatur. Apocal. VII, 16 : *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus.* Sic enim veritate cibi interius reparantur, quod esuries in alium cibum non accenditur, et infunditur vero potu, quod sitis sæcularis refrigerii in ipsis non sentitur : et sic interius refrigeratur gratia a veritate cibi, quod æstus mundani solis, hoc est, æstus mundani honoris, vel deliciarum, vel cupiditatis divitiarum hujus sæculi, in desiderio non cadit, neque aliquis æstus concupiscentiæ carnalis. Et hoc totum efficit nutriendo omni cibi veritate, et potando omni veritate potus. Et ideo, Joan. VI, 34, a non intelligentibus Judæis veritas hujus cibi in desiderio sanctorum patrum petitur : *Domine, semper da nobis panem hunc,* qui sic vere cibat, ut alium cibum ad refectionem animæ non quæramus. Hoc est quod dicit Elias, III Regum, XVII, 14 : *Hydria farinæ non deficiet.* Hydria enim est sacramentum, farina autem cibus contentus in ipso sacramento, veritati cibi nihil habens admixtum. Qui cibus

quia verus est, et non deficit in ipso veritas ejus, non permittit redire famis inediam, si non sponte a sumentibus eum abjiciatur : nulla enim causa est, quod in nostro corporali cibo sumpto iterum sic esuries redeat, nisi quod ille cibus a veritate cibi corrumpitur et destituitur, et quando destitutus a veritate cibi, membra exinanita alium desiderant cibum. Sed iste cibus quia numquam virtute cibandi per corruptionem aliquam destituitur, sic cibat, ut fames ad alium cibum non revertatur : sed desiderium sanctorum est, ut in ipsis iste cibus continuetur, et in sumptione sacramentali iterata non cibus iteretur, sed idem qui ante sumptus est, continuetur. Et hoc vult dicere Salomon, Proverb. XIII, 25 : *Justus comedit et replet animam suam : venter autem impiorum insatiabilis.* Quia sicut dicitur, ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Numquam saturantur : quia terrenum cibum quærunt, qui semper perit a membris eorum. Hinc est, quod dicitur de sanctis in Psalmo LXXVII, 29 et 30 : *Desiderium eorum attulit eis,* scilicet Dominus : *non sunt fraudati a desiderio suo.* Quia continue manens in eis verus cibus in omni cibi veritate, desiderium aliorum delectantium redire non permittit. Hic enim cibus non mutatur. Iste enim est de quo consulit Dominus, Joan. VI, 27 : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

Sic ergo cibus hic nutrit et cœlesti virtute et ipsa cibi veritate.

3. Nutrit ad vitam.

Nutrit etiam tertio ad vitam : quia est cibus vitæ : quia scilicet ipsa vitæ principia sunt in ipso, sicut dicitur, Joan. VI, 48 : *Ego sum panis vitæ.* Glossa ibidem : « Qui pasco donec pastos jungam vitæ. » Pastos enim omnes principiis divinæ vitæ conjungit. Et ideo statim ibidem subjungit, ℣. 49 : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.* Quia manna fuit figura et typus panis vitæ, sed in se non habuit ipsa vitæ principia et causas : sed iste panis habet in se vitæ principia et causas. Unde dicit, Joan. VI, 50 : *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

Hæc autem sicut et alia duo habet hic cibus ad similitudinem naturalis cibi : quia, sicut diximus quod nutrimentum non perveniret ad æqualitatem complexionis membrorum corporis quod cibatur, nisi per virtutem cœli : et sicut diximus, quia non nutriret substantiam membrorum, nisi per cibi veritatem : ita dicimus secundum naturam, quod non nutriret vivum nisi per vitæ principium: et ideo in naturali nutrimento anima vegetativa est primum movens ad nutrimentum, quæ formam vitæ influit nutrimento per hoc quod, sicut dicit Aristoteles, « nutrimentum in gibbo hepatis acceptum, elevat ad medium cordis thalamum, ubi requiescens a sede vitæ accipit vitæ principium, quo moveri possit ad membra viva, et unitum eis vivificari, et vivere vita ipsorum. » Dominus igitur nobis in omnibus modis condescendens, et nutrimentum cibi spiritualis connaturaliter cibo naturali perficiens, ut magis hunc cibum desideremus, posuit se in ipso in quo est vita sicut in Patre a quo fluit omnis vita, ut nos intus vivificet in seipso, qui est vitæ nostræ in gratia et gloria principium. Joan. VI, 58: *Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Sic enim nobis hoc alimentum vitæ influit vitam gratiæ, et beatis influit vitam gloriæ : quod significatum est, Genes. II, 9, quando plantavit Deus *lignum vitæ in medio paradisi.* Quia Dominus Jesus Christus in sacramento vivifico omnibus se exhibet in medio Ecclesiæ, qui nutriti ab ipso eamdem qua ipse vivit vitam ab eo percipiunt. Cum enim, sicut dicitur in libro de *Causis,* vita sit actus continuus fluens ab ente quieto, quod est fons vitæ, in ea quæ sunt viva, patet quod hoc vitæ nu-

trimentum cibus est, in quo Pater fluit vitam in Filium : et Filius habens vitam in semetipso, fluit vitam in sacramentum, sacramentum autem fluit vitam in nos. Eccli. xv, 3 : *Cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus.* Dat enim vitam intellectualem, quæ est pars vitæ beatæ : omnis enim beata vita est secundum vitam intellectualem. Unde, Joan. vi, 52 : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quia ex illa hauritur vita indeficiens.

Sic ergo iste cibus nutrit ex principiis vitæ in vitam æternam et divinam.

Hic est cibus, qui non tantum nutrit cœlesti virtute, nec tantum cibi veritate, nec cum his tantum principiis vitæ, sed confert immortalitatem, et immortalitatis radicem. Et hoc est quod dicitur, Joan. vi, 55 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Et inde habet quod *viaticum* iste cibus vocatur : quia est vita viantium, hoc est, itinerantium per istud mortale desertum usque ad immortalitatis æternæ stabilimentum. Et in hoc dissimilitudinem habet iste cibus ad cibum corporalem, qui non nutrit nisi mortaliter et corruptibiliter. I ad Corinth. vi, 13 : *Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et has destruet.* Iste autem cibus radix est immortalitatis, quia is qui sumitur in ipso, principium est vitæ perpetuæ. Unde, Joan. vi, 59 : *Non sicut manducaverunt patres vestri manna in deserto, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Nec in æternum nutriret, nisi immortalitatis radicem haberet, per quam immortalitatis vitam continue a fonte vitæ surgeret. Osee, xiv, 8 : *Vivent tritico, et germinabunt quasi vinea : memoriale ejus sicut vinum Libani.* Quia ex hoc tritico sugunt alimoniam immortalitatis, ut dicit Gregorius : et ideo germen immortalitatis surgit ex ipso, sicut ex vinea surgunt novi surculi ferentes fructum æternorum gaudiorum. Hoc signatum est, III Regum, xix, 8, ubi Elias *ambulavit in fortitudine cibi illius,* scilicet Dei, per totum desertum, quod signat quod viaticum istud per totum desertum istius mortalis vitæ nos pascit usque ad firmamentum æternitatis et immortalitatis. Qualiter enim non conferret radicem immortalitatis, quod habet virtutem nutrientem in æternum ? Defectus enim nutrimenti non est nisi ex defectu virtutis nutrientis in cibo, vel defectu ejus qui nutritur. In nobis autem qui nutrimur, nulla est ad hæc virtus nisi habilitatis et præparationis : et cum totum sit in cibo, oportet quod cibus in se habeat potentiam et radicem immortalitatis. Hinc est, quod, Proverb. xi, 30, dicitur : *Fructus justi lignum vitæ.* Hinc enim est fructus illius qui antonomastice justus est, Christus, ut sic lignum per quod habetur fructus vitæ in æternum : sicut enim homo si non peccasset, de ligno vitæ immortaliter vixisset, ita Dominus ad restitutionem ejus quod perdidimus, fructum nobis dedit in sacramento, gustum scilicet vitæ immortalis. Apocal. ii, 7 : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* A radice enim ligni vitæ sugitur vita immortalis. Et hoc ibidem, ℣. 17, vocatur *manna absconditum,* ubi dicit : *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Manna enim quod datur vincenti, est corpus Domini, quod est absconditum, quia speciebus panis et vini velatum, ex quo trahitur immortalis vitæ alimentum. Unde illi eidem dat calculum qui signat veri et immortalis vitæ firmitatem : et ut in perpetuum maneat, dat ei hoc nomen novum scriptum, quo Christus sicut sibi concorporalis adscribitur : quia in memoria æterna erunt justi, ab auditione mala non timebunt [1]. Et hoc nomen æternæ vitæ nemo novit nisi qui accipit : quia

[1] Cf. Psal. cxi, 7.

tales deliciæ ignotæ sunt mundanis.

Hoc signatum est, Deuter. XXIX, 5 et seq., ubi de comedentibus manna, quod corporis Christi est figura, dicitur: *Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis, ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester. Et venistis ad hunc locum*, etc. Ac si dicat: Per desertum hujus mortalis vitæ quadraginta, qui est numerus pœnitentiæ, adducit nos Dominus ad immortalitem perpetuæ vitæ, ita quod vestimenta virtutum conversatione non attrita aliqua peccati vetustate, et calceamenta quæ sunt duorum pedum animæ munimenta, quia veritas munit intellectum, et charitas munit affectum, non sunt aliqua vetustate vanitatis vel frigiditatis cordis consumpta. Et hoc ideo, quia panem mundanæ refectionis non comedistis, nec vinum et siceram inebriantia in quibus est luxuria, bibistis: et tamen Dominus suæ immortalitatis alimonia, adduxit nos per sui cibi viaticum ad hunc solidum locum, qui non moveri potest, æternæ immortalitatis. Nehemiæ seu II Esdræ, IX, 20 et 21: *Manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, et aquam dedisti eis in siti. Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti.* Et patet expositio hujus auctoritatis per præcedentem, nisi quod aquam vocat sanguinem, non propter hoc quod ex aqua conficiatur sanguis immortalitatis alimoniæ, sed propter hoc quia refrigerium præstat ab æstu concupiscentiæ. Unde etiam aliquando mel dicitur, sicut ibi: *Et de petra melle saturavit eos* [1]. Quia, sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. X, 3 et 4: *Patres nostri omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt: et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus).* Et sic introducti sunt in terràm promissionis, possessionis et quietis æternæ, ubi, sicut dicitur, Apocal. XXI, 4: *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

Sic igitur iste cibus cibat cœlesti virtute, cibat cibi purissima veritate, cibat principiis divinæ vitæ, cibat radice immortalitatis æternæ vitæ.

Cibat etiam virtute excellenti cibatum vincente.

Et hoc etiam habet proprium, et non communicat hanc cibandi proprietatem cum cibo naturali et corporali. Unde dictum est Augustino, sicut ipse dicit in libro X *Confessionum*: « Cresce, et manducabis me: nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. » Jerem. XV, 19: *Ipsi convertentur ad te, et tu non converteris ad eos.* Hoc autem ideo, quia cibus carnis a corpore nostro cibandi accipit potestatem, sicut ab anima cibativa sive nutritiva, quæ ipsum alterat et convertit ad corporis cibati similitudinem. Et quia corpus cibatum et corruptibile est et dissolubile, ideo cibus in ipso corpore corrumpitur et dissolvitur, et utrumque, scilicet cibus et corpus, in putredinem rediguntur. Hoc autem corpus divinum si ad nos mutaretur, nihil nobis prodesset, sed nobiscum periret. Quoniam autem virtus ejus vincit nostram infirmitatem, et nos ad se commutat, oportet quod nostra infirmitas in suam transeat divinam virtutem: et sic firmamur, et perire non possumus ab ipso in esse firmati in æternum. Sic intelligitur quod dicitur, Joan. XII, 32: *Omnia traham ad meipsum.* Sicut enim in unam personam accepit humanam naturam, non consumens eam in seipso, sed in unitatem personæ traxit, ut in ipso esse divinum participaret: sic convertit nos ad se, non consumendo, sed ut esse suum divinum in sui

[1] Psal. LXXX, 17.

sumptione participemus. Sic tædium sui ipsius habens sponsa, Cantic. I, 3, et desiderans intrare in participationem sponsi, in desiderio animæ clamat et dicit: *Trahe me post te*, ut in esse tuo et virtute feliciter sim, quæ mihi displiceo in meipsa. Sic orat Jeremias, Thren. v, 21, dicens: *Converte nos, Domine, ad tè, et convertemur: innova dies nostros, sicut a principio.* In principio enim creationis non in nobis, sed ad te tracti sumus, et tunc conversi fuimus in te tamquam tibi incorporati. Modo autem mali sumus et perversi in nobis ipsis: et ideo virtute tua propria nos ad te, et a nobis converte: et sic incorporatis nobis tibi, innovabis dies nostros sicut a principio. Sic Ecclesia dicitur esse corpus Christi, sicut dicitur, I ad Corinth. XII, 27: *Vos estis corpus Christi, et membra de membro.* Hæc spiritualia membra Christi de membro capite, quod nobis influit hanc virtutem, quæ nos in ipsum convertit, ut membra ejus et corpus efficiamur. Hoc expresse dicitur, ad Ephes. IV, 15 et 16: *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Non enim ratio potest assignari quare Ecclesia dicatur et sit corpus Christi, nisi hoc modo quo dictum est, dando illi corpus suum, et convertit eam ad se, ut corpus ejus efficiatur, et singuli sint membra ejus. Constat enim, quod Ecclesia mystice vel metaphorice *corpus Christi* dicitur. Omnis autem translatio mystica habet fieri per appropriationem ad aliud. Quod vero eodem nomine dicitur et eadem ratione. Hæc autem non est nisi communio corporis et sanguinis Christi naturalis et veri, quod cum influit Ecclesiæ, totam Ecclesiam ad se convertit, et a sui natura non avertitur, et sibi eam sic assimilando in spiritu vitæ et calore veritatis vivifico, et operatione virtutum, tamquam quadam operatione membrorum Ecclesiam facit esse corpus suum spirituale et mysticum. Et hoc est quod dicitur, ad Ephes. IV, 11 et seq,, quod scilicet diversas gratias dando, in diversis officiis constituit, sicut in corpore in diversis officiis et operationibus constituuntur membra. Et hæc sunt verba Apostoli: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores: ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sic Christus dicit ad Ecclesiam, Genes. II, 23, sub figura Adam et Hevæ loquens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Quia et fortiora et firmiora membra apud ipsum sic mutantur. Sic translatis ad se fratribus de terra Chanaam, loquitur magnus ille Joseph in membris per continuum augmentum accrescens, Genes. L, 21: *Nolite timere, ego pascam vos et parvulos vestros*, quos non pavit quando ad ipsum non fuerunt translati. Hoc est significatum, II Regum, V, 1 et 2, ubi sub typo filiorum Israel ad David Ecclesia loquitur, scilicet ad Christum: *Ecce nos os tuum et caro tua sumus. Sed et heri et nudiusterius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum*, etc. Quia quod modo facit Christus in Ecclesia, heri fecit in lege Moysi, cujus regnum per Saul figuratur: et nudiustertius fecit in lege naturali. Per fidem autem tunc fecit, quod modo facit in sacramento et in ipsa veritate præsentiæ corporis Christi.

Iste igitur nobilissimus modus pasturæ est, quo sua indeficiente virtute hoc sacramentum nos convertit in corpus Christi, ut simus os ex ossibus, et caro ex carne, et membra de membro ejus, et ex omnibus nobis corpus Christi connectatur.

6. Pascit universali virtute.

Pascit etiam hic cibus universali virtute, et corpus nutriens et animam : in quo etiam excedit cibi corporalis virtutem, quod tantum deperdita in corpore restaurat. Unde beatus Gregorius in quadam Collecta quæ post communionem dicitur, orat dicens : « Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quod in sacramento percepimus, ad nostrarum vegetationem transeat animarum. » Et beatus Ambrosius dicit, quod sicut homo ex duobus componitur, corpore scilicet et anima, sic etiam Christus cibum corporis sui ex duobus composuit, visibili scilicet sacramento, et invisibili corpore suo pleno gratia, ut uterque homo, scilicet interior et exterior, in corpore Christi inveniat refectionem. Et hoc est quod dicitur, Joan. x, 9 : *Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Foris enim inveniet ad sensum in manducatione sacramentali : intus autem invenit in manducatione spirituali, ita ut nihil nobis desit in hoc sacramento. Et hoc est quod dicitur in Psalmo xxii, 1 et 2 : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.* In hoc enim cibo utramque perficit sumptionem : et nihil potest deesse. Unde sequitur, ℣. 3 : *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.* Quia in refrigerio sanguinis sui intus reficit, et animam spirituali manducatione ad se convertit : et ideo iterum dicit, ℣. 5 : *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* Tantam enim pasturam confert mensa illa, quod tribulantes, scilicet mundus, caro, dæmonia, nihil possunt adversus nos : statim enim ut hujus sacramenti in nobis sentiunt spiritum et odorem et virtutem, confusi abscedunt a nobis inimici, et omnis potestas inimicorum. Quia, sicut dicit Chrysostomus : « Ut leones ignem spirantes, ita a mensa secedimus. » Cui aliquid simile est in naturalibus. Narrat enim Avicenna in suo libro de *Animalibus* [6], quod cum avis parva confligere vult cum serpente, ne venenum noceat aviculæ, accipit per cibum lactucam agrestem. Et in succo lactucæ agrestis præcipitur sumi sacrificium agni paschalis, sicut patet, Exod. xii, 8 : quia cum in memoriam passionis Dominicæ sumimus corpus Christi, flagrans de ore nostro virtus sacramenti fugat et ab anima et a corpore omne venenum inimici : et est utriusque hominis ex sua generali virtute refectio propter deitatem quæ tam animæ quam corpori in Christo est unita.

Et hoc est quod dicitur, Isa. xxx, 23 : *Panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis.* Terra enim plena benedictionibus omnium gratiarum est terrenum corpus Christi, quod traxit de Virgine. Hic panis crevit et factus est de fruge Trinitatis in utero Virginis. Et est uberrimus : quia corporis et animæ est plena in eo refectio. Est autem pinguis omnis dulcedinis devotione : quia deitatis dulcedo et pinguedo saginat utrumque. Et ideo omnis fidelis plenam, dulcem, et pinguem in hoc cibo invenit refectionem. Et hoc est quod dicitur, Joan. vi, 64 : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Hæc enim dixit Dominus discipulis, quando carnalem istum cibum intellexerunt, et non esse cibum spiritualem, qui spiritum spirituali manducatione reficeret, et sensum reficeret manducatione sacramentali. Et ideo Dominus mittit eos ad virtutem universalem, quæ reficit et sensum ex plenitudine charismatum spiritus, quæ habet in seipso.

Sic igitur iste cibus reficit tribus quæ communia habet cum cibo materiali, et tribus quæ habet cum spirituali, secundum quod differt a cibo materiali. Reficit enim ex cœlesti virtute, et ex sub-

[6] Vide Lib. VIII de Animalibus, tract. II, cap. 2, et lib. I. Metaphysicæ, tract. 1, cap. 6 in fine. Cf. tomum XI hujusce novæ editionis nostræ.

stantiæ suæ puritate, et ex principiis quæ in ipso sunt vitæ, et hæc habet communia cum cibo naturali. Reficit iterum ex hoc quod est radix immortalitatis, et ex hoc quod est vincentis, et alia ad se convertentis virtutis, et ex hoc quod est cibus generalis animæ et corporis. Et hæc tria habet specialiter in quantum est cibus singularis ab aliis quidem cibis discretus, etc.

CAPUT VI.

De cibi hujus ad cibatum congruitate ex similitudine.

1. Nunc restat dicere secundum ordinem superius digestæ divisionis, quæ sit cibi hujus ad cibatum congruitas ex similitudine. Dicunt enim Philosophi, quod nihil nutrit nisi simile : et ideo cum cibus iste maxime nutriat, oportet quod maxime sit similis : quia si etiam dissimilis est a proprio principio cibus, tamen antequam nutriat corpus, per digestionem oportet quod efficiatur similis. Hæc autem digestio in cibo fit in eo quod convertitur ad alterum : et ideo quia cibus materialis convertitur ad corpus cibatum, oportet quod digestio fiat in cibo et potu. I Regum, I, 14 : *Digere paulisper vinum quo mades.* In cibo isto spirituali, quia non convertitur ad nos, sed nos convertimur ad ipsum, oportet quod digestio fiat in nobis ad illius cibi salutaris similitudinem : et tunc in quinque consistit congruitas cibi ad cibatum, ex similitudine scilicet in nostri ad cibum digestione, in imaginis similitudine, in naturæ conformitate, et conversationis pulchritudine, et in nostræ miseriæ secundum pœnas indetractabiles susceptione.

litudine nostri ad cibum ex digestione.

Congruitas consistit similitudine.

Per digestionem autem nostri ad cibum fit similitudo compunctione peccati et devotione ferventis desiderii. De compunctione quidem peccati dicitur, I ad Corinth. XI, 28 et 29 : *Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat et de calice bibat : qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Probet autem seipsum homo, quando probando judicat quod facit, et de factis et perpetratis peccatis compungitur, ut per pœnitentiam munditiæ cibi assimiletur : et sic dijudicat corpus Domini, quando ipsius cibi munditiæ assimilatur, sic per quamdam spiritualem digestionem calore compunctionis præparatus. Hoc significatur per lactucas agrestes amaras, in quibus carnes agni comedi præcipiuntur[1]. Hinc est quod etiam, Genes. XXVII, 14, hœdi a Rebecca cocti et præparati ad delectationem, patriarchæ oblati sunt, per quos filius benedictionem patris meruit accipere. Hœdi peccatores significant, qui igne compunctionis decocti et sapore satisfactionis conditi, oblati summo Patri, impetrant benedictionem in venia et gratia sacramenti ad plenitudinem omnis boni. Hoc est quod dicitur, Isa. XLV, 4 : *Assimilavi te, et non cognovisti me.* Primo

[1] Cf. Exod. XII, 8.

enim non cognoscimus Dominum cognitione approbationis et beneplaciti : sed tunc quasi digerendo nos sibi assimilat, ut cibo ejus digni simus, et ut nobis proficiat, quando compunctione et satisfactione ad se nos transmutat. Psal. CI, 27 : *Mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* De assimilatione autem devotionis intelligitur id quod dicit Psalmista, Psal. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me : et in meditatione mea exardescet ignis.* Quando enim cogitamus charitatem Christi in hoc quod pro nobis se in sacrificium obtulit, cogitamus mansuetudinem patientis, et advertimus devotionem se pro nobis offerentis, largitatem se pro nobis exhibentis, benignitatem nos ad mensam hanc rapientis, dulcescit cor nostrum ad cibum hunc, et in tota cordis devotione accenditur, et fervet in amore, et sic ad similitudinem istius cibi digeritur per ignem qui exardescit in meditatione. Et ideo dicit, Eccli. XXXI, 12 : *Supra mensam magnam sedisti, non aperias super illam faucem tuam prior.* Hoc est dicere : Mensa magna Dei in sacramento tibi præponitur, vide quod et qualiter et quantum tibi præponatur : quia talia in munditia cordis et devotionis, et hoc ipsum in natura puritatis, et tantum in affectu charitatis te præparare oportet, si vis quod cibus ille tibi congruat. Aliter similitudinem nullam habentibus ad cibum digestione et devotione dicitur : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum* [1]. Talis enim sumit in corpore Domini quod Judas accepit, hoc est, suspensionis laqueum, in quo per peccatum a diabolo strangulatur, et retribuitur ei pœna damnationis pro peccato temeritatis, et scandalum casus, quia impingit in lapidem offensionis, sicut dicitur, Isa. VIII, 14. Et hoc est quod dicit Apostolus, I ad Corinth. XI, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Quia sicut Judas tradidit eum membris diaboli, ita iste quantum in ipso est, tradidit corpus Dominicum in vas diaboli, quod est corpus suum. Joan. XIII, 27 : *Post buccellam, introivit in eum Satanas.*

Digerendi ergo sumus et præparandi ad similitudinem cibi compunctione et devotione, tamquam per duos ignes decocti. Exod. XII, 9 : *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni.* Merito indignatur Dominus filiis Heli [2], qui voluerunt offerre carnem crudam indigestam in sacrificio Domini : quia crudum et indigestum cor non habet potestatem hunc cibum comedendi. Sed faciendum est sicut ibidem, I Regum, II, 16, dicunt devoti : *Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua.* Adipem vero incendi est pinguedinem bonitatis et benignitatis cordis in igne compunctionis et devotionis inflammari. Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum.*

Hoc igitur est primum.

Est autem secunda assimilatio nostri ad Christum qui cibus noster est in sacramento, in imagine. Filius enim Dei est imago invisibilis Patris, et nos ad imaginem sumus facti Filii Dei, qui est Verbum Patris imitatione : nec potest esse imago quæ non imitatur, quia imago ab imitando derivatur. Unde Hilarius in libro de *Synodis*. « Imago est rei ad rem imitandam et coæquandam species indifferens. » Unde, Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, hoc est, qui in cognitionis veritate et affectionis dilectione imitetur formam Filii Dei, ad quam factus esse dignoscitur. Sic enim, ut dicit Augustinus, ad eamdem imaginem facti sumus, et reformamur, et sic refor-

2 In im nis si tud

[1] Psal. LXVIII, 23 ; ad Roman. XI, 9.

[2] Cf. I Regum, II, 12 et seq.

mati assimilamur Filio Dei, qui est cibus noster in sacramento. Ad Roman. VIII, 29 et 30 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : et quos justificavit, illos et glorificavit.* Ad Coloss. I, 15 et 16 : *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ : quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia*, etc.

Sic igitur imitando Filium Dei, ad similitudinem illius efficitur, et dignus efficitur ut corpore ejus cibetur. Eccli. XVII, 1 et 2 : *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum... Et secundum se vestivit illum virtute*, hoc est, in virtute assimilavit sibi eum : et ideo simul sibi potest incorporari. Est enim regula in natura, quoniam habentium symbolum facilior est transmutatio : et ideo symbolum, hoc est, similitudinem habentes ad Dominum nostrum Jesum Christum, facile transmutantur in ipsius corpus, et in ipsius membra. Sicut enim dicitur, Matth. XXII, 20 et 21 : *Cujus est imago hæc et superscriptio ? Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis*, scilicet JESUS : *Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Quæ enim sunt similia Deo, sunt reddenda Deo : quia per similitudinem sibi incorporantur : imago enim ab imitando dicitur et superscriptio designat similitudinem.

Sic ergo assimilamur in imagine.

1. Imaginem similitudine. Est etiam similitudo cibi istius ad cibatum et congruitas in naturæ conformitate. Sicut enim dicitur, ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et ibidem, ℣. 18 : *Unde debuit per omnia fratribus assimilari.* In omnibus enim naturalibus nobis est assimilatus. Ad Philip. II, 7 : *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Propter quod dicit magister Hugo de sancto Victore : « Clamat Dominus in dolore cordis quo tangitur intrinsecus : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* [1], ironice loquens : quia multum destitit ab honore in quo creatus fuit. Et hic dolor tantum in corde Dei profundatus fuit, ut quem ordine justitiæ non potuit reducere in similitudinem Dei unde exciderat, ordine misericordiæ ipse descenderet, et similis homini fieret. Et ideo vere dicamus : Ecce Adam secundus similis nobis, etiam quasi unus ex nobis factus est, sciens per experientiam bonum et malum, qui ante per experimentum non novit nisi bonum. » Propter hanc similitudinem dicitur, Baruch, III, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Quod autem dicit, *cum hominibus*, id est, ac si dicat : Ad similitudinem hominum factus in humanis. Concorporavit enim nos sibi nostra assumens, ut facilius in ipsum transeamus. Genes. XXXVII, 27 : *Frater enim et caro nostra est.* Sic igitur facillime incorporamur huic cibo similitudinem naturalem habentes ad ipsum. Propter hoc, ad Romanos, VIII, 29, dicitur : *Ipse primogenitus in multis fratribus.* Quia ipse principalis et naturalis Filius Dei conformat sibi filios gratiæ, qui per adoptionem fiunt filii Dei, et fratres sui, et incorporat eos sibi in sacramento, ut omnes eodem spiritu vivant et eadem hæreditate gaudeant. Ad Roman. VIII, 15 et seq : *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater)... Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Hoc igitur modo etiam conformes transmutamur in cibum sacramenti, qui est corpus Filii Dei.

4. In conversationis novitate. Sumus autem conformes congruitatem habentes ex conversationis pulchritu-

[1] Genes. III, 22.

sationis pulchritudine.

dine : quia conformantur sibi in virtutis pulchritudine : et ex hac congruitate maxime conveniemus cum cibo divino. Istud notatur per vestem nuptialem, sicut dicitur, Matth. XXII, 12, de eo qui ingressus est cœnam Domini non habens vestem nuptialem. Dicit enim : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* In veste enim nuptiali similes sunt sponso filii nuptiarum : eo quod omnes induti sunt vestibus gaudiorum. Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona*, etc. Hi sunt enim qui flore omnis honestatis in conversatione vestiuntur, et his vestibus similes Filio Dei regi summo offeruntur. Genes. XLI, 14 : *Ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt, ac veste mutata, obtulerunt ei*, scilicet regi. Joseph enim crescens in virtute de carcere educitur, quando de conclusione peccatorum liberatur. Tondetur autem, quando ab eo cura sæcularis abscinditur. Vestis sæcularis mutatur, quando sæcularis conversatio in similitudinem conversationis Filii Dei mutatur : et sic regi offertur : quia tunc hostiæ nostræ immolationis incorporatur : et sic Christo incorporatus, summo Patri offertur. Hoc voluit dicere, Joan. XII, 26 : *Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Quia vult Christus, in quantum Christus floret et vestitur virtutum conversatione, quod nos sibi assimilati et incorporati floreamus : quia sic congruunt capiti, et totum corpus una gloriæ stola gloriatur. Eccli. XV, 5 et 6 : *Stola gloriæ vestiet illum. Jucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum.* Sic dixit Apostolus, I ad Corinth. XI, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

Sic ergo etiam conversationis pulchritudine Christo conformamur.

5. Conformamur etiam in nostræ miseriæ secundum pœnas indetractabiles assumptione. Nullam enim assumpsit culpam, sed nec pœnam omnem assumpsit : quia sunt quædam pœnæ, quas si assumpsisset, honestati nostræ redemptionis detraheretur : quia illæ pœnæ non sunt honestæ.

Et harum pœnarum quædam sunt in anima, quædam autem in corpore. In anima autem sunt quæ non ex natura, sed ex culpa procedunt, sicut ex ignorantia agendorum et concupiscentia noxiorum, elatio mentis ad fastuosa, et pronitas malitiæ in perniciosa. Quamcumque enim harum pœnarum Christus assumpsisset, nostræ redemptioni factæ per Christum detraheretur. In corpore autem sunt, ut fœmineus sexus, sicut lepra, sicut jugis scabies, in collo vel in suris debilitas continua, et hujusmodi. Quia sexus fœmineus impediret a prædicatione, lepra autem ab hominum conversatione, jugis scabies abominalis esset intuentibus, debilitas autem impediret officium evangelizationis regni Dei : et ideo has et hujusmodi non assumpsit : quia illæ nostræ impedirent opus redemptionis.

Alias autem nostras omnes assumpsit pœnalitates, et pro hac assimilatione, ad maximas sibi tenemur gratiarum actiones : quia ex hac pœnarum assumptione, et nobis compati scit, et similis non tantum nobis, sed et peccatoribus factus est, et pro nobis passibilis est effectus, et minor Angelis est effectus, et omnia tædia humanæ vitæ sustinuit.

De primo horum dicitur, II ad Corinth. V, 21 : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, hoc est, similem peccatoribus, *ut nos efficeremus justitia Dei pro ipso.*

De secundo dicitur in Psalmo VIII, 6, et ad Hebr. II, 7 : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Quod exponens Apostolus, ad Hebr. II, 9, dicit : *Eum, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.*

De tertio dicitur, ad Hebr. II, 14 et seq.:

Ipse similiter participavit eisdem, scilicet carni et sanguini, *ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum : et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti... Unde debuit per omnia fratribus assimilari*, etc. Passibilitati igitur nostræ per omnia eo modo quo prædictum est, similis est nobis, et sic congrue et faciliter transimus in ipsum, ut simus corpus ipsius, et ex hoc ad nimias tenemur ei gratiarum actiones. Exod. IV, 31 : *Audierunt* scilicet Hebræi, *quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem eorum : et proni adoraverunt.* Hebræi *transeuntes* interpretantur, et significant eos qui quasi peregrini viatico corporis Christi utuntur in remedium peccati. Hi audierunt per Scripturas, et fide crediderunt, quod Dominus in humanæ naturæ assumptione visitasset filios Israel, et in pœnalitatis assumptione non despexisset afflictionem eorum quæ in pœnalitatibus consistit : et pro gratiarum actione adoraverunt proni in terram.

In omnibus ergo nobis factus similis, scilicet in nostri ad ipsum digestione, in imaginis similitudine, in naturæ conformitate, in conversationis honestate, in pœnalitatis assumptione, optime nobis et perfecte congruit hic cibus, et ideo mirabiliter conveniens nobis reputatur.

6. Quæstio, utrum Christus in sacramento passibilis?

Oritur autem nobis hic non dissimulanda quæstio : quia ex quo propter nos pœnalitates nostras assumpsit, constat quod passibilis fuit et passus, crucifixus, flagellatus, consputus, et multa alia tormentorum genera sustinuit. Constat autem, quod in cœna antequam glorificaretur per resurrectionem, corpus suum tale dedit discipulis quale habuit : non autem habuit nisi passibile : ergo passibile dedit.

Ponamus ergo, quod in forma panis servatum fuerit in pyxide usque ad horam passionis, quando flagellabatur, conspuebatur, et crucifigebatur. Cum igitur idem numero sit corpus Domini in cruce et in pyxide, videtur quod in pyxide flagellabatur, conspuebatur, et crucifigebatur. Quod ad sensum patet esse falsum : quia tortores sui ad pyxidem non accesserunt : et ideo violentiam nullam sibi in pyxide inflixerunt.

Ad hæc dixerunt antiqui, quod ubi Christus est in figura corporis humani, ibi infligi poterant ei passiones violentæ ab ipsis suis tortoribus et inimicis : et quia in pyxide fuit non in figura corporis humani, ideo non cadebant in ipsum passiones violentæ : sed quia in pyxide fuit in natura veri corporis humani, ideo in pyxide poterant cadere in ipsum passiones naturales, sicut febris si habuisset eam, vel apostema, vel aliud hujusmodi : et de hoc fecerunt versum :

Pyxide servatum poterit sufferre dolorem
Innatum : sed non illatus convenit illi.

Christo conveniunt quædam secundum deitatem, quædam secundum humanitatem, et quædam secundum formam sacramenti.

Vera autem solutio sine præjudicio melioris sententiæ est, quod Christus secundum tres modos qui in ipso sunt, triplicia habet accidentia et attributiones : secundum deitatem enim quæ in ipso est, ubique est, et multa conveniunt ei quæ non conveniunt formæ humanæ quam assumpsit in unitatem personæ, nec conveniunt formæ cibi quam assumpsit in compositionem sacramenti. Secundum autem formam humanam quam assumpsit in unitatem personæ, multa conveniunt ei quæ non conveniunt sibi secundum formam Dei, vel assumptionem formæ cibi, sicut conspui, colaphizari, flagellari, crucifigi, in loco circumscribi, et multa hujusmodi. Secundum autem formam sacramenti non conveniunt ei nisi quæ competunt sacramento, sicut sumi spiritualiter et sacramentaliter, sicut pyxide claudi, et hujusmodi talia. Nec sequitur aliquo modo, quod si aliqua sint eadem secundum naturam et substantiam, quod quidquid attribuitur uni, quod etiam attribuatur alteri : quia essentia divina et persona omnimo se-

cundum rem et substantiam sunt idem, non tamen sequitur, quod quidquid convenit uni, vel attribuitur, quod hoc attribuatur alii, vel conveniat. Et ideo dicimus, quod in pyxide servato ut cibo non conveniunt nisi ea quæ Christo attribuuntur secundum quod est sub assumpta forma cibi, et non alia : et ea quæ in forma et figura humana assumpta a Christo, Christo conveniunt, sicut ambulare, dormire, lanceari, flagellari, crucifigi, non conveniunt corpori Christi in quantum est in forma cibi. Et illa quæ conveniunt ipsi Christo secundum naturam divinam, non conveniunt ei nisi secundum naturam divinam et non secundum formam humanam, vel secundum formam cibi assumptam in sacramento : quia Christus est multarum facierum, sicut multiplicia sunt ea quæ pro nobis assumpsit. Et hæc solutio verior videtur : quia ad hoc assumpsit formam sacramenti, ut sacramentalia et non alia convenirent sibi.

Hoc autem dictum est sine præjudicio : quia non per omnia concordat cum dictis antiquorum : sunt tamen dicta antiquorum quæ sine ratione et auctoritate mihi dicta esse videntur : unicuique enim formæ hoc convenit quod illi formæ attribui potest et non aliud : et ideo plures formas assumpsit, ut multipliciter homini congrueret per assimilationem. Osee, XII, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.* Non enim multiplicat visiones, nisi per multas quas pro nobis assumpsit formas. Et his assimilatur in manu Prophetarum, ut simul propria quæ competunt, attribuamus, quædam de naturalibus, sicut dormire, ambulare, loqui, sudare sanguinem ex angustia, et hujusmodi : tamen ridiculum esse videtur, quod dicatur Christus dormire, vel ambulare, vel loqui, vel sudare sanguinem ex angustia in pyxide, vel aliquid talium facere.

Unde cum, sicut diximus, Christus idem sit in tribus formis, secundum relationem ad diversa attribuenda sunt sibi, quæ competunt formis illis, sicut secundum deitatem esse ubique, creasse stellas, facere omnia quæ vult et hujusmodi : quorum nihil attribuitur humanitati, vel formæ sacramentali. Secundum humanitatem vero convenit ei esse longum mensura corporali, et latum, et loco particulari circumscribi, et in minori esse non posse, loqui, ambulare, sudare sanguinem : quorum nihil attribuitur deitati vel formæ sacramenti. Secundum formam autem sacramenti ei convenit cibum esse verum ad animæ et corporis refectionem, esse intra fines formæ panis, et nihil sui extra illos esse, et in qualibet parte formæ illius totum esse, et hujusmodi : quorum nihil convenit ei secundum staturam corporis humani existentem, quia nemo comederet hominem in statura corporis humani : et iterum nihil horum convenit ei secundum deitatem.

CAPUT VII.

De cibi hujus ad cibatum penetrabilitate ex subtilitate.

1. Nunc dicemus de cibi ad cibatum penetrabilitate quam habet ex subtilitate. Cibus enim naturalis non nutrit membra, nisi membris infundatur : non infunditur autem porositati et spongiositati membrorum, nisi subtilis sit ad penetrandum :

quia, sicut dicit Philosophus, subtile est penetrativum, et partium partibus penetrativum : et ideo in ore hominis natura posuit dentes, qui cibum dividerent : posuit et molares, qui ad minimum conterent : posuit in stomacho calorem igneum, qui subtile penetrativum a grosso non penetrativo separaret : posuit venas mesaraicas, quæ subtile quod penetrare potest, sugerent : posuit venas, quæ ut viæ ab hepate derivatæ, in totum corpus nutritivum succum et subtiliatum ad membra portarent : posuit colatoria panniculorum, quæ ulterius fœtulentum ex subtilissimo colando auferrent : posuit subtiles poros et spongiositatem corporis, quæ id subtile subtiliter sugerent, et membris infunderent, ut in subtilissimum corporis nutrimentum perficeretur.

Hoc igitur modo perficitur etiam nutrimentum animæ in sacramento, ut scilicet spiritualiter masticetur, tam dividendo, quam conterendo, ut calore igneo subtilietur, ut subtilibus venis subtiliter spiritualibus sugatur, et subtilibus viis membris spiritualibus deferatur, ut colatoriis spiritualibus coletur, et subtiliter id quod est tam subtile membris proportionaliter infundatur : quæ sunt sex modi in universo.

Omnibus tamen his prænotandum, de primo, scilicet masticatione, dicturus, præmittit de fractione quod est de fidei veritate in hoc sacramento, quod fractio quæ fit in sacramento sive per manus sacerdotis in altari, sive etiam per dentes fidelium in ore, quando sacramentaliter sumitur sacramentum, non est in corpore Christi : quia illud non frangitur, sed manet integrum et sanum et illibatum in qualibet parte formæ sacramenti fractæ, sicut dicitur, Exod. XII, 46 : *Os non comminuetis ex eo.* Quia etiam milites licet essent malitiosi, corpus Domini frangere non potuerunt. Joan. XIX, 33 et 34 : *Ad Jesum cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura : sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Sed ipsa fractio est in forma et figura panis, quæ duabus de causis frangitur. Quarum una est significationis, et altera necessitatis. Illa quæ est significationis, est : quia manibus sacerdotum forma sacramentalis frangitur, diversitas corporis Christi mystici signatur.

Quare forma sacramentalis dividitur in tres partes?

Unde usus Ecclesiæ habet, quod in tria frangatur : quia pars corporis Christi mystici in cœlo triumphat, et pro illa parte sacramentum offertur ad laudem et ad gratiarum actionem : quia illi jam beati sunt. Alia autem pars corporis mystici in labore adhuc vivit, in fide conversans et merito in terris, et pro illa sacramentum offertur in pignus redemptionis. Tertia pars in purgatorio afflicta purgatur, et pro illa parte sacramentum offertur in supplicationem pro afflictis. Isti sunt tres panes [1], quos nobis accommodat amicus noster Christus, ut ponamus ante illum unum qui de via venit ad amicum, proximum scilicet nostrum, quando venit vel ad laudandum, vel ut pro redemptione sua offerat sacrificium, vel venit de via ad supplicandum pro captivis et afflictis : de via enim venit, quando de negotio occupationis terrenorum ad cultum se convertit.

Necessitatis autem causa frangitur in ore fidelium : quia integrum propter gutturis arctitudinem a multis cum periculo gluttiretur. Exod. XII, 9 et 10 : *Caput cum pedibus et intestinis vorabitis... Si quid residuum fuerit, igne comburetis.*

2.

In quascumque partes forma sacramentalis dividatur, totus et integer Christus manet.

In omnibus tamen his notandum est, quod in quascumque partes forma frangatur, totus et integer Christus vivus et sanus in corpore, spiritu et anima, deitas plena remanet sub qualibet parte : et antequam frangatur, non est nisi unicus et indivisus sub tota forma integra.

Et hujus quidem exemplum antiqui

[1] Cf. Luc. XI, 5.

posuerunt duplex : sed unum illorum exemplorum non est usquequaque verum. Et unum illorum est de forma, quæ apparet ad speculi reflexionem, quæ una est in reflexione speculi unius ad unum : et cum speculum frangitur in partes, eadem una integra forma appareret in omnibus partibus, propter plures reflexiones quæ fiunt ex pluribus partibus fracti speculi ad unum et idem. Sic enim Christus unicus est in toto totus : quia non nisi unum signum significans et continens est in toto : et quando frangitur forma panis, in qualibet fractura est totus Christus : ideo quia plura tunc sunt signa significantia et continentia. Hujus autem causa est vera : quia res sacramenti est semper causata et contenta in signo sacramenti in nova gratia et nova lege : et ideo cum signum non habeat usum significandi ex hoc quod est totum vel pars, sed potius ex hoc quod est forma cibi cor confortantis : et cum hanc formam æqualiter habeat in toto et in parte, ideo oportet quod æqualiter corpus Christi quod est res sacramenti contenta et significata, sit in toto et in parte : tantum enim significationis ad refectionem habet pars formæ panis et pars partis formæ panis, quantum habet totus panis quantumcumque magnus. Ex quo pars quælibet igitur minima significare habet, oportet quod quælibet minima pars totum contineat : quia sacramentum novæ legis quantum est de se totum continet quod significat : quia aliter significatio esset mendax. Quod absit credere de sacramento veritatis.

Ex isto jam patet, quod in corpore sumentis hunc cibum non sacramentaliter manet corpus Christi, nisi quamdiu formæ sacramentales in stomacho vel in vomitu possunt videri vel discerni : quamdiu enim formæ illæ discernuntur, tamdiu est contentum ibi corpus Christi et signatum : quando autem liquefactæ sunt formæ illæ, ulterius non significatur esse per aliquod. Et ideo ibi etiam non continetur per aliud : quia continentia non se extendit ultra significationem. In hac forma panis et vini Christus est opertus quasi pallio quodam quo totus involvitur. Isa. LIX, 17 : *Opertus est quasi pallio zeli.* Quia scilicet zelans nostrum profectum, sic operatur ad nostram refectionem et salutem.

Alia similitudo ab antiquis posita est de anguilla, vel serpente, vel alio animali, quod habet corpus æqualis compositionis et annulosum. In hoc enim tota est una et integra et sola anima sensibilis per sensum et motum : et si dividatur in paucas vel multas partes, dicunt, quod eadem una et indivisa anima sensibilis et tota per sensum et motum remanet in qualibet parte. Sed hoc exemplum pro secunda parte non est verum : quia jam probatum est in præhabitis, quod diviso corpore talium animalium, dividitur anima per accidens, et non est una eadem in qualibet parte divisa : sed tamen hoc est verum, quod est integra anima in qualibet parte. Et quod non quælibet pars convalescit in anima, non est propter hoc quod non tota anima sit in qualibet parte, sed potius ideo quia membra sine quibus convalescere non potest, non habet in qualibet parte, sicut membra accipiendi et digerendi cibum, quæ sunt os, stomachus, hepar, cor, anus in posterioribus : quia sine his non potest cibum capere, vel digerere, vel emittere : et in his consistit vita convalescens in omni sensibili.

Non autem possunt in natura vel arte exempla sufficientia inveniri, quæ tantæ per omnia respondeant excellentiæ. Isa. XL, 18 : *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?*

Hæc autem sunt quæ de fractura hic sunt dicenda et attendenda.

Hanc autem et hujusmodi fracturam in sacramento fore faciedam significavit Christus, Matth. XXVI, 26, ubi dicitur : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum.* In hoc enim

quod dicit, *fregit*, discipulis etiam frangendum dereliquit. In hoc autem quod dicit, *comedite*, significavit etiam dentibus esse confringendum. Marc. XIV, 22 : *Et manducantibus illis, accepit panem, et benedicens fregit.* Et ex hoc accipitur idem quod prius. Luc. XXII, 17, plus dicit sic : *Accipite, et dividite inter vos.* Voluit enim corpus suum per fracturam formarum dividi inter partes Ecclesiæ, ut unicuique parti Ecclesiæ prodesset secundum utilitatem congruam cuilibet parti. Similiter autem in quacumque refectione signatur istud sacramentum, semper panis frangitur. Matth. XXVI, 26 : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit* [1]. Et in tantum hoc semper ostendit, ut et ipse Dominus in hoc modo fractionis cognosceretur. Luc. XXIV, 35 : *Cognoverunt eum in fractione panis.* Hoc etiam Apostoli servandum ab eo sanxerunt per totam Ecclesiam. Act. II, 42 : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communione fractionis panis, et orationibus.*

Talis igitur fractio est in hoc sacramento, et propter ea quæ dicta sunt.

3. Quomodo hoc mentum animæ manducatur?

Divisio autem harum formarum et fractio et masticatio quæ fit per dentes, ut undique sugi possit quod comeditur. Sicut ipsa masticatio est frequens reditus dentium super idem dividendum et atterendum, ita signat meditationem istius cibi spiritualis : quia meditatio nihil aliud est quam frequens reditus mentis super idem cogitatione et devotione et affectu mentis dividendum et atterendum in omnes differentias bonitatis, charitatis et virtutis, ut undique sugatur ex ipso dulcedo in qua præparavit hoc sacramentum homini Deus, tamquam dentibus divisoribus et molaribus conteratur, qui sunt dentes rationis per cogitationem veritatis, et affectus per devotionem virtutis et bonitatis, et conscientiæ optimæ per albedinem sinceritatis, et intentionis bonæ per directionem optimi finis. Isti sunt dentes de quibus dicitur, Cantic. IV, 2 et 3 : *Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro : omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.* Dentes enim divisores sunt rationis, quibus hoc sacramentum in omnes differentias pietatis et bonitatis dividunt, ut singula meditentur. Dentes autem masticatores sive molares, sunt dentes affectus, quibus in devotione singula bonitatis Dei judicia comprimuntur et conteruntur, ut succus dulcedinis qui in ipsis est, degustetur. Isti sunt in numero intellectus et affectus, qui ovibus in omni mansuetudine et pietate significantur : quia sicut quidam greges in cordibus nostris ad pastum Dominici corporis egrediuntur. Hæ ascenderunt de lavacro mundissimæ confessionis et satisfactionis. Et sunt omnes gemellis fœtibus : quia quælibet fert fœtum veritatis in contemplatione, et fœtum virtutis in operatione. Et non potest esse sterilis quæ fructum æternorum gaudiorum non ferat inter eas.

Isti sunt dentes de quibus conqueritur in persona Ecclesiæ Jeremias, Thren. III, 16 : *Fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere.* Ad omnem enim numerum intellectus et affectus diabolus dentes confringit : quia ad cognitionem veritatis et conscientiam serenitatis et affectum virtutis a corde in hoc sacramento tollit : et tunc desipiente cibo spirituali, hominem cinere, id est, amore incenso cupiditatis hujus mundi cibat, et sic omnino destruit. Econtra laudans sponsam in Canticis, VI, 5, dicit : *Dentes tui sicut grex ovium quæ ascenderunt de lavacro.* Quia dente veritatis conterit ea quæ pertinent ad cognitionem veritatis, et dente virtutis conterit ea quæ pertinent ad opus virtutis : et omnia hæc loca sunt lavacra mundissimæ confessionis et conscientiæ. Unde etiam de hujus sacramenti dulcedine loquens, Cantic.

[1] Cf. Marc. XIV, 22 ; Luc. XXII, 19 ; Joan. VI, 11.

VII, 9, dicit : *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Ruminatio enim dicitur sicut et masticatio, quando hujus sacramenti dulcedo sæpe ad os cordis et guttur rationis et dentium, de quibus dictum est, sæpius revocatur.

Sic igitur masticatio perficitur spiritualis.

4. Quomodo masticatum subtiliatur?

Diximus autem, quod secunda subtiliatio per calorem fit digestivum et igneum, qui pura separat ab impuris, non quidem in corpore Domini in quo nihil est impurum, sicut præostendimus, sed potius in nobis qui nos depurare debemus ad ipsum percipiendum. Hoc est quod sub alia metaphora loquens Dominus de sacerdotibus istud sacramentum conficientibus dicit, Malach. III, 3 et 4 : *Sedébit conflans, et emundans argentum : et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui.* Quod enim dicit, quod *sedebit*, moram et perseverantiam signat in opere. Quod autem dicit, *conflans*, incendium signat charitatis tamquam caloris ignei omnia purgantis. Quod autem dicit, *emundans*, digestionem ad purum signat. Quod dicit, *argentum*, timorem signat puritatis conscientiæ. Hujus autem digestionis effectus est, quod tales in cordibus suis Domino erunt offerentes sacrificia in omni et perfecta justitia. Tali autem digestione et purificatione et subtiliatione perfectis dicitur, Malach. III, 4, quod *placebit Domino sacrificium Juda*, hoc est, confitentis, *et* sacrificium *Jerusalem*, hoc est, ad visionem æternæ pacis pertinentis. *Sicut dies sæculi*, in quibus illuminatio fulsit Dei, qui hoc sacrificium in oblatione Melchisedech instituit [1]. *Et sicut anni antiqui*, in operibus omnium sacrificiorum veteris legis, quæ in fide hujus sacrificii sunt celebrata.

Sic autem per digestionem debemus subtiliari ad hujus cibi congruitatem.

5. Quomodo subtiliatum fruitur?

Deinde autem in sacramento est dulcedinis depuratæ suctio. Et hoc fit quando in dulcedine cordis nimia dulcedo Christi in spiritu degustatur. Hic enim modus degustandi dulcedinem naturarum et gratiarum Christi potius suctione quam comestione perficitur. Et sic in opere naturæ per quam nutrimentum subtiliatum est, sugitur : ita in cordis devotione et desiderio postquam homo se emendavit et depuravit, tunc statim dulcedinem quæ est in corpore Christi et spiritu et anima ipsius et in omni gratia et gloria, illuminationibus et delectationibus ejus sugit et imbibit. Et hoc est quod dicitur, Deuter. XXXII, 13 : *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Sicut enim in ante habitis dictum est, excelsa terra est natura humana Jesu Christi, super cujus agri fructus ponitur homo in confectione et communione sacramenti, ut comestione sacramentali comedat eos : et postquam se plene depuravit et in spiritu subtiliavit virtute et contemplatione, spiritus sugat mel de stabilimento Christi sicut de petra : petra autem erat Christus, sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. X, 4 : *Bibebant de spiritali, consequente eos, petra : petra autem erat Christus.* Et hoc modo oleum quod significat pinguedinem devotionis, suxerunt de saxo solidissimæ veritatis, quæ est in sacramento. Propter quod etiam *sacramentum veritatis* vocatur. Psal. LXXX, 17 : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.* Hoc est quod dicitur, Deuter. XXXIII, 19 : *Qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros*

[1] Genes. XIX, 14.

absconditos arenarum. Dulcedo enim a sacramento redundat abundanter in fauces bene dispositas, sicut inundatio, quæ *maris* dicitur, quia in memoriam immensitatis passionum et doloris Christi accipitur. Et hæ consolationes sunt thesauri super aurum copiosum : et sunt absconditi, quia nemo novit eos nisi qui accipit. Psal. XVIII, 11 : *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : et dulciora super mel et favum.* Unde, Isa. LXVI, 10 et 11, dicitur : *Gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam : ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* Luctus enim super tristitiam Jerusalem est in passione, gaudium est in communionis delectatione ; et illa est ut sugant fideles ubera quibus sacramentum hoc ubertim fundit lac candoris veritatis et dulcedinem virtutis, ut sint ubera ista pressa manu devotionis, et mulgeamus et deliciis in consolatione sancti Spiritus affluamus ab omnimoda ipsius gloria quam in deliciis sacramenti manifestat. Et hoc lacti comparatur : quia ad litteram etiam secundum naturam succus de nutrimento depuratus et subtiliatus, lactis habet quamdam albedinem et pinguedinem butyrosam et dulcedinem valde convenientem : et ideo sugitur a venis.

Sic igitur nutrimentum attrahitur sugendo.

6. omodo ubris rituali- defer- tur ?

Quarto, perficitur nutrimentum per vias quæ sunt vasa et canales in totum corpus nutrimentum deportantes, ut undique corpus infundatur et irrigetur et nutriatur. Hæ autem viæ sunt cogitationes et affectiones in anima quæ sunt animæ tamquam vires et corporis membra, ad subserviendum animæ spirituale nutrimentum deportantes. Sic enim fons delectationis est corpus Christi, et rivi derivati a fonte sunt quæ singulis viribus et virtutibus et potentiis et membris diriguntur, et ad quæcumque non venit hoc nutrimentum pietatis, hæc arescunt et marcescunt et destituuntur et abjiciuntur. Iste est fons de quo dicitur, Genes. II, 6 : *Fons ascendebat e terra,* hoc est, de terreno corpore Domini in sacramento, *irrigans universam superficiem terræ,* seu paradisi. Paradisus enim locus deliciarum est in nutrimentis Ecclesiæ, in quem locum iste fons delectationis influit, et omnia irrigat interiora animæ et corporis ad quæ derivatur. Ezechiel. XLVII, 9 : *Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet.* Quia, sicut dicitur in Psalmo XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et infusionis delectationis suavitate infunduntur et irrigantur. Merito monet Ecclesiastes, XII, 1 et seq., ut simus memores creatoris nostri, ne forte per ingratitudinem a magnis deliciis quas diximus, excidamus, dicens, ℣. 6 : *Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam.* Hæc omnia ingratis contingunt. Funis autem argenteus est via dirigens ad nos ex hoc sacramento candorem veritatis. Et si ille rumpitur, vanitatem et mendacium sequi incipiemus. Vitta autem aurea est via et vena et ligamentum quibus in nos derivatur delectatio divinitatis ex hoc sacramento : si enim illa ad terrena recurrit, tunc tetra et opaca sequemur. Fons autem est fundens delectationes Dominus Jesus in sacramento. Hydria autem hauritorium nostræ devotionis, quæ super fontem conteritur, quando spiritualia in tædium veniunt, et terrena etiam amara desiderantur, sicut dicitur, Numer. XI, 6 : *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man.* Et, ibidem, XXI, 5 : *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Et iterum, ibidem, XI, 4 : *Quis dabit nobis ad vescendum carnes ?* Et hujusmodi. Rota autem est reditus noster frequens ad spiritualis dulcedinis degustationem, quæ

in hoc sacramento sicut in cisterna ex pluvia dulcedinis Dei manantis reservatur nobis. Si enim rota illa confringitur, tunc imus et redimus in putredinem carnis, et sic perimus ad creatoris memoriam non revertentes.

7. Qua ratione ultimo depuratur?

Quinto autem loco natura posuit colatoria panniculorum, quæ ultima depuratione fœtulentum quasi colando a cibo separent, ut ultime depuratum esset, antequam membris infunderetur : et hoc colatorium in sacramento signat subtilissimæ conscientiæ examinationem, ne aliquid impurum in nobis remaneat, cum venimus ad hujus cibi nutrimentum, sicut dicitur, Jerem. xv, 19 : *Si converteris, convertam te, et ante faciem meam stabis : et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Hæc enim est colatio optima conscientiæ qua omne pretiosum a vili peccati et vanitatis separatur, ut purum et sincerum hoc nutrimentum his membris spiritualibus infundatur. Eccli. xxxvii, 11 : *Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem, et da locum medico.* Quod autem dicit, *da suavitatem*, vult quod animo suavi et tranquillo veniamus ad sacramentum. Quod autem dicit, *memoriam similaginis*, vult quod sicut similago cribellatur et colatur usque ad purum, quod ita nos per conscientiam cribellemus et colemus, ut purissimo nutrimento congruamus. Quod autem dicit, *impingua oblationem*, vult quod nos in pinguedine devotionis beneficiorum Dei præparemus. Et hoc facto locum demus medico Jesu Christo, qui tunc sua nutrimentali dulcedine omnes nostras curat infirmitates, et deperdita restituit in vita spirituali. Hinc est, quod, Levit. ii, 4, purissima simila præcipitur esse in sacrificio Domini. Hoc est quod dicitur, Ezechiel. xvi, 13 : *Similam, et mel, et oleum comedisti : et decora facta es vehementer nimis.* Simila enim ultima depuratione colata est et cribellata, et signat ultimam munditiæ gratiam. Mel autem dulcedo est roris, et significat deitatis dulcedinem. Oleum fomentum luminis significat pinguedinem charitatis et devotionis Christi : quam sic colatam comedentes, id est, ultra quam sciri possunt, fiunt decori.

Sic ergo colatum est nutrimentum.

8. Quomodo membris infunditur?

Sexto loco tale purum, tam dulce, tam mundum membris infunditur : et ex illo omnis substantia eorum et virtus restauratur. Sic nobis, sicut diximus, depuratus nectareus liquor Dominici nutrimenti infunditur : et isto rore membra animarum nostrarum ad nutrimenti spiritualis virtutem, et dulcedinis gustum, et delectationis experimentum, et recreationis beneficium admiranda suavite inebriantur. Unde Psalmista hujus voluptatis pastum describens dicit in Psalmo xli, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Quia cor est in jubilo, et omnia interiora in delectatione, et os in sono laudis in tali epulatione. Hoc est quod de hujus sacramenti epulis dicit Apostolus, I ad Corinth. v, 7 et 8 : *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Sic summa sapientia, Proverb. ix, 2, *immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam.* Et post pauca, ℣. 5 : *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Sic enim panis dulciter confortat ad gratiam, et vinum inebriat ad spiritus jucunditatem, et mixtio vini in omnibus divinis conservat rationem sobrietatis, ut fiat quod dicit Apostolus, ad Roman. xii, 3 : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Deuter. xiv, 26 : *Comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu et domus tua.* Tota enim familia nostri cordis in hujus sacramenti sagina reficitur, sicut dicitur, Luc. xv, 32, de sacramento reparationis : *Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit :*

perierat, et inventus est. Quia in isto sacramento et principiis vitæ revivimus, et pignore salutis a perditione liberamur, et epulis jucunditatis æternæ reficimur, ad confortationis delectationem, et omne quod desideramus, invenimus in eo sicut in vase omnium bonorum.

CAPUT VIII.

De cibi hujus ad cibatum unibilitate quam habet ex connaturalitate.

Sequitur ut dicamus hic de hujus cibi ad cibatum unibilitate, quam habet ex connaturalitate ad eos quos cibat. In naturali enim cibo nihil unitur ei qui cibatur, nisi quod connaturale est illi: et si non sit connaturale et infundatur membris, pro certo putrescet in membris, et generabit apostemata et tumores vel alias corruptiones. Si autem connaturale est membris, unitur eis, et confortantur et proficiunt omnia membra per ipsum in virtutibus et operationibus suis, sicut ante diximus. Quia in digestione et assimilatione cibi et subtilitate omnia hæc fieri habent in nobis: eo quod cibus ille purissimus et subtilissimus et suavissimus sit quantum ad se, sed nos non semper cibo secundum quod oportet, utimur.

Ita dicimus hic, quod in cibo nos oportet virtute istius cibi uniri cibo potius quam cibus uniatur nobis: quia si uniretur nobis defectibilibus, et cibus periret, et nos non proficeremus. Cum autem nos cibo unimur qui incorruptibilis est, tunc proficimus in omni virtute. Talem autem habemus ad cibum unionem, ut Christo Domino et cibo nostro connaturales efficiamur, ita quod nihil in nobis sit a natura Christi et divina generatione alienum. Iste enim panis filiorum est, qui non mittitur canibus ad manducandum [1].

2. Quinque faciunt nos unibiles Christo.

Et ideo notandum est hic, quod quinque sunt quæ faciunt nos Christo connaturales et unibiles. Quorum unum et primum est generatio divina. Secundum autem est munda vita. Tertium autem, dilectio ad Deum et sincera et pulchra. Quartum autem, illustratio contemplativa. Et quintum est unio devota. Primum horum facit nos Christo connaturales. Secundum autem facit nos in virtute similes. Tertium facit nos concordes. Quartum facit nos in cognitione conformes. Quintum autem et ultimum facit nos ab ipso indistantes. Hæc enim quinque cibus habet ad cibatum, quando unitur ei: quia tunc primo ad naturam nutriti cibus generatur. Secundo, in virtute membro et operatione assimilatur. Tertio, calore ejus vivifico in membro cibato afficitur et vivificatur. Quarto, luce vivifica membris et calore venustatur. Et quinto, ad plenum unitum animali potentia membri vivificatur et animæ unitur.

Generatio divina.

De primo horum dicitur, I Joannis,

[1] In Prosa solemnitatis Corporis Christi:
Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum:
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.

v, 18 : *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat : sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.* Est autem spiritualis quædam et optima generatio divina, qua homo in corpus et membrum Christi generatur. Si enim cibus olerum bonum suum cognoscere posset, quando ad corpus et ad membrum hominis per generationem quamdam mutatur, multas gratias ageret, et omnem modum quo mutatur et conteritur, cum gaudio sustineret, ubi sciret quod a suo esse ignobili et vili in tam nobilem vitam et tam nobile corpus mutaretur. Quantas ergo gratiarum actiones debemus Christo, qui suo corpore vivifico nos in se transmutat, ut corpus ejus efficiamur sanctum et mundum et divinum. Joan. I, 12 : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quia qui eum receperunt in sacramento spirituali manducatione, concorporales filii sui efficiuntur, et sic filii Dei sunt et dicuntur. Joan. I, 13 : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntati viri, sed ex Deo nati sunt.* Non enim caro et sanguis et concupiscentia carnis et sanguinis aliquid possunt in illa generatione, sicut dicitur ibi, I ad Corinth. xv, 50 : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit.* Et ideo neque ex voluntate fœmineæ carnis, neque ex improba et libidinosi viri voluntate, nihil penitus est in illa sancta generatione qua homo ex Deo nascitur, quando participando sacramento in corpus Dominicum et membrum generatur.

In hac enim generatione corpus Dominicum quasi semen est, quod sua virtute hominem ad se trahit et in se transformat. I Joannis, III, 9 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Sic igitur mutamur in sanguinem et carnem ipsius spiritualiter, et efficimur sibi connaturaliter uniti et genus suum, de natura sua nos sic ad se mutante. Act. XVII, 28 : *Ipsius et genus sumus.*

Hoc est igitur primum in quo sic unimur Christo per sacramentum.

Est autem secunda unio in vita in similitudine virtutis et operationis. Quia VII.
etiam in naturali cibo perfecte membris unitum non est quod non habet membri vel membrorum virtutem et operationem, sicut dicitur, Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum : et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.* Ac si dicat : Si dissimilitudo in vita non esset, sed essetis virtute vita et operatione similes, tunc Deo nostro uniti essetis, ita quod inter Deum et vos nihil distaret nec distare faceret. Et hoc est quod dicitur, Act. XVII, 27 et 28 : *Non longe est ad unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Per virtutem enim suam nobis influxam efficitur non longe : quia ipse suam non deserit virtutem, et in sua virtute nobis communicata et influxa ipse influit nobis seipsum et communicat. Et sic in ipso vivimus sua virtute, et in ipso movemur sui nutrimenti perfectione, et in ipso sumus stantes consummati in sua perfectione. Sic enim, sicut dicitur ad Ephesios, IV, 13 : *Occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sic enim verum est quod dicitur, I Joannis, II, 29 : *Scitote quoniam omnis qui facit justitiam, ex Deo natus est,* translatus jam in virtute et operatione in benedictum corpus et membrum Christi. Sic enim dicitur, Isa. XXVI, 12 : *Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Quia sibi conjuncti in virtute sua operamur, et ipse operatur in nobis. Sic ipse dicit, Joan. XIV, 12 : *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Ipse enim nos sibi uniens, in nobis magna facit, et nos sibi unitos ad Patris majestatem exaltans, fa-

cit majora, et quotidie innovat maxima. Quæ omnia in nobis facit, quotidie virtutem et opera confortando. Magna enim facit in operibus gratiæ : majora facit in operibus donorum sancti Spiritus : maxima autem facit in operibus supererogationum et beatitudinum. Sic unitus Christo loquitur Apostolus, II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?* In nobis enim loquitur, quando vita, virtute et operatione juncti sumus ei, et quasi connaturales effecti. Potentia autem est in nobis, et non infirmatur, quando virtuti suæ nihil contrarium invenit in nobis, sicut dicit Psalmista, Psal. XVII, 2 et 3 : *Diligam te, Domine, fortitudo* vel virtus *mea. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.*

Tertium autem nos uniens Christo, et quasi concorporales et connaturales sibi efficiens, est dilectio ad ipsum pulchra et sincera. Quia etiam cibus corporalis postquam ad substantiam membri quod nutrit, mutatus et generatus est, et postquam virtutem et operationem et vitam illius membri assumpsit, statim ordine naturæ calore vivifico illius membri et spiritu penetratur et afficitur, et sic perfectius quam primo unitus fuit, unitur. Et hoc est quod dicit Augustinus, quod fides in compositione corporis Christi mystici membra jungit, spes autem nectit, et charitas unit. Quia fidei generatio membro attribuitur, de quo diximus primo. Spei autem nexus in virtute et operatione attribuitur, spei de qua diximus secundo. Charitati autem attribuitur unio de qua hic dicere habemus : et hoc est quod dicit Apostolus, ad Ephes. IV, 15 et 16 : *Crescamus in illo per omnia qui est caput Christus : ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis*, etc. Sed per operationem uniuscujusque membri augmentum corpus facit in ædificationem sui in charitate. Hinc est quod dicit, Joan. XV, 9 et 10 : *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione*, Qui autem in dilectione Christi manet, manet in ejus calore vivifico, per quem unitur sibi et afficitur, ut spiritui vitali ejus conjungatur et uniatur. Hoc enim modo corpus totum in membris omnibus efficitur unum. Ad Ephes. IV, 4 : *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Unum enim corpus est juncturis et unionibus membrorum ad unum cor, quod calorem vitæ immittit omnibus, et unus spiritus est, qui vitam et dilectionem ad invicem omnibus inspirat et pulsat in omnibus membris : et in hac spe vocationis vocamur ad Christum, ut sic connaturaliter et concorporaliter sibi sicuti capiti nostro et cordi simus uniti, quod nobis influit et sensum cognitionis et motum virtutis et tegimen suæ providentissimæ gubernationis, sicut dicitur, Cantic. V, 6 : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Dilectus enim verba dilectionis loquitur ad affectum cordis : et ideo anima ista beata dilecto unita, statim calore dilectionis resoluta, et tota in devotione liquefacta, penetravit ad ipsum, et sibi unita concorporalis effecta est. Hæc enim est unitas spiritus Christi charitatis totum corpus uniens, de quo dicitur, ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* In hoc calore charitatis quasi sub quodam pallio concorporales et junctos nos sibi facit Dominus. Ruth, III, 9 : *Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.* Sic enim dicit Apostolus, quod omnes concorporales efficimur, ad Ephes. III, 5 et 6 : *Nunc revelatum est sanctis apostolis et prophetis in Spiritu, gentes esse cohæredes, et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu.*

Sic igitur unio fit per dilectionem sinceram et pulchram. Sincera autem voca-

tur charitas, quæ nihil corruptibile admittit. Pulchra autem, quia nil fœdum cogitat adversus dilectum. Quædam enim charitas adeo debilis est corruptibilia concupiscendo, quod statim corrumpitur : et tunc vita et calor vivificus in tali membro intercipitur. Unde, I ad Timoth. I, 5, dicit Apostolus : *Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta,* hoc est, fidelitate ad amatum non fictili vel fragili, sed fortissima : quia sic dilectus clamat ad nos, Cantic. VIII, 6 : *Pone me cut signaculuu super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio.* Signaculum enim super cor ponitur, quando figura amati sicut figura sigilli in cera, ita in corde molli imprimitur et profundatur. Super brachium ponitur signaculum, quando tota virtus nostra et vires et fortitudo et robur ad ipsum refertur. De pulchra autem dilectione est, quod nihil fœdum admittit, quod ex scatebra fuliginosæ concupiscentiæ procedat. Eccli. XXIV, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis,* quæ scilicet nihil fœdum diligere potest.

Sic igitur connaturaliter et concorporaliter uniti, spiritum et calorem vivificum accipimus a capite totius corpotis mystici per nutrimentum spirituale.

5. Illustratio contemplativa.

Quarto loco, sicut oculata fide quisque sapiens videre potest, postea quam cibus adgeneratus membro, et virtutibus ejus unitus, et calore membri vivifico est affectus, et spiritu membri penetratus, statim paulatim incipit assumere calorem illi membro proprium, et venustatem : quod, sicut diximus, fit per illustrationem contemplationis æternæ veritatis in faciem Domini nostri Jesu Christi, sicut expresse dicit Apostolus, II ad Corinth. IV, 6 : *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Omnino enim innaturale esset, quod tenebrosum et obscurum membrum esset tam lucidi et pulcherrimi corporis. Et ideo oportet ut assumat Christi naturalem lucem et pulchritudinem, sicut, Exod. XXXIV, 29 et seq., splendida facta est facies Moysi ex consortio sermonis Domini, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem ejus, propter gloriam vultus ejus. Ita et multo magis assumit membrum incorporatum Christo gloriam et lucem et pulchritudinem Christi in fulgore mentis illustratæ per veritatis contemplationem. Unde, II ad Corinth. III, 18 : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eam dem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.* Sic enim dicitur animæ sic Christo unitæ in Psalmo XLIV, 5 : *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.* Specie enim veritatis figurata et pulchritudine sapientiæ decorata, prospere sine impedimento intendit per intellectum, et procedit per affectum, et regnat in rege, cujus et membrum ejus pulchritudinem assumpsit. Melior enim color quem habere potest membrum corpori bene unitum et vivificatum, est color substantialis sanguinis per candorem pellis et carnis emicantis : et iste est color Christi, sicut dicitur, Cantic. V, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus : electus ex millibus.* Candet enim liliosa candidatione in omni castitatis munditia, et rubet roseo et purpureo vernanti rubore in suo benedicto quem dedit nobis et pro nobis sanguine. Et hanc pulchritudinem assumit sponsa, et quilibet membrum ejus effectus, quando munditia Christi candet corde et corpore, et ruborem tam gratiosi sanguinis quotidie præ oculis habet in corde. Hoc est, quod de pulcherrima vidua Judith, Judith, X, 4, legitur : *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* Hoc est quod de beata Agnete dicit Ambrosius : « Jam corpus ejus cor-

pori meo sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas. »

Sic igitur contemplatione veritatis id quod Christo unitur, pulchritudinem et calorem Christi assumit.

In omnibus autem quatuor prædictis tandem quinto loco unio devota perficitur, indissolubilem habens ad corpus unionem et indistantem, ut in corpore sit, et in ipso animetur et vivat, et jam de cætero non nisi de corpore esse reputetur. Hoc autem fit per omnium bonorum quæ a capite vel a corde corpori influunt participationem, sicut dicitur in Psalmo CXVIII, 63 : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* Sic sub alia metaphora de Christo unitis loquitur Apostolus, ad Roman. XI, 17 : *Insertus es in illis,* scillicet, in ramis bonæ olivæ, *et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es.* Quia omnia bona quæ fluunt a Christo, taliter uniti percipiunt sicut reliqua membra corporis ejus. Sic dicit Christus, Joan. XVII, 22 et 23 : *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis : ut sint unum, et sicut nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.*

Hæc est catena aurea, qua colligamur et a multis reducimur ad unum unde exivimus. Pater enim omnino unus, a quo sicut a fonte Filius nascitur, et a Patre et Filio procedit Spiritus sanctus. Spiritus autem sanctus hujus unionis est vinculum. I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est,* scilicet cum eo. Forma autem cui alligamur, Filius est, forma Patris æterni, et sacramentum corporis et sanguinis est, quo Christo incorporamur, et sic in Filio ad omnis boni Patrem cœlestem reducimur, et in illo fruimur omni bono Filii in Spiritus dulcedine et beatitudine. Et omnes ab hac catena recedentes, pereunt, in multa partiti dividuntur. Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Hinc est, quod cum Isaias, XXV, 6, dixisset de hoc convivio in ejus deliciis, statim adjunxit de unione colligationis ejus, sic dicens : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Et adjungit dicens, ℣. 7 : *Et præcipitabit in monie isto faciem vinculi colligati super omnes populos.* Charitas enim Christi hoc vinculum in impetu præcipitat, quod colligatum est a Patre in Filium, et ab utroque in Spiritum sanctum, et per sacramentum Filii Dei est etiam in omnes populos concorporales Domino colligatum.

Sic igitur perficitur unio ad Christum per connaturalitatem in his quinque quæ a nobis dicta sunt.

CAPUT IX.

De cibi hujus ad cibatum firma hæsibilitate, ex cibati per cibum apprehensione.

Nono et ultimo secundum divisionem superius inductam, videndum est quæ cibi ad cibatum firma sit hæsibilitas, ne qualibet occasione abradatur : et hoc perficitur, ut superius diximus, ex apprehensione fortissima contra illud quod ci-

batur, apprehendit et tenet id quod sibi ex cibo est unitum. Sicut enim dicunt Isaac in *Dietis*, et Constantinus in *Pantechne*, ex quibusdam cibis generatur nutrimentum, quod parum adhæret membris, et cito per alterationes sequentes caloris, laboris vel febris a membris abraditur et separatur et consumitur, sicut est cibus generatus ex facile alterabilibus et convertibilibus, sicut sunt ova, et caro subtilis, et herbæ. Quidam autem cibus est, ex quo generatur nutrimentum, quod firmiter et fortiter adhæret membris, sicut nutrimentum generatum ex puro et sincero grano frumenti : quia hoc ex subtilitate sua bene intrat in membri nutriti profundum, et ideo bene a virtutibus membri apprehenditur, et ex puritate optime congruit substantiæ membri : et ideo bene unitur, et ex viscositate fortissime adhæret, et resistit omnibus alterationibus membrorum, ne de facili a membro cui unitum est, separetur, et quasi visco quodam cum membro sit glutinatum.

Ita etiam fit quando Christo incorporamur, cui quidam fortiter adhærent, quidam autem facile separantur. Adhæsio autem hæc fit primo quidem fortitudine apprehensionis. Secundo autem fit glutino amoris. Et tertio fit mansione stabilitatis. Quarto fit perseverantia continuitatis ad Christum. His enim modis etiam cibus adhæret membris quæ cibat. Primo quidem, quod virtutibus membri fortiter apprehendatur. Secundo, quod viscositate propria membri fortiter agglutinetur. Tertio, quod stabiliter in membro manens figatur. Quarto autem, quod nullo laxativo remotum a membro perseveranti continuitate membro nutrito continuetur.

2. Christo adhæremus fortitudine apprehensionis.

Fortitudo autem apprehensionis in spirituali membro ad Christum est, quod quasi duobus brachiis intellectus et affectus apprehendamus Christum fortiter et indissolubiliter, sicut ipse nos per unionem nostræ naturæ ad se factam indissolubiliter apprehendit et comprehendit. Ad Philip. III, 12 : *Sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.* De tali apprehensione dicit sponsa in Canticis, III, 4 : *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis mæ.* Tenetur enim fortissima bonitatis et veritatis suæ apprehensione, nec dimittitur tentationis illectione. Tenetur autem usque dum introducatur ad intima penetralia cordis, in quibus est domus matris nostræ sapientiæ divinæ, et donec introducatur in cubile contemplationis genitricis nostræ dulcissimæ gratiæ, in cujus utero formamur ad istas quæ dictæ sunt delectationes. Sic dicitur de eo quod nos apprehendit, ad Hebr. II, 16 : *Semen Abrahæ apprehendit,* cujus naturam in admirabiles delicias domus sapientiæ introduxit, et in cubili gratiæ genitricis plenitudine gratiæ replevit. Sic Jacob dixit, Genes. XXXII, 26 et 29 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.... Et benedixit ei in eodem loco,* Cantic. VIII, 2 : *Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ : ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito,* etc. Apprehendit enim sponsa dilectum indissolubili amplexu, et apprehensione ducit eum in domum matris sapientiæ increatæ, quæ domus est cor in amplitudine admirationis, et inducit eum libenter sequentem in cubiculum secretum intimi affectus in gratia, in cujus utero formamur in filios Dei, ut in deliciis experimentum discat ab eo, et ibi dat ei poculum delicatum quod ipse semper sitit, quod est devotio orationis sumpta ex vino condito, ex quo conficitur sanguis Christi, per quem nos incorporati sibi strictissime tenemus eum : quia nihil est quod eum nobis in tantum adstringit sicut calix sanguinis quem bibit, et nobis eum propinavit. Propter hoc dicimus ad eum de firmitate apprehensionis ejus confidentes : *Non discedimus a te : vivificabis nos, et nomen tuum invo*

cabimus [1]. Et illud libri IV Regum, II, 2 : *Vivit Dominus, et vivit anima tua ! qua non derelinquam te.* Tunc impletur illud Canticorum, VII, 10 : *Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.* Ego enim dilecto meo adstrictus sum fortissima apprehensione, et ideo ad me in omni bonitatis dulcedine est conversio ejus, ut me multo fortius apprehendat. Sic enim consilio sapienti cuidam dicitur, Apocal. III, 11 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, quam pro certo alius accipiet, nisi eum quem apprehendamus, fortiter et indissolubiliter teneamus.

II. Glutino charitatis.

Secundum autem est, ut glutino viscositatis propriæ fortiter conglutinemur membro quod cibatur et nutritur : et hoc in spiritualibus fit conglutino amoris, quando scilicet fortissimo amore glutinatur anima fidelis cum Christo, ne umquam separetur ab ipso. Et hoc est quod dicitur, Eccli. XXV, 16 : *Timor Dei initium dilectionis ejus : fidei autem initium agglutinandum est ei :* quia dilectio quæ est gluten conglutinans diligentes se invicem Christum et animam fidelem, incipit in recessu a malo quod facit timor.

In ordine autem ad bonum incipit a cognitione veritatis dilecti. Et sic fit conglutinatio qua anima diligens adhæret Christo dilecto. Isa. XLI, 7 : *Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens : Glutino bonum est.* Faber autem ærarius iste est Deus Pater, qui omnia fabricavit. Hic dicitur *ærarius* : quia omnia domuit sicut ferrum. Et ille faber confortavit Filium qui totum mundum ab initio sicut sapientia cudebat : quia confortavit eum ad hominis dilectionem, quando homines sibi per incarnationem et sui in sacramento collationem agglutinavit, dicens ad Angelos : *Glutino bonum est* : quia per omnia charitatis nobis exhibitæ indicia nihil aliud dixit nisi quod glutinaret sibi homines ut diligerent eum, et sibi glutino amoris conjungerentur. Et ad hoc homines et Angeli responderunt : Bonum est sic conglutinare : quia per hoc homo salvatur, et ruina Angelorum reparatur. Jerem. XIII, 11 : *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Juda, dicit Dominus, ut essent mihi in nomen, et in laudem, et in gloriam.* Lumbi enim sunt loca delectationum : quia delectatur Dominus in his qui per amorem sibi agglutinantur, in quibus etiam nomen suum invocatur. Laus autem sua decantatur, et crescit gloria suæ magnificentiæ et honoris.

Hæc conviscatio mutui amoris vocatur *adhæsio.* I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Psal. LXII, 9 : *Adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.* Quia quem dextera Dei in amplexu æternorum bonorum suscepit, illius anima per nexum amoris Deo adhæret. Hæc est adhæsio, de qua dicitur, Deuter. IV, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem :* quia per conviscationem amoris vita a fonte vitæ influitur Christo conviscatis. Hinc est, quod etiam carnalis amoris lenocinium *adhæsio* vocatur. Genes. XXXIV, 8 et 9 : *Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ : date eam illi uxorem, et jungamus vicissim connubia.* Quia, sicut dicit Dionysius, omnis amor facit exstasim, transponit cor amantis in amatum, et non permittit quod amans sit suiipsius, sed potius facit eum totum esse ejus quod amatur : nec permittit eum permanere in seipso, sed continue egreditur extra se in amatum, et adhæret ei firmissimo glutino, ita quod retrahi ad seipsum non potest. Hinc est quod etiam Virgilius dicit :

Omnia vincit amor : et nos cedamus amori.

Et ideo etiam est quod dicitur, Cantic.

[1] Psal. LXXIX, 19.

VIII, 6, quia *fortis est ut mors dilectio.* Quia animam et cor transponit extra amantem in amatum, sicut mors transponit animam, quæ conviscata in amatum, redire non potest ad seipsam : et ideo amor optimum glutinum est, quo membrum incorporatum Christo firmiter adhæret ne a Christo separetur.

4. Mansione stabilitatis.

Tertium est mansio stabilitatis, ita ut in membro manens figatur id quod membro est unitum. Hoc autem fit stabilimento cordis et corporis in spiritualium meditatione et studio : quia nisi ita homo incorporatus infigatur, non stabilitur in Christo : sed ipsa mentis et corporis evagatio solubilem facile faciunt a Christo. Jerem. XIV, 10 : *Hæc dicit Dominus populo huic qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit.* Quia pedes affectuum movere instabilitatem facit cordis, et pedes corporis movere instabilitatem inducit corporis, et tales Domino firmiter non adhærent. Qui autem in Domino cui incorporatus est, non manet, numquam proficit ad membri perfectionem. Joan. XV, 4 : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Ita enim est sicut in nutrimento quod perfecta conversione ad membri complexionem non convertitur, nisi diu infixum membro maneat in ipso. Unde, ibidem, ℣. 5 : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere.* Hoc signatum est, Genes. VI, 14, ubi dicitur : *Mansiunculas in arca facies, et bitumine linies eam intrinsecus et extrinsecus.* Arca enim in qua omnia animalia pacata fuerunt, corpus est Domini nostri Jesu Christi, quod pacatum fuit ab omnibus animalibus motibus : in qua arca mansiunculæ fiunt, quando mansio in eo quæritur per studium stabilitatis mentis et corporis, ut non discedatur ab inhabitatione ipsius. Bitumine autem linitur intus, quando amore deitatis propter multas gratias anima Christo agglutinatur, et bitumine linitur exterius, quando ex multis redemptoris operibus et passionibus etiam Christus homo in humanitate diligitur. De tali loquitur Christus, dicens, Joan. XIV, 23 : *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Hoc modo ille Jacob, qui accipit benedictionem a Deo, sicut dicitur, Genes. XXV, 27, fuit vir simplex habitans in tabernaculis, concursus vanos et evagationes devitans. Hoc modo dicit David in Psalmo LXXXIII, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Sic enim in domo Dei manens quod est incorporatio Domini, non discurrit ut quærat vanas habitationes in tabernaculis eorum qui mundo militant ad vanitatem. Sic econtra dicitur de meretrice anima, Proverb. VII, 10 et 11, quod est *garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis* : quia vanitatibus illecta, numquam in bona permanet stabilitate.

5. Perseverantia continuitati.

Perseverantia exigitur, ut quod influxit a cibo, et quod unitum est membro, perseveret in ipso : quia si in aliquo laxativo effluat, statim corrumpitur in fœtorem, et effluit, et excidit semper in deterius se mutando a nobilitate quam acceperat. Sic etiam esset in cibo sacramenti : quia quicumque Dominico corpori jam influxus et unitus est, si laxationem patiatur per aliquod carnale, vel mundanum, vel diabolicum, forte effluet in destitutionem, et fœtorem, et continuam in pœnis mutationem. Et ideo cavendum est etiam in minimis : quia si minima ardentia in principio non curantur, tunc paulatim venitur ad magna. Unde, Augustinus : « Vitasti grandia, vide ne obruaris arena. » Unde, Eccle. VII, 19, dicitur : *Qui timet Deum nihil negligit.* Quia etiam a modicis cavet se, ne admittendo modica, paulatim cadat in majora. Eccli. XIX, 1 : *Qui modica spernit paulatim decidet.*

Hujus pulchra similia duo ponit Job, XIV, 19 : unum quod est de gutta cavante lapidem, non vi, sed sæpe cadendo : aliud autem est de alluvione paulatim veniente et auferente terram, donec tota ripa et ager ripæ conjunctus cadat defluens in aquam. Dicit autem sic : *Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur : et hominem ergo similiter perdes,* hoc est, perdi permittes. Et ideo quicumque Dominico corpori junctus est, patienter et perseveranter et caute debet exspectare finem glorificationis in ipso, sicut et post multas passiones glorificatum est corpus Dominicum. Hoc enim vult dicere Apostolus, ad Philip. III, 20 et 21, dicens : *Nostra conversatio in cœlis est, unde etiam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Certi enim sumus, quod omnia quæ sunt in Christi corpore incorporata, ad beatitudinem deducentur. Et monet Apostolus, ad Hebr. x, 36, dicens : *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Patienter enim Domini remuneratio est exspectanda : unde Jacobus in canonica sua, v, 7 et 8 : *Patientes estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit.* Non enim oportet statim excidere propter quamlibet tribulationem et tentationem, sed fortiter hærere Domino, attendentes illud Matthæi, XXIV, 13, quia non qui cœperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hinc est quod dicitur, Jacobi, v, 10 et 11 : *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, et patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est et miserator.*

Oportet igitur, sicut dictum est, eos qui Dominico corpori incorporati sunt, usque in finem perseverare.

TRACTATUS II.

DE QUALITATE POTUS.

His itaque habitis secundum convenientem modum, convenit videre qualis sit potus cum cibo, de quo dictum est, propinatus.

Quinque igitur circa hunc potum sunt consideranda, scilicet qualis debeat esse in genere et specie, et qualis debeat esse in saporis qualitate, qualis in mixtione, et qualis in usu istius gratiæ, et qualis in proprii effectus operatione.

CAPUT I.

Qualis debeat esse potus sacramentalis in genere et specie?

1. Sanguis Domini non potest consacrari nisi de vino.

Qualis autem sit in genere et specie, sic determinamus :

Sicut enim confici non potest nisi de pane de frumento corpus Domini : eo quod se Christus grano frumenti comparavit, et quod panis frumentinus solus conveniens est cibus hominis inter panes qui fiunt de grano, ita dicimus, quod sanguis Domini non potest consecrari nisi de vino : quia se Christus vino comparari fecit, et vino seipsum comparavit, et quia vinum solum naturalis et conveniens est potus hominus.

Quod vino se comparari fecit, patet in Prophetis. Osee, XIV, 8, ubi dicitur : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.* Cum autem istud convivium sit, quod Christus toti Ecclesiæ reliquit pro suo memoriali, patet quod in hoc cibo non debet nisi vinum propinari. Hoc etiam modo non præfertur sacramento novo sacramentum vetus : quia cœna agni typici cum vino sumebatur : et ut respondeat veritas figuræ, oportet quod et caro agni immaculati Christi cum vino sumatur. Matth. XXVI, 29 : *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei.* Novum enim in sacramento novæ gratiæ bibitur, et vetus abjicitur in usu, quamvis Scriptura ejus servetur in testi-

monium. Hoc est quod dicitur, Cantic. VII, 9 : *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Quia diu per cordis mentis iterationem debet ruminari sacramentum sæpe ad mentem revocando et considerando et degustando infinitas dulcedines et bonitates ipsius. Unde, Levit. XI, 7, dicitur, quod animal quod non ruminat, immundum erit. Hinc est, quod de duobus quæ sunt in hoc sacramento, materia cibi, et potus, dicitur, Osee, VII, 14 : *Super vinum et triticum ruminabant.* Hæc enim duo ab omnium fidelium ore ruminanda frequentata memoria sunt in sacramento : quia hoc est maximum fidelium bonum. Zachar. IX, 17 : *Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ?* hoc est, virgineas mentes.

Sic igitur patet, quod ex comparatione nectareæ dulcedinis Christi sanguinis ad vinum, non debet in sacramenti cibo nisi vinum esse.

Quare Christus se comparat vitis, et corpus suum; triticum autem?

Comparat se etiam Christus viti, et corpus suum mysticum totum vineæ comparat. Et de sui quidem ad vitem comparatione dicitur, Joan. XV, 5 : *Ego sum vitis, vos palmites.* Quia sicut fructus in quo tota natura gaudet, crescit in vite, ita omnis gaudii gustus crevit in Christo et in liquore sanguinis ejus. Unde in hac parabola dicit de se vitis, Judicum, IX, 13 : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri ?* Ecclesia autem cui in communione datur sanguis Christi, vocatur *vinea.* Jerem. II, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Isa. V, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est : et vir Juda germen ejus delectabile.* Vitis enim Christus succum suum diffundit in totam Ecclesiam, ut sanguine suo plantetur et faciat fructum æternorum gaudiorum. Marc. XII, 1 : *Vineam pastinavit homo, et locavit eam agricolis.* Matth. XX, 1 : *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*

Propter has igitur operationes non potest confici sanguis Christi, nisi de vino vitis.

2. Vinum solum est conveniens potus hominis.

Est autem vinum solum conveniens potus hominis secundum naturam generaliter loquendo. Hoc autem in sex consideratur. Potus enim hominis est, qui est a natura desideratus, qui naturæ est juvativus, qui naturæ est influxivus, qui cibi est lativus, qui cibi est subtiliativus, et tandem qui cibi est cum membris unitivus et tentivus. Et hoc habet vinum et non alius potus.

Cujus probatio est : quia aqua quæ a quibusdam sumitur in potum, sicut dicit Isaac in *Dietis*, est insipida. Insipidum autem a natura non desideratur : quia omne quod desideratur a natura, sub sapore convenienti desideratur : quia sapor est sequela complexionis, et conveniens sapor indicat complexionem convenientem ad naturæ et desiderii naturalis satisfactionem. Ideo, Joan. II, 8, in nuptiis quibus significatur conjunctio Christi et Ecclesiæ, Christus mutavit aquam in vinum, ne propter insipiditatem esset abjicienda. Sic dicitur, Proverb. XXXI, 16, de Ecclesia, quæ *de fructu manuum suarum plantavit vineam.* Et infra, ℣. 18, quia *gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus*, quia potus desideratus est a natura.

Si autem quis objiciat, quod ut dicit Aristoteles in libro de *Anima*, duo sunt naturalia desideria, fames scilicet, et sitis : et dicit, quod sitis est appetitus frigidi et humidi, fames autem est appetitus calidi et sicci. Ille nescit quid dicit, et verba Philosophi non intelligit : quia cum dicit, quod sitis est appetitus frigidi et humidi, non intelligit de frigido et humido in potentia, sed secundum actum : frigidum enim et humidum in potentia naturali non desideratur : quia frigidum in potentia naturali impediti-

vum et mortificativum est naturæ hominis in omnibus operibus suis. Et ideo aqua nullo modo desideratur in potu, nisi a natura corrupta et nimis incensa, sicut desideratur a febricitante. Et ideo dictum Philosophi intelligitur de frigido et humido in actu, quod valet ad calidorum refrigerationem, et tamen incorporatum reficit naturale desiderium. Adhuc autem quomodo posset esse secundum naturam, quod id quod mixtum est et compositum ex valde diversis, simplicem et elementalem potum desideraret secundum naturam? Unde etiam opera rusticorum probant quod dicitur: quia cum plantas potant et rigant, hoc faciunt de aquis paludalibus mixtis, et pluviis quas Deus pluit super eas, et calore solis de terris et aquis commixtis elevat, et virtutem cœli immiscet, et ex multis virtutibus mixtis guttis pluviæ et roris convenienter pascit eas, quæ commixtæ sunt plantæ. Quod et Dominus ostendit, Isa. LV, 10, dicens: *Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti* vel manducanti. Sic ergo commixtus per naturam potus vini a natura desideratur. Unde, I ad Timoth. v, 23, Timotheo dixit Apostolus: *Noli adhuc aquam bibere: sed modico vino utere, propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates.* Quia stomachus continuo potu aquæ destruitur propter aquæ mortificativam frigiditatem.

Patet igitur cum Christi sanguis refectivus sit per gratiam quam confert, quod aqua nullam ad Christi sanguinem potatum habet similitudinem, et ideo de aqua confici non potest.

3. Quare ex aliis liquoribus a vino non potest confici sanguis Christi?

Sunt autem alii liquores tam naturales et artificiales, ex quibus per eamdem rationem sanguis Christi confici non potest, sicut est palus, lixivia, claretum, cervisia, medo, moretum, etiam liquor pomorum diversis generibus expressus, quem quidam vocant *pomatium*, et sicut sunt ea quæ subtiliatione florum vel foliorum diversorum exprimuntur, sicut est aqua rosacea, aqua violacea, et aqua genestæ, et hujusmodi, quæ omnia habent unam determinationem. Quia palus quamquam sufficiat potationi plantarum, tamen nec munda est, nec a natura desiderata ad refectionem hominum. Lixivia autem in quam egit calor cineris, exsiccativa est et corrosiva viscerum hominis, et ideo non desideratur a natura hominum ad bibendum. Cervisia autem et medo sunt valde inflativa et oppilativa, et ideo appetitui naturali non concordant. Claretum autem et moretum extra modum sunt calida, et potius libidinem provocantia, quam satisfacientia appetitui naturali. Pomatia autem et ipsa poma cruda et inflativa sunt et magis putrefacientia complexionem, quam satisfacientia naturæ. Aqua autem rosacea et cæteræ aquæ omnes quæ arte alchimistarum fiunt, omnes secundum diversas complexiones quas habent, possunt aliquando juvare infirmos, sed communi naturali appetitui naturæ hominum non conveniunt: ideo de illis sanguis Christi confici non potest. Et una ratio communis ad omnes hujus modi liquores est: quia in sacramento hoc solum est materia quod ex significatione naturali ponit similitudinem ad effectum sacramenti. Et ideo cum naturalis similitudo ad satisfaciendum siti naturali, non sit in aliquo liquore simpliciter nisi in vino, ideo non potest confici potus spiritualis sanguinis Jesu Christi nisi de vino. Ipse enim dicit, Joan. VI, 56: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Et ideo quod vere et secundum naturam propriam potus non est, materia sanguinis Christi esse non potest.

Idem autem sentiendum est et de lacte, quod quidem infantulis est potus naturam reficiens, sed tamen carnem laxam et mollem generans, et ideo communem et perfectam naturam hominum non reficit, sed potius perfectam hominum na-

turam inficit et corrumpit: et ideo verus et communis hominum potus esse non potest. Et hoc est quod dicitur, Eccli. XXXI, 35: *Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio*: quia tota natura hominis perfecta et sana jucundatur in ipso. Unde ibidem dicitur, ℣. 37: *Sanitas est animæ et corpori sobrius potus.* Et supra, ℣. 36: *Exsultatio animæ et cordis vinum moderate potatum.*

Sic ergo patet, quod alius liquor similitudinem non ponit ad refectionem sitis communem et naturalem, et ideo alius potus non congruit.

4. Objectio. Objiciet autem adhuc fortassis aliquis de ptisana, de qua dicit Constantinus in *Pantechne*, quod nullus est inventus similis illi potus, propter quatuor quas ibidem inducit rationes, scilicet quia exstinguit incensa, et humefacit arefacta, et lavat sordida, et reficit defecta, et ideo videtur magis ponere similitudinem ad satisfactionem sitis naturalis quam vinum. Hoc enim, quia calidum est naturaliter, non exstinguit incensa: et quia siccum est secundum naturam, non humefacit arida.

Solutio. Sed ad hoc dicendum est, quod ptisana potus est infirmorum incensorum ex febre: et verum est, quod febricitantibus non est inventus potus similis ptisanæ, sed sanis non competit, quia nimis est frigidus, et ideo appetitui naturali non satisfacit, sed potius corruptæ complexioni. Unde, Esther, I, 7, dicitur, quod in convivio Assueri vinum abundans et electum dabatur, et non fit mentio de alio potu. Dicitur etiam, Isa. XXV, 6, quod Dominus fecit *convivium pinguium, convivium vindemiæ*, et non alterius potus: quia pro certo alius potus simplici et puro et perfecto naturæ humanæ desiderio non satisfacit. Et ideo etiam de tali potu sanguis Christi confici non potest: et ideo nec Deus nec ars hominum alium potum de terra cui Deus dat benedictionem, alium, inquam, potum excolere docuit, nisi vinum. Sed nec cibum colit, nec frumentum: quia in istis duobus humano et naturali et perfecto satisfacit appetitui: et ideo ex his duobus similitudo sumitur ad refectionem corporis et sanguinis Jesu Christi, nec ex aliis materia sumi potest hujus sacramenti.

5. Objectio. Sed tamen adhuc objiciunt de hoc quod dicitur, Eccli. XXIX, 28: *Initium vitæ hominis aqua, et panis.* Et si initium vitæ hominis est aqua et panis, videtur eis, quod sicut panis sine aliis cibis est satisfaciens naturali appetitui qui est fames, ita aqua sit satisfaciens naturali appetitui qui est sitis. Et sic si Dominus ordinavit spiritualem cibum secundum ea quæ satisfaciunt naturalibus appetitibus duobus, videtur quod potus aquæ debet esse in sacramento convivii spiritualis materia sui sanguinis, quod omnino falsum est et nulli Ecclesiæ consonum.

Solutio. Sed ad hoc dicendum est, quod ibidem loquitur Ecclesiasticus de initio vitæ hominis in statu damnati hominis et expulsi extra paradisum, et aliud adhuc adminiculum vitæ non habentis, et in hanc miseriam homo detrusus est ad agendam pœnitentiam. Si enim loqueretur de natura instituta in paradiso, tunc non loqueretur pane: quia homo in paradiso de pane non sustentabatur. Homo autem qui detruditur ad labores pœnitentiæ, suspenditur ad his quæ sunt secundum desiderium naturæ ut magis affligatur. Unde, III Regum, XXII, 27: *Mittite virum istum in carcerem, et sustentate cum pane tribulationis et aqua angustiæ.* Isa. XXX, 20: *Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem.* Hæc enim omnia præparantur his qui sunt in laboribus pœnitentiæ: quia justum est ut qui concupiscentiæ nimis indulserunt, laxæ libidini consentiendo, etiam a delectabilibus secundum naturæ desiderium ad tempus suspendantur, pœnas pro peccatis luendo: et ideo nihil nisi vix præter delectationem hominem sustentans,

ibi homini concedit auctoritas dicens: *Initium vitæ hominis aqua, et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem* [1]. Ac si dicat: Victum parcissimum accepit, et vestimentum pauperrimum, et domum non sufficientem naturæ, sed in qua turpitudinem protegeret in quam incideret. Psal. LXXIX, 6: *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Postea autem quando homo justificatione adjutus est, et pœnitentiam peregit ad misericordiam Domini, tunc accepit aliud initium nativitatis secundum naturalem appetitum, de quo dicitur, Eccli. XXXIX, 31: *Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum.* Quando autem accepit botrum uvæ, tunc expressione *botri* accepit poculum vini. Hic enim omnia tanguntur quibus homo juvatur ad vitæ necessaria secundum naturalem appetitum: sic enim aquam accepit in ablutionem et alios aquæ usus, ignem in crudorum quæ homini non conveniunt decoctionem, ferrum in instrumenta fabricationis diversorum sibi utilium, sal in condimentum, lac in infantium alimentum, panem in cibum confortatorum, qui *similagineus* esse dicitur propter conveniens et adhærens membris nutrimentum, mel autem in dulcoramentum, botrum in naturale poculum, oleum in unctionem et cibi condimentum, et vestimentum molle decens et calidum in corporis fomentum.

Patet igitur ex omnibus præinductis, quod solum vinum est potus communis et naturalis homini secundum naturale desiderium quod est in ipso quod vocatur *sitis.*

6. Quadruplex causa sitis.

Hoc autem adhuc aliter accipitur, si ipsum naturale desiderium quod est sitis, secundum proprietatem naturalem subtilius attendatur. Tradunt enim naturales qui naturalia subtiliter sunt indagati, quod sitis est ex tribus causis, et quidam satis convenienter adjungunt quartam.

Una quidem causa est membrorum exinanitio, sicut videmus multam sitim patientes eos qui calidam et consumptivam passi sunt infirmitatem, quibus sitis non sedatur per potum, sed potius per cibum bene membra reficientem.

Alia causa est indigestio cibi vel potus multum accepti, qui grosso fumo exhalante a se percutit partes pectoris et gutturis, et incendit et exsiccat. Et hæc sitis est quam patiuntur ingluviem et ebrietatem passi, et non sedatur potu, sed augetur: somno autem profundo et longo in quo ingluvies et ebrietas digeritur vel expellitur, sedatur etiam sitis, quia tunc illud quod indigestum fumabat de stomacho, removetur, vel indigestum descendens a stomacho, vel expulsum omnino, sicut aliquando glutones solutionem patiuntur ex indigestione.

Tertia sitis est naturalis appetitus ejus quod vehere et fluere facit cibum per membra ut nutriantur: et hoc non est nisi vehiculum cibi secundum naturam, quod et cibum movet et vias aperit et cibum subtiliat et membris influit et unit. Et sicut patebit in sequentibus, hoc inter naturales et communes potus non habet facere nisi vinum. Et ideo hæc sitis per vinum convenienter mixtum, et sobrie bibitum sedatur secundum naturam.

Quartam causam quam non inconvenienter addunt quidam, sicut Avicenna et Serapion et Almansor, quæ est, quod sitis aliquando provenit ex inconvenienti et modo excedenti complexionis vel cibi excessu ad siccitatem, cujus contrarium petit natura ad refrigerium: et in hoc casu aliquando magis petit aquam quam vinum, sicut æstuans calida febre appetit et sitit aquam, et sicut superimpletus multo sale, potum aquæ petit, ut sal lavetur a membris interioribus, quæ inter omnes

[1] Eccli. XXIX, 28.

sapores plus abominantur salis saporem quando excedit.

De prima siti dicitur litteraliter, Thren. IV, 4 : *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti : parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* In tali desiderio petitur quidquid reficere potest. Job, VI, 7 : *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* In hoc etiam desiderio dictum est, Thren. II, 11 et 12 : *Effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum ? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.*

De secundo appetitu sitis dicitur, Proverb. XXIII, 31 et 32 : *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande : sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Et post pauca, ℣℣. 34 et 35 : *Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo. Et dices : Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi. Quando evigilabo, et rursus vina reperiam ?* Quia in glutionibus et ebriis abyssus abyssum invocat in voce cataractarum potationum et epularum suarum.

De tertia siti, quæ sola naturalis est, dicitur, Cantic. VIII, 2 : *Dabo tibi poculum ex vino condito.*

De quarto appetitu est illud quod dicitur, II Regum, XXIII, 15 : *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Betlehem !* Hoc enim dicit David quando labore pugnæ et onere armorum incensa natura complexionis ad magnam inæqualitatem caumatis deducta fuit, et tunc ad exstinctionem caumatis desideravit aquam frigidissimam, quæ fuit in cisterna Betlehemitica.

Ex omnibus inductis patet, quod vinum solum est a natura potus communiter desideratus.

7. Vinum natura juvativum.

Hoc autem iterum patet ex hoc quod secundo induximus : quia naturale desiderium mixti non desiderat nisi quod est juvativum mixti. Hoc autem, sicut ante habitum est, non potest esse simplex, nec potest esse frigidum : quia frigidum naturam non juvat, sed impedit : et ideo potus aquæ naturam non est juvans, sed impedit : alii autem potus, sicut habitum est, semper naturæ aliquod præstant impedimentum. Vinum autem incorruptum et proportionatum naturæ hominis ad digestionem stomachi est juvativum et confortativum : et ideo illud natura desiderat, quia ipsum quoad hoc est potus naturalis, et qui significationem ponit ad sanguinem Christi, de quo dicitur, Joan. VI, 56, quod *sanguis meus vere est potus*, juvans scilicet naturam et confortans. Hoc autem probatur, I ad Timoth. V, 23, ubi dicitur : *Modico vino utere, propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates.* Vinum enim juvat naturam, et confortat digestionem, et ideo lætificat cor, quod gaudet in naturæ confortatione, sicut dicitur in Psalmo CIII, 14 : *Vinum lætificat cor hominis.* Omnia enim quæ naturalia sunt, quando ad appetitum naturalem conferuntur naturæ, lætificant naturam : et quæ non sunt naturalia, ex pondere gravant, sicut dicitur, Proverb. XXXI, 6 et 7 : *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.*

8. Naturæ influxivum.

Similiter ex tertio quod proprium est potui naturali, et hoc est quod per naturam membris est influxivus. Quod enim venas calore aperit et poros et siccitate naturali tenet ne laxentur et concidant, hoc est naturæ influxivum. Hoc autem facit vinum quod calore naturali venas aperit, et per subtile humidum influit, et per moderatam siccitatem tenet ne concidant et oppilent vias. Aqua autem econtra frigiditate sua propria poros constringit et vias, et humiditate frigida

laxat, ut emolliti concidant et oppilent : et ideo ad influxum cibi naturalis non desideratur aqua, sed vinum. Alii autem potus ut cervisia et medo et alia vapore et ventositate grossissima, impediunt vias oppilando, et ideo non sunt potus naturales. Sed vinum calore aperit subtili, et vapore vias quantumcumque parvas influit, et omnia quæ sunt animæ et virium animæ perficit : et ideo etiam sponsa ubi subtilia penetravit, vini beneficio cuncta dicit esse perfecta et ordinata, Cantic. II, 4 : *Introduxit me rex in cellam vinariam : ordinavit in me charitatem.* Et statim in delicias resoluta dicit, ℣. 5 : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Et quia vinum solum est poculum salubriter naturæ influxivum : quia statim post diluvium quando natura confortante in cibo indiguit, et quod cibus per membra flueret. Genes. IX, 20 et 21 : *Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam : bibensque vinum, inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo.* Hoc vero non fuit ex vino, sed quia vinum immoderate bibit.

9. Cibi lativum.

Quod autem quarto dicitur, quod potus naturalis cibi est lativus, nulli potui ita convenit sicut vino : quia ille calore cibum movet et vapore suo, eo |quod vaporativum est, cibum pellit, ut fluat. Et hoc patet : quia vias venarum ampliat ut sanguis currere possit, et calore movendo vapore pellit, et humiditate lubricat, ut bene fluat, quorum nihil ordinate facit aqua : si enim lubricat aqua, hoc facit inordinate, vias scilicet emolliendo, et quasi paralysim dissolvendo. Et ideo potus naturalis est vinum. Hoc signatum est, Genes. XXVII, 25 et seq., ubi dicitur de Isaac, quod cum cibos a Rebecca præparatos comedisset, obtulit ei Jacob et vinum, quo hausto dixit ad eum : *Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi.* Quia cum per vinum latus esset cibus dulcis ad membra, delectatus pater ad dilectionem filii statim conversus est, et osculum dedit in signum futuræ statim benedictionis.

10. Cibi subtiliativus.

Hic etiam potus cibi est subtiliativus, ut per arctissima membrorum fluere possit, et hoc facit vinum subtili calore, et subtili vapore, quem immittit in cibum : et ideo etiam vinum ad interiora penetrat, et vaporem subtilem spargit, et moderate sumptum somnum suavem inducit, et calorem diffundit, nutrimentum per omnia membra spargit, et inundare facit. In tali effectu fuit vinum quod in cœna accepit Joannes, qui statim resolutus ex cœnæ deliciis in sinu Christi super pectus Christi se reclinavit [1] : quia etiam secundum naturam quod bene membris subtile facit influere nutrimentum, dulcem inducit somnum : unde et sponsa bibens cum dilecto dicit, Cantic. V, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.*

11. Cibi unitivum cum membris.

Sextum autem quod est nutrimentum membris unire, nullo modo facit aqua : cum tamen solum ex illo effectu satisfaciat potus siti membrorum : quia frigidum non unit, sed impedit. Inflativus autem omnis potus ut cervisia, vel medo, inflationes et humores membrorum inducunt tumescentes, et ad deformitatem membra pervertunt. Calidi autem nimis potus, ut claretum, et moretum, membra resolvunt et exsiccant. Eccli. XXXI, 36 : *Exsultatio animæ et cordis vinum moderate potatum.*

Propter omnia ista pro certo primum et proximum et commune satisfactivum naturali desiderio famis est panis de frumento, et proximum et primum et commune satisfactivum naturali desiderio quod est sitis, est vinum moderate sumptum. Et hoc etiam patet ex quatuor, quæ notata sunt a physicis, sicut Avicenna dicit. Quæ citius et convenientius nutriunt, quæ sunt panis de frumen-

[1] Cf. Joan. XIII, 25.

to, vinum rubeum dulce, et ova trementia, et brodia sive jura carnium recentium : sed inter hæc ova trementia convertibile dant nutrimentum sicut et ipsa sunt convertibilia : et ideo hoc nutrimentum facile separatur a membris. Brodia autem sive jura carnium molle dant nutrimentum pingue aliquantulum, sicut et ipsa brodia mollia sunt et pinguia : sed frumentum, sicut in ante habitis diximus, subtile dat nutrimentum et solidum et multum membris adhærens. Et vinum dat nutrimentum subtile bene membris incorporabile, et lætum ex subtili sanguine quem fluere facit : et ideo inter omnia panis de frumento et vinum magis conveniens præstant nutrimentum : et ideo etiam appetitibus naturalibus magis satisfaciunt secundum naturam. Unde dicit Galenus : « O quam bene fecit Deus, quando vinum fecit nasci de vite, quod animam lætificat, et sanguinem tam salubrem parat in nutrimento ! »

Hæc igitur est causa quare hæc duo inter omnia alia meliorem dant significationem ad cibum et potum spiritualem, quæ præstantur in sacramento. Et hoc significatur, Proverb. III, 10, ubi dicitur : *Implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* Saturitatem autem vocat tritici abundantiam, quæ semper est in horreis Ecclesiæ. Hoc cognovit rex Samariæ, quod nulli appetitui naturali satisfieri potest nisi de his : cum mulier quædam famescens clamaret ad eum, et diceret : *Salva me, domine mi rex*, respondit : *Non te salvat Dominus, unde te possum salvare? de area, vel de torculari*[1] ? Quia obsessi in Samaria nŏn poterant dare frumentum et vinum : et ideo non posse se salvare homines publice professus est rex, per quem hæretici significantur, qui non salvantur de area frumenti corporis Domini, et de vino torcularis sanguinis ejus. Hujus signum est, quod specialis cultus rusticanorum ad vitam hominis nutriendam colit frumentum et vinum. Psal. CVI, 37 : *Seminaverunt agros et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis*, quo pascuntur homines. Et ideo hæc duo Dominus assumpsit in nutrimento spirituali : quia hæc duo naturalius et communius naturalibus appetitibus satisfaciunt, et sic constat quod superius diximus, quod vinum est potus naturalis communis.

CAPUT II.

Qualis debeat esse hic potus in saporis qualitate?

1. ...alis sa- ... requi- ...r in vi- ex quo ...hristi ...guis ...dicitur?

Nunc autem secundum superius datam divisionem videndum est de hujus potus saporis qualitate.

Sed ad hoc sciendum, quod sapor vini proprius est ille qui *vinosus* in genere vocatur : quia quamvis sint diversi vini sapores, est aliud vinum dulce, et aliud acre, et aliud ponticum, et aliud stipticum, et aliud aromaticum, et secundum alios sapores : tamen proprius sapor in omnibus his est, qui vocatur *vinosus*, quem habere debet vinum quod datur in

[1] IV Regum, VI, 26 et 27.

sacramento : quia cum sapor sit proxima sequela complexionis, integer sapor vinosus integram signat et non corruptam vini complexionem et non destitutam. Si enim alium saporem haberet, sicut putridum, vel acetosum, non posset fieri confectio sanguinis Christi : quia dicunt naturales, quod acetosum numquam fit vinum, eo quod cum de vino fit acetum, exhalaverunt partes complexionantes vini naturam ex vino, sicut exhalaverunt partes ignis de cinere, qui frigidus remanet, et nullam habens propriam ignis operationem. Et quod dicitur, acetum est acutum in actione, non dicitur ideo quod calidum sit sicut vinum, sed est frigidum, et acumen habet : quia calor corruptivus egit in ipsum : et ideo non calor, sed proprietas quædam caloris quæ est acumen penetrativum et divisivum substantiarum et corruptivum rei remansit in ipso. Sic et in cinere remansit acumen ignis, qui dividendo et corrumpendo lignum egit in ipsum. Et ideo de hoc quod factum est acetum perfectum, non potest fieri confectio. Si autem acidum sit et non acetum, tunc habet adhuc vinositatis saporem, et tunc fit quidem confectio, et tamen assumendum non est propter sacramenti reverentiam : quia de tali vino acetoso fuit potatus Christus in tormentum, et tale acetosum non dedit discipulis in sacramentum. Si autem putridum sit perfecta putrefactione et ad sui naturam et complexionem redire non possit, tunc nullo modo de tali confectio potest fieri : quia non est vinum, sicut homo mortuus non est homo. Si autem sit pendulum in via quidem corruptionis existens, et non corruptum, tunc assumpto tali vino in sacramentum fit confectio : quia illud est vinum, et adhuc suam quamvis ægram retinet vinositatem, sed tamen propter reverentiam sacramenti non est assumendum, si aliud de facili haberi potest. Hæc igitur simplex traditio est de sapore vini.

Alii autem sapores vinositatem in vino non corrumpunt, sed etiam aliquando vinum delectabilius et sanius faciunt, sicut sapor aromaticus in vinoso. Et aliquando contra aliquas solutivas infirmitates quæritur sapor ponticus in vinoso, et aliquando stipticus quæritur contra easdem infirmitates si fortificatur infirmitas : quia tales sapores non mutant vinositatem, sed cum vinositate per naturam admixti confortant os stomachi et cætera intestinorum, quæ nervosa sunt : acris autem sapor debilitat quidem vinositatem, sed non corrumpit eam : quia ille est ex cruditate vini, quod non ad ultimum et optimum est decoctum in vite propter caloris defectum, sed tamen tale vinum vere est vinum, quamvis non attingat optimam naturam vini.

Hæc igitur veritatis de assumendo vino est traditio.

2. Effectu vini co poralite bibiti, quomo vinum s crament le eosd habeat

Hujus autem causa est : quia species corporales in sacramento omnes pro signo assumuntur : et ideo quæ efficit vinum materiale bibitum, debet significare in sacramento assumptum ad confectionem. Facit autem jucunditatem ex subtili calore et subtili humido claros et leves faciens spiritus. Facit bonam spem unicuique de seipso, ex hoc quod confortat et excitat virtutem. Facit oppilationem in capite quasi in oblivionem suiipsius, propter hoc quod est vaporosum. Facit etiam calorem digestivum ex hoc quod est calidum, et sic facit bonum chymum nutrientem optime ad cibum et membrorum refectionem.

Et hæc quatuor videmus in sacramento spiritualiter : quia dando sanguinem Christus largitus est optimum spiritum, cujus sedes est in sanguine suo, dando sanguinem, optimam dedit nobis spem cuncta impetrandi de ipso et omnia vincendi per ipsum. Adhuc autem dando sanguinem, ut Hieronymus dicit, quasi inebriatus est, in tantum quod quasi oblitus sui et denudatus à spoliantibus eum in cruce velut Noe tectus est operimento foliorum duorum, cœlo lumen retrahente,

et terra tenebras, ne nudus videretur, super eum tendente.

Primo, facit calorem optimum in nobis refectionis, qua corpus dedit et fecit quod *vere est cibus*, et sanguinem qui *vere est potus*, ut dicitur, Joan. VI, 56. Et ideo propter primum vinum sanguinis sui dicitur vinum bonum ab antiquo servatum. Joan. II, 10 : *Servasti bonum vinum usque adhuc.* Hinc est quod etiam spiritus dicitur *bonus*, Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quia dulce est vinum bonum amicum naturæ, et dulcis est spiritus quem in sanguine largitur Deus Christus. Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Ideo etiam dicitur de hoc sacramento : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus* [1]. Sic ergo dat bonum spiritum et dulcem.

Bonam autem spem nobis tribuit cuncta impetrandi et cuncta vincendi. Unde dicitur, Deuter. XXXIII, 7, de Juda : *Manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit.* Unde autem ista confidentia fortitudinis sibi evenerit, dicitur, Genes. XLIX, 11 : *Lavit in vino stolam suam, et in sanguinem uvæ pallium suum.* Non enim stolam conversationis in vino sacramenti sibi spiritualiter infuso lavisset, hoc est, nisi sanguine benedictæ uvæ Jesu Christi pallium charitatis intinxisset, pro certo tantam confidentiam in Deo contra inimicos non habuisset. Hoc est quod dicitur, I Machab. VI, 34 : *Ostenderunt elephantis sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prælium.* Ex natura enim habet hoc animal, quod audax, et bonæ spei efficitur, quando aliquid simile videtur sanguini : quia elephas propter castitatem et fortitudinem virium sanctum signat, qui acuitur sanguine Christi in prœlium, qui de uva Christo et moro qui Christum signat propter similitudinem peccati quam ex nobis accepit, exprimitur. Ille enim sanguis valde nos facit audaces.

De optima inebriatione quam tribuit hoc vinum, est quod nullius vinum de cætero sui ad commodum recordari debet, ex quo sic frater noster Christus coram nobis inebriatus est. Genes. XLIII, 34 : *Biberunt, et inebriari sunt cum eo.* Cantic. V, 1 : *Comedite, amici, et bibite : et inebriamini, charissimi.* Totus enim nos destituit et inebriavit ille amor, quod non sanguinem pro nobis tantum fudit, sed etiam eumdem sanguinem in sacramento nobis infudit.

Hic sanguis calore suæ charitatis et dulcedine optime nos reficit, sicut etiam de optime et naturalissime reficientibus est vinum rubeum sanguini simile et dulce : quia etiam sanguis Christi dulcissimus est, et optime reficiens, et ideo vino optimo comparatur. Deuter. XXXII, 14 : *Sanguinem uvæ bibebat meracissimum.* Psal. XXII, 5 : *Calix meus inebrians quam præclarus est !* Propter hoc dicitur, Cantic. I, 13 : *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* In quibus locis dulcissimum crescit vinum et valde nutritivum.

Hoc est igitur quod de saporis vini qualitate est notandum.

Acetum autem et putrida sunt vina gaudiorum hujus mundi, de quibus dicitur, Deuter. XXXII, 32 et 33 : *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* De hoc dicitur, ad Ephes. V, 18 : *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Isti sunt enim qui putridas et fœtidas carnis insequuntur delectationes hujus mundi et carnis. De quibus dicitur, Amos, VI, 6 : *Bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Joseph.* Unguenta enim meretricia procurant, et vinum gaudii mundani usque ad luxuriam potant putridum et fœtidum, et qualiter contritus est coram eis Jo-

[1] Psal. LXVII, 11.

seph, scilicet Christus, frater eorum, nihil advertunt : de quibus dicitur, Isa. XXVIII, 7 : *Verum hi quoque præ vino nescierunt : et præ ebrietate erraverunt : sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate : absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Quia hoc habet natura corrupti vini, quod corruptam generat ebrietatem : et ideo isti omnia videntem Deum nescierunt, et judicium ejus quod fecit per Christum quo princeps hujus mundi ejectus est foras judicatus et condemnatus, ignoraverunt.

Ab hujusmodi igitur vino corrupto et fœtido, ab aceto quod in pœnas Christi propinatum est, omnibus fidelibus abstinendum est penitus in sacramento.

CAPUT III.

Qualis debeat esse hic potus in mixtione ?

1. Cur aqua vino misceatur ?

Tertio autem hic inserendum est qualiter vinum sacramentale sanguinis Christi, et qua de causa sit miscendum. Quamvis enim in præmissis de hoc dicta sint, tamen hic ex intentione de hoc est dicendum.

Sciendum est ergo, quod aqua ad vinum in calice ponenda est tanta, ut vinositatem vini in alterum non mutet saporem, sed quæ significet id quod in sacramento est significandum, et hoc est conjunctionem humanæ naturæ cum Christo : quia aqua propter suam insipiditatem significat hominem insipidum, et conjunctio aquæ cum vino debet esse, quæ saporem vini accipiat perdendo propriam insipiditatem : non quod saporem vini trahat ad aquæ insipiditatem : quia homo saporem gratiæ accepit a Christo, et non Christus perdit saporem gratiæ ex homine. Ponitur igitur aqua ad significandum tantum, et non ad hoc quod vino auferat suam fortitudinem vel vinositatem. Tantum autem significat una gutta, quantum mille amphoræ vel totum mare : et ideo ad perfectionem sacramenti nullum periculum est parum in ponendo de aqua, sed est periculum in multum ponendo : quia si tanta ponatur aqua, quod a vino tollat vinositatem, tunc non fit sacramenti confectio : tunc enim non est vinum, sed est aqua aliquantulum vinata. Unde de vappa non potest fieri sacramenti confectio. Vappa enim est aqua fusa super acinos uvarum, postquam expressum est vinum : quæ aqua aliquantulum habet de vini acumine, et a pauperibus bibitur, et tamen non est vinum.

2. Quod autem aqua in sacramento ponitur ad significandum, tres sunt causæ. Una tamen : quia cum Christi latus apertum proflueret sacramenta nos sanctificantia, tunc aqua cum sanguine et non solus sanguis exivit. Joan. XIX, 34 : *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Et hæc est causa potissima : quia in hoc significabatur, quod populus in sanctificatione necessario conjungendus est Christo : quia aliter gratiam redemptionis non obtineret. Apocal. XVII, 15 : *Aquæ quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ.* Ibi habet alia translatio. « Aquæ multæ populi multi. » Et dicitur,

Proverb. IX, 5, ubi loquitur Salomon de cœna sapientiæ, dicens : *Bibite vinum quod miscui vobis.* Semper enim vinum insipidum sapori Christi est immiscendum, ut fiat acceptum. Unde dicit Chrysostomus : « Sunt quidem homines insipidi in nullo ab aqua differentes : hos adducamus ad Christum, et ad saporem cœlestem per Christum mutabuntur. » In hujus rei signum Christus mutavit aquam in vinum bonum, quod omnium gustum delectaret. Joan. II, 9 et 10 : *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit : et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.* Vinum enim sacramenti præ omnibus et dulce et bonum, et ideo per mulsum signatur, quod est vinum melle purissimo conditum. Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 10 : *Comedite pinguia, et bibite mulsum.* Pingue enim adipe devotionis est corpus Domini. Mulsum autem melle deitatis conditum, est vinum dulcissimi sanguinis.

Hæc igitur est causa una.

3. Secunda causa est : quia hæc præcessit in figura Veteris Testamenti : quia infectio originalis peccati per lepræ infectionem signatur, et sicut in figura curatur lepra, ita per veritatem in sacramento curatur infectio peccati. Unde, Levit. XIV, 4 et seq., in purificatione lepræ dicitur : *Præcipiet ei qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum. Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes : alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco et hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundandus est, septies.* Duo enim passeres sunt duæ naturæ in Christo, quarum una extra passibilitatem evolavit, non humanam naturam deserendo, sed passionem non sentiendo, scilicet divina. Altera autem est immolata in passione, scilicet humana. Lignum autem cedrinum, sanguinis Christi signat imputribilitatem, quæ nos a putredine servat. Hyssopus autem sanguinis ejusdem signat puritatem, qui nos purificat. Coccus autem qui rubicundissimi est sanguinis, signat in Christo in effusione sanguinis patientiam et charitatem, quæ per ruborem significari consueverunt. Aqua autem viva aquam signat de Christi latere exeuntem, omnia purificantem. Nec purificatur aliquis, nisi in sanguine et aquæ tinctione septies domus cordis ejus aspergatur. Quia sicut dicunt sancti, sanguis septem locis elicitus est de corpore Domini, scilicet in circumcisione in damnationem et cauterium concupiscentiæ. In sudore sanguineo in signum doloris et angustiæ. In compunctione per flagella in signum ejus quam pro nostris excessibus sustinuit disciplinæ. Isa. LIII, 5 : *Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.* In duobus vulneribus pedum ad nostrum sanandum affectum. In duobus vulneribus manuum ad sanandum nostri operis effectum. Et sic septies adspergimur in sanitatem. Zachar. XIII, 6 : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me,* hoc est, qui me diligere debebant. Hoc etiam significatum est, Numer. XIX, 9, ubi dicitur, quod aqua expiationis fit de sanguine vitulæ rufæ, per quam aquam omnia tam tabernaculum quam ea quæ erant in usum tabernaculi, expiabantur, et vitula rufa quæ sanguine suo Christum rubricatum significat. Combustio autem vitulæ, Christi significat passionem, et sanguis ejus Christi significat sanguinem, et aqua significat aquam quæ de latere Christi fluxit, quæ est aqua veræ expiationis. Ad Hebr. IX, 19 et seq. : *Lecto enim omni man-*

dato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit: et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio, scilicet peccati. Ex hoc accipitur idem quod prius, nisi quod sanguis hircorum significat Christi sanguinem pro peccatis nostris effusum. Sanguis autem vitulorum significat Christi sanguinem effusum pro nostra petulantia.

Sic igitur patet, quod immissio aquæ in sanguinem, quæ significat conjunctionem populi cum sanguine redemptionis, præcessit in figuris Veteris Testamenti. Propter quod etiam in veritate sacramenti novæ legis aqua cum vino debet misceri.

4. Tertia autem causa est : quia in aqua magis est vis expiativa, in sanguine autem magis est pretium nostræ redemptionis : et quia in sacramento utrumque est, scilicet expiatio et redemptio, ideo unum cum alio debet misceri. Hoc est quod dicitur, Ezechiel. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Hæc est aqua, quæ sicut dicitur, Ezechiel. XLVII, 2, egressa est de templo corporis Christi a latere dextro, et omnia ad quæ venit, purificavit et vivificavit. Hæc est aqua de qua dicitur, Eccli. XV, 3 : *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum*. Non enim habet aqua de se saporem, nisi accipiat eum de sanguine de corde sapientiæ Dei exeunte : quia Christus Dei sapientia et Dei virtus[1]. Et ideo ista sapientiæ aqua potat et ad saporem gratiæ et ad expiationem veniæ.

Hæ igitur sunt causæ propter quas aqua cum vino sanguinis in sacramento est ponenda.

Dicunt tamen quidam, quod in vino sacramenti aqua a vino non absumitur, nec convertitur in vini saporem, sicut diximus, et putant se philosophari et esse sapientes dicentes, quod si quis substantiam raram quæ est in scyrpo vel radices carecti decorticatas ponat in vinum, quod aqua infusa in vinum extrahitur, et remanet ipsa vini natura fortior quam ante fuerat. Et addunt, quod ex quo potest aquæ substantia extrahi a vino, remanente vini natura, quod aqua absumpta a vino non fuerat, et ideo in sacramento aqua a vino non absumitur. Sed isti fatui sunt, non intelligentes neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant : quia omnia quæcumque sunt in natura, attrahunt per suam similitudinem et similia sibi : et ideo si scyrpi medulla et radicis carecti medulla, quæ omnino aquea sunt, in vino non mixto ponantur, id quod est in vino aquosum, ex sua cum aqueo similitudine attrahunt, quo attracto, id quod remanet, et spissius et vinosius apparet. Hæc igitur non attrahunt aquam quæ separata manet in vino, sed aqueum de partibus vinosis exsugunt, quod tamen prius partibus vinosis erat admixtum. Et quod dicitur, quod si separetur ab eo, quod tunc non erit admixtum, consequentia est, quæ nihil valet : quia omne miscibile, ut dicit Aristoteles, separatur a mixto in quo est, et tamen antequam separetur ab ipso, erat illi admixtum. Unde potius oppositum sequitur, scilicet quod si separatur ab ipso, quod pro certo erat illi admixtum : mixta enim remanent in eo quod mixtum est secundum substantiam suæ formæ, quamvis non maneant in ipso secundum excellentias suarum qualitatum[2]. Mixtio enim est miscibilium alteratorum unio,

[1] Cf. I ad Corinth. I, 24.

[2] De hoc vide IV Sententiarum, Dist. XII, Art. 11. Tomo XXIX hujusce novæ editionis nostræ.

et non est miscibilium corruptorum corruptio vel generatio : et hoc est quod signando hæc dicit Dominus, Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Sic enim immissi in Christum, unum cum eo efficimur, et inseparabiles ab ipso. Ad Galat. II, 20 : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Sicut enim Christus per unionem unitur Patri, ita et nos per immissionem cum sanguine ejus subhæremus Christo, ut sic colligamur ad Deum Patrem fontem unionis istius. I ad Corinth. XI, 3 : *Omnis viri caput Christus est : caput autem mulieris, vir : caput vero Christi, Deus.*

Et sic omnia ad unum referuntur, et hoc est quod intendimus.

CAPUT IV.

Qualis sit hic potus in usu gratiæ istius?

1. Sequitur quale debeat esse hoc vinum in usu gratiæ.

Bonum et electum non debere in sacramento.

Circa autem hoc duo sunt attendenda, quod videlicet propter reverentiam sacramenti bonum vinum et electum debeat esse in sacramento ad usum sacramenti, et quod debeat esse sumptum simplex vinum absque panis intinctione. Decet enim, quod ad honorabilissimum sacramentum in usu optima quærantur elementa, ex quibus conficiatur : unde sicut non decet ad purificationem baptismi aquam lutulentam accipere et paludosam et putridam, quamvis in tali aqua, quando alia haberi non potest, possit fieri baptismus, ita non decet ad optimi corporis sacramentum vinum accipere lutulentum et malum, quamvis ex tali vino aliquando propter necessitatem possit confici sacramentum. Esther, I, 7 : *Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur.* Convivium enim Assueri signat convivium Christi. III Esdræ, III, 20 : *Vinum omnem mentem convertit in securitatem, et jucunditatem, et non meminit omnem tristitiam, et debitum.* Tale igitur vinum significationem habet ad effectum sanguinis Christi, qui in securitatem et honestatem animam convertit, et facit oblivisci tristitiæ antiquæ. Hujus signum est, quod cum vinum in sacrificio Veteris Testamenti offerretur, fecit Dominus fieri acetabula et libatoria vasa, in quibus probaretur vinum libandum Domino, an acceptum esset, vel non. Exod. XXV, 29 : *Parabis et acetabula, ac phialas, thuribula, et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina.* Acetabula enim sunt vasa in quibus probatur liquidum, an esset acceptum ad gustum. Phiala autem in qua probatur ad visum, an esset in colore bonum. Thuribulum autem in quo probatur ad ardorem. Et cyathus in quo probatur ad haustum et fusionem, an esset pendulum, vel infirmum. Cum igitur tota ista diligentia adhibita fuerit ad vinum quod erat offerendum in sacramenti hujus figura, multo magis ista adhibenda sunt in vino quod

adhibetur in ipsa sacramenti veritate. Hæc autem dicuntur *libatoria*[1]. Libare enim est degustare, et vasa in quibus ad gustum probatur, an vinum tanto sacrificio esset dignum, *libatoria* appellantur. Unde, III Esdræ, II, 13, dicitur, quod Darius inter vasa quæ referri fecit ad templum, referri fecit *libatoria argentea duo.* Hoc autem describitur, I Machab. I, 23, quod inter alia vasa quæ de templo accepit Antiochus, de templo accepit libatoria, et phialas. Ex quo iterum ostenditur, quod ad probationis experimentum debet esse electum vinum quod offertur. Si enim in aliis oblationibus debet esse electum quod offertur, tunc multo magis id quod ad sanguinem Christi offertur, debet esse electum. Dicitur autem, Malach. I, 14 : *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum,* hoc est, perfectum, *et votum faciens, immolat debile Domino.* Ergo multo magis maledictus est, qui ad mensam suam facit offerri vinum electum, et debile valde sumit ad sanguinis Domini sacrificium. Et merito maledictus est, qui vinum electum in vasis mundis et pretiosis bibit in mensa propria, et in vasis fœtidis et ampullis corruptis permittit vinum infici, et sic fœtidum in calice offert in Domini sacrificium : Dominus enim præcipit, quod non solum vasa, sed etiam ministri vasorum in sacrificio suo mundi esse deberent. Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

Sic igitur eligendum est vinum quod offertur in sacrificio Dominici sanguinis. Non tamen negamus, quin de quocumque vino vinosum saporem habente, et adhuc vini naturam retinente, possit fieri sacrificium : sed ex præmissis auctoritatibus patet, quod pro certo peccat, qui magnum ad corporis sui, et parum vel nullum ad Dominici sanguinis poculum adhibet studium.

Hoc etiam patet ex hoc quod in ante habitis diximus : quia Christi sanguis incorporat nos sibi, et ideo electio quæ fit in cibo et potu corporalibus, quando incorporantur corpori, debet fieri in nobis in comparatione ad corpus et sanguinem Christi, quibus nos incorporamur. Omnis autem homo potest advertere quam purus, quam saporosus, quam electus esse debeat qui sanguini Christi, qui per omnia corporis ejus mystici fluere debet membra, est incorporandus : et ideo dicitur in Psalmo L, 21 : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ,* hoc est, acceptum erit tibi sacrificium, quod ad rectitudinem justitiæ est electum et oblatum. Unde et, Michææ, VI, 6, videns quam electum esse debeat quod Deo offertur, in seipso sollicitus dicit : *Quid dignum offeram Domino ?* Ac si dicat : In humana infirmitate vix invenitur, quod satis dignum sit offerri Deo. Hoc signatum est, Numer. XIII, 24, ubi bonitatem terræ benedictionis Domini exploratores significare volentes, ostenderunt botrum quem duo homines in vecte portabant : botrus enim ille corpus Dominicum est. Viri autem adhærentes omnes sancti sunt Christo incorporati, per quos omnis fluit succus dulcedinis sanguinis ejus : et ideo qui puro liquori ut vas præparatur, valde debet esse depuratus. Hinc est etiam, quod, Isa. XXV, 6, convivium suum dicitur *vindemiæ defæcatæ,* ut in vino quod ad sacrificium offerimus, et in nobis, quibus ille sanguis purissimus liquor infunditur, nihil sit de fæce peccatorum. Et ideo dicitur, Eccli. XXIV, 23 : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : et flores mei fructus honoris et honestatis.* Christus enim plenus sanguine sicut uva rubea fructificat suavitatem odoris aromatici vini in omnibus granis membrorum corporis mystici, qui Christi bonus odor sunt, et flores sui quando hoc vinum æterni gaudii dulcissimum floret, sunt fructus vini virtutum quæ gaudium generant in cordibus sanctorum.

[1] III Esdræ, II, 13.

Ili sunt flores honoris : quia omni reverentia digni et honestatis : quia, sicut dicit Tullius, honestum est, quod sua vi nos trahit, et sua propria dignitate hominem allicit. Nihil est quod ita nos ad Christum trahat, sicut amor et dulcedo pro nobis effusi sui sanguinis, et nihil est quod ita nos suo amori alliciat, sicut amor calicis quem pro nobis bibit et nobis bibendum propinavit. Hoc est de quo gloriatur sponsa in Canticis, II, 13, dicens : *Vineæ florentes dederunt odorem suum*, ad quem odorem omne fugit venenosum, et allicitur omne desiderium : quia odor tam pretiosi sanguinis qui totam Dei vineam ubertim influit, et omne venenosum primi serpentis virus expellit, et suo sapore et odore et pretiositate ad se trahit omne desiderium sanctorum : quia omnis sanctus scit, quod sine sanguine et corpore Christi non est vita gratiæ et jucunditatis æternæ. Unde, Joan. VI, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Vitam, inquam, qua membrum vivit in corpore unitum et consociatum spiritui vivifico Domini nostri Jesu Christi, sicut dicitur, ad Coloss. III, 3 : *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*. Hoc enim modo est pro certo verum quod dicitur, Luc. XX, 38, quod *Deus non est mortuorum, sed vivorum* [1]. Omnes enim sic Christi corpori et sanguini incorporati vivunt : et extra incorporationem illam nemo vere vivit, quia vitam Christi non participat, qui solus est fons vitæ omnium, sicut dicitur in Psalmo XXXV, 10 :*Domine, apud te est fons vitæ, et in nomine tuo videbimus lumen.*

Hoc est vinum, quod oculos claritate spiritus sui clarificat et mundificat, ut videant ea quæ cæteri non vident. Genes. XLIX, 12 : *Pulchriores sunt oculi ejus vino*. Vinum enim bonum et clarum inter cætera habet effectum, ut purget oculos a sordibus sua puritate et mordicatione. Et ideo congruenter Dominus cum vellet ostendere qualiter se suis esset manifestaturus et non mundo, dixit, Joan. XIV, 19 : *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis.* Sicut enim dicitur, Genes. IX, 5, sedes animæ quæ principium et causa est vitæ, in sanguine est. Et ideo spiritu Christi non vivit, qui purissimo sanguini ejus non est sociatus : nec oculos claros habet, cujus oculos sanguis Christi efficacissimus non clarificavit.

2. Quare vinum et panis seorsum ponuntur in sacramento ?

Ad usum etiam istius gratiæ refertur, quod vinum in sacramento ponatur seorsum, et panis seorsum absque panis intinctione in vinum. Dominus enim, Joan. XIII, 26, panis intinctione notavit proditorem, dicens : *Ille est cui ego intinctum panem porrexero*. Et ibi dicit Glossa, quod intinctio signat infectionem : quia ea quæ tinguntur, non mundantur, sed inficiuntur : et si aliquod bonum significaret tinctio, illi etiam bono ingratum se exhibuit : et ideo Ecclesia nulli intinctum porrigit panem. Ideo etiam dicitur, Matth. XXVI, 23 : *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Marc. XIV, 20, dicitur : *Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino,* ille me tradet. Per quæ omnia demonstratur, quod intinctione panis nihil boni demonstratur. Cum igitur omnis Christi actio, nostra sit instructio, instruimur ex hoc quod nulli panis detur intinctus, neque in vino, neque in sanguine, sed corpus totum datur siccum in specie panis, et sanguis purus datur specie vini.

Sunt tamen quædam in sacra Scriptura et in factis Ecclesiæ, quæ huic quod dictum est hic, adversari videntur. Etenim Ruth, II, 14, dicitur a Booz ad Ruth quæ signat Ecclesiam : *Intinge buccellam tuam in aceto*. Et sic videtur, quod buccella panis in aceto vini acetosi

[1] Cf. Matth. XXII, 32; Marc. XII, 27.

sit intingenda ab Ecclesia. In factis autem Ecclesia videtur obviare, quod Parasceve sacerdos corpus Domini intingit in vinum, et sic sumit. Adhuc, quod in frequentatione sacramenti omni die sacerdos unam tertiam partem hostiæ in sanguinem immittit, et intingit, et sic sumit : et sic videtur, quod non sit verum quod ante dictum est, quod panis in cujus specie datur corpus Christi in esum, in vinum vel sanguinem non sit intingendus. Adhuc autem ex eo quod dicitur in Evangelio, omnes Apostoli cum Christo panem intingebant in paropsidem sive catinum [1] : factum autem Christi et Apostolorum exemplum instructorium debet esse Ecclesiæ : videtur igitur, quod Ecclesia in sumptione sacramenti debet panem intinctum accipere.

Ad hæc autem quæ dicta sunt et omnia similia dicimus, quod Ecclesia nulli dat panem intinctum, neque in sanguinem, neque in vinum, sicut diximus, eo quod Judas proditor per intinctum panem est demonstratus, et quod sicut dicit Glossa, tinctio infectionem proditionis signat : quia tinctio exterius inficit et non mundat ex profundo : bibentes autem sanguinem in profundum sui sanguinem accipiunt, et mundatur : sed quibus adhæret exterius sanguis, sunt viri sanguinum et homicidæ. Isa. I, 15 : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Psal. LIV, 24 : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.*

Quod autem objicitur de Booz et Ruth, dicendum quod in veritate Booz, qui *firmitas* interpretatur, ibi Christum signat, qui Ecclesiam facto suo mystice confirmat : et Ruth signat Ecclesiam : sed acetum non est signum sanguinis Domini, quia, sicut diximus in ante habitis, de aceto sanguis Christi confici non potest : sed acetum ibi signat acerbitatem passionis Christi, in cujus acerbitatis memoriam debet sumi a fidelibus corpus Christi. Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Signat autem etiam acetum acetosam aversionem synagogæ, quæ in vinea Domini fuit, et sitim suam aceto pro vino potavit : et ideo dicitur, Matth. XXVII, 34, quod *cum gustasset, noluit bibere,* hoc est, acetosos noluit sibi incorporare. Fideles autem sumentes sanguinem Christi ad hoc sumunt, ut Christo incorporentur. Unde patet, quod nihil est acetum de sanguine quantum ad significatum.

Quod autem dicitur de facto Ecclesiæ in Parasceve, dicendum, quod Ecclesiæ consuetudo non est illo die corpus Domini vel sanguinem conficere, sed potius reservatum corpus in pyxide confectum in die Cœnæ, Ecclesia in Parasceve in calicem in quo est vinum, immittit. Et sic sacerdos sumit de calice, sed nulli sumendum porrigit. Et hoc significatur, quod corpus Domini tinctum est illo die in sanguine ipsius et sic oblatum pro nobis. Isa. LXIII, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ.* Et post pauca, ℣. 2 : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari ?* Et iterum postea parum, ℣. 3 : *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* Sanguis autem *eorum* dicitur : quia ab eis et pro eis fusus est. Et hoc significat Ecclesia illo die : et ideo nec conficit, nec porrigit illo die corpus vel sanguinem ad sumptionem alicujus.

Ad illud quod dicitur, quod Apostoli cum Christo intinxerunt. Respondendum est, quod nullus est qui accipit corpus, quin ipsum intinctum spiritualiter debeat accipere : sed intinctus ei

[1] Cf. Matth. XXVI, 23 ; Marc. XIV, 20 : Luc. XXII, 14 ; Joan. XIII, 26.

non porrigitur, sed unusquisque in memoriam Dominici sanguinis debet accipere, et sic per seipsum cum Domino intingit, quando passionibus Domini communicat : sed porrectus intinctus nulli datur propter causam quæ dicta est. Tamen sciendum, quod sicut dicit Glossa, Joan. XIII, 26, quando Dominus Judæ panem intinctum porrexerit, non tunc corpus suum Judæ dedit, sed ante Judæ cum aliis distribuerat. Similiter etiam Apostoli cum Domino in paropside intingebant, non tunc corpus Dominicum de catino accipiebant, quod ante de manibus suis acceperant, sed potius azyma quæ tunc intincta ab omnibus accipiebantur, accipiebant, ut ritum Phase servarent in memoriam illius conspersionis, quam populus tulit secum cum exiret de Ægypto, quod potius significabat novæ gratiæ conspersionem, per quam præparandi sumus ad communionem corporis Dominici, quam significat sanguis. Exod. XII, 34 : *Tulit ergo populus conspersam farinam antequam fermentaretur.* I ad Corinth. V, 8 : *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

Sic igitur corpus Dominicum in forma panis per se, et sanguis Domini in specie vini per se usu istius gratiæ sunt sumenda, et propter vitandam occasionem distillationis ad terram si corpus Dominicum intinctum in sanguinem fidelibus porrigeretur. Similiter autem si intingeretur in vinum non consecratum, tamen id vinum omni reverentia dignum efficeretur ex ipsa intinctione, et non esset cautum id porrigere : quia vix vel numquam caveri posset, quin aliquid a manibus porrigentis stillaret, et manibus adhæreret, etc.

CAPUT V.

Qualis debeat esse hic potus in proprii effectus operatione ?

1. rum sub traque acie sumatur totus Christus ?

Sequitur hic ultimo dicendum de hujus potus proprii effectus operatione, de quo quidam faciunt quæstionem.

Quia enim Christus totus cum sanguine et anima spiritu et deitate habetur sub specie istius cibi qui est panis, videri potest alicui, quod nihil operationis habet in sacramento potus in specie vini [1]. Si enim dicitur de natura, quod non abundat superfluis, neque deficit in necessariis, cum ordinatior sit gratia quam natura, videtur quod in gratia nihil debet esse superfluum. Cum igitur totus Christus cum suo sanguine habeatur sacramentaliter sub specie panis, videtur quod totum superfluit id quod adjicitur de specie vini.

Sed ad hoc dicimus, quod Christus postquam exhibuit corpus suum sub specie panis, tunc etiam postea exhibuit sanguinem suum sub specie vini, et utrumque sacramentaliter celebrandum esse præcepit in Ecclesia per statuta Apostolica, et ideo Ecclesia instruitur actione Christi, et utrumque celebrat divisim conficiendo corpus sub specie

[1] Super hanc quæstionem, vide IV Sententiarum, Dist. XII, Art. 4. Tomo XXIX hujusce novæ editionis nostræ.

panis, et divisum conficiendo sanguinem sub specie vini. Quod autem sic divisum hæc duo exhibuerit, et celebranda instituerit Christus, patet, Matth. XXVI, 26 et seq., ubi primo de pane dicitur : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Et post id divisum ab illo dicit de calice : *Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Similiter, Marc. XIV, 22 et seq., divisim unius eorum post aliud dicitur de communione corporis primo, et de sumptione sanguinis secundo. De corpore enim dicit sic : *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum.* Quo jam perfecto sequitur de calice sic : *Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Hoc enim expressius habetur, Luc. XXII, 19 et seq., ubi de confectione corporis ex pane dicit sic : *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem.* Hoc autem toto perfecto iterum dixit de calice sic : *Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Ex omnibus istis accipitur, quod Christus sub una specie panis corpus suum tradidit, et sub altera specie vini tradidit sanguinem, et sic servandum instituit : et cum Christi actio, nostra sit instructio, pro certo hæc duo nobis servanda esse præcepit : et ideo sub una specie corpus, et sub altera tradimus sanguinem.

2. Hujus autem facti Christi et Ecclesiæ hæc causa est : quia quamvis effectus et operationes accidentales multi valde sint in sacramentis, tamen unus effectus est substantialis in omnibus sacramentis, per quem sacramenta ab invicem distinguuntur. In sacramento ergo cibi spiritualis debet attendi aliqua operatio substantialis, per quam ab aliis dividitur sacramentis, cum in baptismo detur esse substantiale spirituale per generationem spiritualem, sicut dicit Dionysius : et in sacramento confirmationis detur incrementum per confirmationem et confortationem virtutis, ita consequenter ad idem esse conservandum et restaurandum et augendum datur in Eucharistia edulium spirituale. Edulium autem spirituale non habet fieri nisi sub elemento visibili, sicut et cætera sacramenta : quia sacramentum Ecclesiæ nihil in gratia causat, quod ex similitudine non significat. Signare autem non habet nisi ex elemento visibili et corporali. Cum igitur alimentum ad naturæ perfectionem non possit perfecte significari, nisi in elemento cibi et potus, oportet quod elementum cibi et potus sit in sacramento : nutrimentum enim spirituale non perficitur sine potus significatione, sicut et nutrimentum corporale quod sumitur non perficitur sine potu : et sicut post nutrimentum corporale sumitur potus ad perfectionem nutrimenti corporalis, ita post nutrimentum spirituale sumitur potus ad perfectionem nutrimenti spiritualis, qui a nutrimento divisam habet operationem in satisfactione sitis et latione nutrimenti, et hujusmodi aliis, qualia diximus in ante habitis.

In Eucharistia datur edulium spirituale sub specie panis et vini.

Adhuc autem divisam habet operationem sanguis a corpore. Corpus enim dedit Christus in communionem sui et membrorum : sanguinem autem dedit in redemptionem, sicut patet in dictis jam ante auctoritatibus. Istæ autem sunt divisæ operationes : nulla enim existente redemptione facta vel facienda, adhuc esset vel esse posset communio. Iterum posito, quod sit communio capitis et

Christus dedit corpus in communionem sui et membrorum, sanguinem autem in redemptionem.

membrorum, non oporteret quod hoc modo sicut modo est, esset redemptio. Divisæ ergo essentialiter ab invicem sunt gratia communionis et redemptionis. Cum ergo Dominus sic ordinaverit et multiplicaverit sacramenta, quod omnes gratias sacramentales habeamus in sacramentis, et alia gratia sit redemptionis per sanguinem, quam communionis per corporis sumptionem, non sufficit in sacramento habere elementum significans communionem, nisi etiam haberetur elementum significans redemptionem : et sic Christus hac ratione instituit utrumque.

4. Quod ergo dicit, quod alterum videtur esse superfluum, cum sanguis habeatur in corpore, et corpus in sanguine. Dicendum, quod hoc non est verum : verum quidem est, quod sanguis habetur in corpore, sed non ex virtute sacramentali, sed potius sanguis habetur in corpore ex unione naturali : quia humores uniuntur cum corpore cujus sunt humores. Anima autem habetur per unionem potentiæ ad actum. Deitas vero habetur cum istis per unionem gratiæ. Tamen nihil horum nisi corpus habetur ex virtute sacramenti. Oportet autem propter effectum sacramentalem, ut sanguis ibi habeatur ex virtute sacramenti ad nutrimentum pertinente : et ideo oportuit ut esset ibi consecratio ex elemento potus, sicut fuit ibi confectio ex elemento cibi : quia aliter sacramentum in virtute et ratione sacramentali esset imperfectum, et non signaret perfectum alimentum : quia nullum alimentum hominis perficitur sine potu, sicut patet satis per ea quæ in ante habitis satis bene dicta sunt.

5. Sed tunc forte adhuc aliquis objiciet et dicet : ex quo sacramentum omne secundum materiam et id quod signat in eo, est corporale elementum, ex quo sumitur significatio ad invisibilem sacramenti spiritualem effectum, sicut in baptismo ex aqua sumitur significatio intinctionis interiorum et ablutionis ab originali peccato : et confirmatione ex oleo et balsamo, ex quibus chrisma componitur, sumitur significatio ad invisibilem Spiritus sancti unctionem, ad confortationem contra debilitatem fomitis : et in hoc sacramento altaris ex cibo sumitur significatio nutrimenti spiritualis, et ex potu sumitur significatio spiritualis potus : tunc videtur, quod duo elementa corporalia ex quibus duæ sumuntur significationes, ad duos effectus spirituales, efficiant non unum, sed duo sacramenta : et sic duo et non unum sunt sacramenta altaris[1]. Et hoc etiam videtur dicere beatus Gregorius in quadam Collecta, ubi sic dicit : « Perficiant in nobis, quæsumus, Domine, tua sacramenta, quod continent, ut quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. »

Ad hoc autem dicimus, quod pro certo illa objectio procederet, si et elementa visibilia in sacramento, et significationes quæ ab ipsis sumuntur, et effectus spirituales quos signant, ad unum et idem non referrentur. Jam autem habitum est in antecedentibus, quod naturalis cibus hominis non perficitur calido sicco, nisi referatur ad frigidum humidum : quia sine illo nec subtiliatur, nec per vias ad membra fluit ut nutriatur, nec continuatur nisi humido, nec membris adhæret nisi per humidum. Similiter autem et potus naturalis non refertur per se, sed ad cibum a quo accipit terminabilitatem, cum per se humidum sit interminabile : et ideo utrumque simul in sacramento unum signant perfectum et completum spirituale nutrimentum, sicut et Christus dicit, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Et quod dicit beatus Gregorius : « Perficiant in nobis tua sacramenta, etc. »

rum Eucharistia unum ramentum, vel dura?

[1] Super hanc quæstionem, vide in IV Sententiarum, Dist. VIII, Art. 13. Tomo XXIX hujusce novæ editionis nostræ.

Attendendum est, quod non dicit duo sacramenta, ut pluralem numerum significet per dictionem numeralem, sed dicit *sacramenta* pluralitatem quamdam consignificando : et in hoc notat quod est unum sacramentum simpliciter habens quamdam in elementis pluralitatem, quæ tamen pluralitas ad idem significandum est relata : et hoc est nutrimentum connaturale et perfectum.

His sic a nobis prædeterminatis, dicimus quod potus iste in sacramento unam habet operationem suæ virtutis essentialem et spiritualem, et quinque alias habet operationes adjunctas. Illa autem operatio quæ est spiritualis et essentialis est, quæ facit operationem veri potus in vita spirituali et esse spirituali, secundum quod esse in baptismo nascimur filii Dei sive Deo, et in confirmatione in eodem esse accipimus confortationis perfectionem. Non enim potest esse inedia spiritualis, quin ex multis occupationibus et negligentiis hominis in hoc esse fiat aliqua deperditio corporis, sicut in confecto fame corporali fit deperditio corporis et virtutis membrorum, quæ per alimentum corporale restituitur. Et similiter per potum spiritualem, qui cibum influit membris et deducit, fit spiritualis reparatio in esse spirituali deperdito per famem et carentiam alimenti spiritualis : et hæc est sua operatio substantialis : et est, ut diximus, ut Christo et membris ejus perfecte incorporemur, et sibi fortiter adhæreamus et maneamus in ipso, sicut hi qui per humorem sanguinis ejus corpori suo sumus influxi. Unde ipse dicit, Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Sic autem sibi influxi et cohærentes spiritum ipsius participamus et vitam. Joan. VI, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Eccli. IV, 12 : *Sapientia vitam filiis suis inspirat : et suscipit inquirentes se, et præibit in via justitiæ.* Sapientia enim est Christus, qui corpus suum communicando membris suis et sanguinem influendo, et cum sanguine influit, et inspirat eis spiritum et vitam : et sic in suam incorporationem suscipit inquirentes se, præiens eos in omni via justitiæ : quia nisi sic simus in ipso, viam justitiæ non possumus tenere. Hoc modo cum Dominus de cibo et potu plenis spiritualibus effectibus loqueretur, non intelligentes quidam quibus durum videbatur, si corporaliter corpus Domini deberent atterere et lacerare, dixit Dominus erudiens illos de perfecto spiritus nutrimento, quod in sacramento accipitur, et ad spiritualis vitæ deperditæ restaurationem, dixit : *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius* [1] ? Ac si dicat : Mirum est, quod hoc vos scandalizat, quod vos vere beatificat. Si vos ergo videritis aliquando oculis fidei mentalibus Filium hominis cum omnibus sibi per cibum et potum incorporatis membris ascendentem in dextera Dei Patris, in qua dextera in persona divina fuit prius ab æterno? Tunc, inquam, ex hoc non scandalizabimini, sed magis exsultatione et gaudio perfundemini : quia sic incorporati spiritus et vitæ et beatitudinis Christi facti estis participes : et ideo subjungit : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* [2]. *Spiritus est qui* in his verbis ad vitam beatam *vivificat. Caro* autem sola si dentibus discerpatur, sicut vos carnalibus cogitationibus pleni intelligitis, *non prodest quidquam* [3], sic accipiendo operationem cibi et potus sacramenti. Panem Angelorum manducavit homo : quia Angeli non visibili, sed invisibili divino tantum potu et cibo utuntur. Tob. XII, 18 et 19 : *Cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere : sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus*

[1] Joan. VI, 62 et 63.
[2] Ibid., ℣. 64.
[3] Ibid.

videri non potest, utor : sicut dicitur, Eccli. xv, 3 et 4 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum : et firmabitur in illo, et non flectetur : et continebit illum, et non confundetur.* Sic enim acceptus panis sacramenti secundum intellectum est panis vitæ et aqua sapientiæ non est aqua insipida : quia sapientia dat ei saporis suavitatem ut fiat vinum gaudii æterni, sicut fecit in Cana Galilææ [1]. Et sic potabit illum ut influat ad incorporationem Jesu Christi : et sic incorporatus firmetur in illo, et non flectetur ab ipso per aliquem tentationis impulsum : et continebit eum sic in se, et numquam confundetur, jam particeps spiritus et vitæ et gratiæ et beatitudinis Jesu Christi, exaltandus in ipso ad dexteram Dei, ut ibi fruatur ipso in rerum veritate, sicut hoc signatum est in sacramenti corporalis specie. Sic enim ipse Christus dicit, Joan. III, 13, quod *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo :* quia Filius hominis sic de cœlo descendit, ut omnes sibi incorporatos et per sanguinem sibi influxos secum ascendere faceret in dexteram Patris, ut ipsi ibi in æternum divinitate sua perfruantur.

Illud autem nutrimentum quod, sicut diximus, ex cibo spirituali et potu spirituali componitur, ad interiorem hominem nutriendum refertur, de quo dicitur, II ad Corinth. IV, 16 : *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* Is autem homo in gratia generatur, sicut dicitur, ad Ephes. IV, 23 et 24 : *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* Et quia, sicut dicit Philosophus, ex eisdem generamur et nutrimur, oportet quod idem interior homo nutrimento gratiæ nutriatur. Hoc est edulium quod Eucharistia, hoc est, *bona gratia* vocatur, sicut per multa in ante habitis ostendimus.

6. Quinque effectus Eucharistia in quantum est potus sanguinis Christi.

Adjunctæ autem operationes quas habet sacramentum in quantum est potus sanguinis Jesu Christi, sunt quinque, secundum quinque quæ sunt in sanguine Domini : quarum prima est redemptio a debito mortis æternæ, quod habet in quantum sedes animæ in sanguine est, quem pro nobis Dominus posuit. Secunda est, quod sanguis a peccato lavat, et hoc habet ex vi deitatis quæ conjungitur sanguini. Tertia est, quod rigat arida et infundit, et hoc habet ex humore pietatis propriæ. Quarta est, quod tingit, et hanc habet ex roseo purpureo suo colore. Quinta est, quod signat, et hoc habet in quantum defluite cruce Christi.

De prima quidem quæ est sanguis redemptionis, dicitur, Apocal. V, 9 : *Occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo,* hoc est, eruisti a diaboli potestate, in cujus potestate pretio pomi venditi fuimus. Hoc est quod dicitur, I Petri, I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Hoc etiam præfiguratum est in prophetia Zachariæ, IX, 11, ubi dicitur : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua* : hoc est, per redemptionem sanguinis solvendo pretium pro eis animam tuam, cujus sedes est in sanguine aperto carcere peccati et mortis, omnes vinctos peccatis et clausos in carcere mortis per redemptionem emisisti eos in libertatem gratiæ et reconciliationis. Hoc modo sanguis Christi sumptus dicitur *pignus redemptionis et salutis :* quia sicut homo qui pignus habet vel pecuniam, ab omni redimit se impetitione, sic incorporatus sanguini secum habens Christi animam, tamquam per pignus redimit se ab impetitione debiti et obligationis peccati. Hoc

[1] Joan. II, 8.

modo loquitur Apostolus, II ad Corinth. I, 21 et 22 : *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hæc omnia facit per sanguinem Christi, cujus sumptio confirmat membrum cum membro in Christi mystico corpore. Hic sanguis ungit ad sanitatem salutis. Hic nos signat contra Angelum percussorem. Per illum datur nobis pignus Spiritus : quia sedes animæ Christi est in sanguine, et illi per unionem conjunctus est Spiritus divinus, qui est deitas æterna, faciens hoc pignus valere in copiosam redemptionem. Psal. CXXIX, 7 : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* De ista redemptione dicitur, Osee, VII, 13 : *Ego redemi eos, et in me locuti sunt mendacia.* Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Et hanc petit Psalmista, Psal. CXXIX, 8, dicens : *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Sic ego redemptio adjuncta est operationi sanguinis Jesu Christi.

Est etiam operatio ipsius lavare sordes vitiorum, et sordes venialium, et sordes reliquiarum peccatorum. Sanguine enim suo Christus volens lavare peccata mundi, acumen dedit sanguini, ut sordes in nobis profundatas lavare posset : quia sicut hi qui faciunt lixivium, qui acuunt humorem quo fit lixivia, ut sordis profunditas in pannis acumine suo lavari possit : ita Dominus apposuit humori sanguinis acumen deitatis, ut sanguine Christi Dei electi omnes lavarent sordes vitiorum. Hoc est quod dicit Apostolus, ad Galat. II, 20 : *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Hæc autem traditio fuit in lotione sanguinis. Apocal. I, 29 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Hoc voluit dicere Joannes Baptista, Joan. I, 29, quando dixit : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Non enim tulit peccata mundi, ut haberet : sed tulit, ut sanguine lavaret, sicut dicitur, Apocal. VII, 14 : *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Stola quæ dicitur a στόλον quod est longum, et signat usque in finem totam conversationem, quam a sordibus lavare necesse est totam, et dealbare in sanguine Agni : quia sicut dicitur, Isa. LXIV, 6 : *Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Et ideo magna et acuta indigent ablutione. Apocal. XXII, 14 : *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.* Soli enim qui abluti sunt in sanguine mundissimæ aspersionis Agni immaculati, habent potestatem in ligni vitæ fructu, quod est corpus Domini : et illi sunt de unitate corporis mystici, ex quo construitur civitas cœlestis, in quam isti ingredientes intrant in gaudium Domini sui, sicut dicitur, Matth. XXV, 21 et 23. Hæc lotio signata est, IV Regum, V, 10, ubi dicitur : *Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Jordanis enim *humilis descensus* interpretatur, et signat torrentem sanguinis, qui descendit ab humilitate crucis, in quo fluxu omnes mundati sunt ab infectione corruptæ carnis : ideo Dominus voluit, quod de latere suo flueret aqua expiationis cum sanguine redemptionis, ut ex aqua virtutem ablutivam signaret esse in sanguine. Unde dicitur, ad Hebr. X, 22 : *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda.* Quia a corruptione corporis tota processit corruptio. Zachar. XIII, 1 : *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ,* hoc est, in ablutionem corporis et animæ.

Et sic patet, quod ablutivus est sordium sanguis Christi.

Tertiam autem adjunctam operationem habet, quod rigat arida et infundit,

et per hanc etiam operationem exstinguit incensa a malo calore cupiditatis et concupiscentiæ. Naturale enim est, quod nihil ita ad humectandum et fœcundandum rigat arida sicut bonus sanguis, et nihil adeo exstinguit mala incendia et substantiam consumentia sicut sanguis subtilis et bonus, quando tali sanguine membra infunduntur. Hoc signatum est, Eccli. XXIV, 42 et 43, ubi dicitur : *Dixi, rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare.* Ex sanguine enim lateris et cordis sui Dominus rigavit Ecclesiæ hortum, ut omnes bonæ stirpes in eo oriantur, et factus est ei trames sanguinis de quinque decurrens vulneribus, abundans in totius mundi irrigationem, ut arida ipsius humectentur, et incensa exstinguantur : et fluvius iste appropinquavit ad mare amaritudinis passionis Christi. Hinc est quod, Jerem. XVII, 7 et 8, dicit de viro benedicto, *qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Naturale enim est, quod nihil ita humectat et rigat ad fructum et virorem sicut sanguis humanus. Quidquid enim sanguine hominis rigatur, statim viret et humectatur ad fructum Hinc est, quod Balaam videns in figura tabernaculorum filiorum Israel distinctiones Ecclesiarum sanguine Christi rigatas, dixit,Numer. XXIV,5 et 6 : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob ! et tentoria tua, Israel ! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui*, etc. Tabernacula enim sunt Ecclesiæ contra inimicas potestates militantes. Tentoria autem Israel in refrigerio contemplandæ veritatis habitantes. Valles autem sunt nemorosæ in humilitate multum fructum afferentes. Horti autem sunt ab oriendo dicti, plantationem virtutum intendentes, qui sunt juxta fluvios vulnerum Christi, sanguine Christi per spiritualem et sacramentalem sanguinis communionem irrigati. Hoc irriguum necessarium est nobis : quia cor nostrum sæpe destitutum est humore pietatis et aret in seipso. Psal. CXLII, 6 : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Judicum, I, 15, dixit Axa, quæ *furibunda* interpretatur, eo quod irascitur et vindicat in se peccata commissa : *Terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis. Dedit* ergo ei *Caleb*, scilicet Deus Pater, *irriguum superius, et irriguum inferius.* Irriguum enim inferius est fons sanguinis Jesu Christi : irriguum autem superius est ros gratiæ cœlestis, descendens a deitate sanguinis Jesu Christi.

Sic ergo et rigat arida et exstinguit incensa : sic enim humore suo exstinguit igneam romphæam positam ante paradisum ad custodiendam viam ligni vitæ [1], ut via sit facilis de cætero ad accedendum ad lignum vitæ.

Quarta autem operatio sanguinis quam ex roseo et purpureo suo habet colore, est quod tingit omne illud super quod funditur, et omne tinctum ab ipso rubricatur et securatur ab Angelo percussore. Et ideo etiam *sanctum* vocatur ab antiquis legibus sanguine tinctum : quia tinctura sanguinis confirmantur leges : et ideo filii Israel utrumque postem et superliminaria domorum suarum sanguine tinxerunt agni, ut Angelus percussor non posset ingredi. Exod. XII, 13 : *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis : et videbo sanguinem, et transibo vos : nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Ægypti.* Ædes enim in quibus habitamus, sunt virtutum et operum conservationes. Ostia autem sunt sensuum apprehensiones et sensibilium ad nos ingressus. Uterque postis est ratio deliberativa in

[1] Cf. Genes. III, 24.

parte una, et libera ad consentiendum, vel dissentiendum voluntas in parte alia. Et superliminare domorum est pars rationis superior, quæ contemplandis superioribus inhærere deberet ad regendam totam domum, et custodiendum ostium in quibus si sanguis agni tinctus fuerit per communionem sancti calicis et considerationem Christi passionis, percussor et nequam angelus appropinquare non audebit, et plaga disperdens non erit in omnibus ædibus nostris. Iste est coccus bis tinctus, de quo dicitur, Exod. XXVIII, 5, quod vestes sacræ tingi debent. Coccus enim conchilium est, quod, ut dicunt Philosophi, de rore nascitur, et *murex* vel *purpura* vocatur, a quo etiam *murilegi* dicuntur, qui talia colligunt. Hunc colorem rubicundissimum habet ante in corpore sub capite, qui est sanguis ejus, quo purpuræ regum colorantur, et signat Christum in sanguine suo purpureo nos tingentem et sanctificantem. Dicitur autem coccus sine virili semine conceptus, et natus bis tinctus in suo sanguine : quia et in vita tinctus est plagis manuum et pedum, et post mortem tinctus plaga lateris, et utroque sanguine tinxit Ecclesiam in sanctificationem, nec sanctificata est, nisi esset suo tincta sanguine. Hæc est tunica polymita quam patriarcha magnus Joseph filio suo fecit vestimentum [1], scilicet totam vestiens Ecclesiam varietate virtutum, quod vestimentum corpus Christi signat, cui tota incorporatur Ecclesia, quam fratres venditores Joseph sanguine hœdi tinxerunt : quia Judæi, fratres Domini, vendentes Dominum in Juda proditore, tunicam corporis Domini et ecclesiasticæ conversationis sanguine profuderunt : qui *hœdi sanguis* dicitur, quia et a peccatoribus et pro peccatoribus et a corpore quod per passibilitatem simile fuit corpori peccati, est effusus in talis tunicæ tinctura. Isa. LXIII, 2 : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua quasi calcantium in torculari ?* Sic autem tincti sanctificamur sanguine et conformamur Christo. Exod. IV, 25 : *Sponsus sanguinum tu mihi es.*

Quinta autem et ultima operatio adjuncta sacramento est, quod signat, et hanc habet a cruce, a qua defluit, per quam omnes in Dei familiam et Christi filii ejus characterizamur, et distinguimur, et signamur. Hinc est quod dicitur, Apocal. VII, 3 : *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Consignari enim debet Christo, qui est de familia Christi, signo crucis et sanguinis ejus : quia non consignati percutimur, cum terra quæ terrenos signat dilectores, et cum mari quod mundanorum signat inquietas sollicitudines, et cum arboribus quæ personatuum et honorum signant altas et proceras dignitates. Ezechiel. IX, 4 : *Transi per mediam civitatem, in medio Jerusalem, et signa Thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Thau autem est signum crucis et sanguis Christi. In isto signo sanguinis et passionis Christi Paulus gloriabatur, ad Philip. III, 10 et 11 : *Configuratus morti ejus, si quo modo occuram ad resurrectionem quæ est ex mortuis.* Ad Galat. VI, 17 : *De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Stigmata enim illa sunt consecrationes passionis et sanguinis Jesu Christi. Turpe enim est caput nostrum signum rosei sanguinis portare, et membra nihil communionis habere cum sanguine. Dicit enim sponsa de sponso in Canticis, V, 10 : *Dilectus meus candidus* innocentia, *et rubicundus* sanguine. Turpe est ergo nos fœda concupiscentia inquinatos mundo configurari, et pollutum ducere sanguinem Jesu Christi Domini nostri.

[1] Genes. XXXVIII, 3.

TRACTATUS III.

IN QUO AGITUR QUALITER TOTUS CHRISTUS TAM SUB FORMA PANIS, QUAM SUB FORMA VINI CONTINEATUR.

CAPUT I.

Opiniones quorumdam recitat qualiter Christus sub speciebus sacramentalibus contineatur.

1. Modo secundum formam superius habitæ divisionis dicere debemus qualiter totus Christus tam sub forma panis quam sub forma vini contineatur.

De hoc apud antiquissimos tres fuerunt opiniones, quæ etiam tam in libro quarto *Sententiarum*, quam in *Decreto* [1] sunt descriptæ.

Una autem et prima illarum opinionum est, quod Christus tam sub forma panis quam sub forma vini non continetur nisi sub signo sacramentali.

Secunda opinio est, quod Christus secundum veritatem corporis et animæ continetur sub forma panis et sub forma vini, ibidem sub eisdem formis remanentibus substantiis panis et vini, quæ existentiæ Christo ibidem non obstant : quia Christus secundum totam veritatem corporum et animæ bene est cum alio corpore in eodem loco, sicut quando ostiis clausis ad discipulos intravit, et quando irrupto, hoc est, non aperto sepulcri signaculo, de sepulcro surrexit : et secundum hanc opinionem color et sapor et quantitas et figura panis et vini sunt sicut in subjecto et in substantia panis et vini, sed ulterius significant refectionem spiritualem quæ est in corpore et sanguine Domini. Et hujus dant similitudinem : quia sic est in aliis sacramentis novæ legis, sicut in baptismo, ubi substantia aquæ salvatur, in qua sicut in subjecto sunt frigiditas aquæ et limpiditas et humanitas, quæ tamen in spiritu spiritualem significant ablutionem et tinctionem et refrigerationem. Similiter autem est in confirmatione, in qua in chrismate

[1] Vide de consec., dist. 2.

manent substantia olei et substantia balsami, in quibus sicut in subjecto est odor et pinguedo, quæ tamen in spiritu significant odorem gratiæ Spiritus sancti et unctionem quæ per Christum fiunt contra debilitatem quæ est ex fomite, et sic est in aliis sacramentis.

Tertia opinio est, quod Christus ut cibus spiritualis secundum veram existentiam corporis et animæ et spiritus et deitatis et omnium membrorum suorum totus continetur sub forma panis et sub forma vini totus, et non remanent ibi substantiæ panis et vini, quia nihil sub formis panis et vini continetur ibi, nisi veritas corporis Christi, et veritas sanguinis Christi, et formæ, scilicet sapor et color panis et vini sunt ibi sine aliquo subjecto, nec sunt ibi nisi ad significandum perfectum nutrimentum quod habetur ex corpore Christi et sanguine.

Istæ sunt omnes antiquorum opiniones, quæ circumstant hanc quæstionem, qua quæritur, qualiter Christus sub forma panis et vini continetur ? Secundum primam harum opinionum Christus secundum veritatem non continetur sub forma panis vel vini, sed signatur tantum reficere spiritualiter sicut panis et vinum reficiunt corporaliter. Secundum autem secundam opinionem continetur Christus sub illis formis, sed cum substantiis panis et vini. Secundum tertiam nulla ibi substantia continetur, nisi substantia corporis et sanguinis Christi et naturarum quæ sunt in Christo, etc.

2. Corpus Christi vere est in Eucharistia.

Opponitur autem contra primam opinionem [1] quod dicit Christus [2] porrigens panem discipulis : *Accipite, hoc est corpus meum.* Et similiter porrigendo calicem, dicit : *Hic est sanguis meus.* Hæc enim oratio non est vera, si id quod demonstrationi supponebatur, non fuit verum corpus et verus sanguis Christi : et sic in sacramento veritatis super quod tota fundatur Ecclesia, non videtur esse verum : quod est valde abominabile.

Adhuc objicitur contra istos de verbo Apostoli, 1 ad Corinth. x, 16 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ?* Hoc enim non est verum, si non sumitur sub forma panis corpus Christi, et si non sumitur sub forma vini sanguis Christi. Et sic non verum diceret Apostolus, quod est valde inconveniens in sacramento veritatis. Adhuc, quid esset necesse tantum apparatum facere pani et vino, quæ non nisi signarent corpus et sanguinem Christi ? Quia etiam sine tali apparatu panis per solam institutionem posset significare corpus, et vinum posset significare sanguinem. Adhuc, ad quid ad hoc ordinarentur sacerdotes, et ad quid ad hoc consecrarentur altaria et templa et cætera quæ ad ritum et cultum altaris pertinent, si nihil in his fieret nisi quod benediceretur ibi panis, qui corpus Christi non nisi significaret, et vinum quod non nisi significaret sanguinem Christi ? Adhuc autem, adoratio et veneratio quæ fit a populo, puræ exhiberetur creaturæ. Et sic in omni Missa fieret idololatria : quia cultus debitus creatori, puræ exhiberetur creaturæ : quod valde nefarium est dicere.

Propter hæc et hujusmodi constanter dico, quod illa opinio non est opinio, sed hæresis manifesta et condemnata, et deberet comburi liber in quo continetur. Et quamvis ipsi respondeant ad omnia prædicta aliqualiter modis responsionis de quibus nullus penitus debet curare Christianus, tamen constantissime dicendum est, quod hæretici sunt, qui tenent illam opinionem : quia pro certo nulla Catholica responsio ad ea quæ jam objecta sunt,

[1] De hac prima opinione vide IV Sententiarum, Dist. X, Art. 1. Tomo XXIX hujusce novæ editionis nostræ.

[2] Matth. xxvi, 26 et 28 ; Marc. xiv, 22 et 24 ; Luc. xxii, 19.

potest adhiberi. Si enim dicatur quando dicitur : *Hoc est corpus meum*, quod sensus sit : Hoc quod est significatum per hoc quod est corpus meum : tamen pro certo quod dicitur, nihil est : quia pronominis demonstratio non potest denotare demonstrationem ad oculum, nec demonstrationem simplicem, nec aliquis modus locutionis ibi potest denotari. Quod enim non notet demonstrationem ad oculum, patet : quia illi qui hoc dicunt, Christum sub forma illa dicunt non contineri. Quod etiam non notet demonstrationem simplicem, patet : quia demonstratio simplex ad minus requirit idem specie, sicut quando demonstratur ruta, vel alia herba, dico, hæc herba crescit in horto meo, eo quod similis in specie in horto meo crescit. Hic autem nihil simile est : quia nec corpus Christi secundum istos est ibi, nec aliquid sibi simile in specie : et sic pronomen oportet cadere a demonstratione, quod penitus est ridiculum. Unde illam primam opinionem hæreticam esse pronuntiamus.

Et si dicatur, quod in *Decreto* et *Sententiis* continetur, dico quod in his libris non continetur ut determinata veritas, vel sicut opinabilis probabilitas, sed sicut per disputationem condemnanda hæretica falsitas : tamen in scientia sacramentorum non multum attendenda est sententia Decretistarum : quia pro certo multa falsa de cordibus vel talibus scribunt, et dicunt, eo quod sunt homines ignari in sacra Scriptura, nescientes originalia sanctorum, nec possunt non peccare docentes in fide Catholica quæ ignorant, etc.

Hac ergo opinione rejecta tamquam hæretica et immunda, videamus de secunda, quæ dicit substantias panis et vini ibi manere, et cum illis substantiis in forma panis et vini esse corpus Christi et sanguinem secundum substantiæ suæ veritatem. Isti enim pro se duas fortes rationes inducunt, et tria signa, quibus id persuadere nituntur quod dicunt.

Una autem illarum rationum est : quia dicunt, quod ibi sunt accidentia, scilicet figura, quantitas, color, odor, et sapor, et ea quæ tanguntur, scilicet frigidum, siccum, et humidum, quæ sine subjecto esse non possunt. Cum igitur talia non afficiant corpus Christi, quod est quantitatis et figuræ humanæ, et non est rotundum parvum, nec habet colorem albi panis vel colorem vini, nec odorem vel saporem, nec tale humidum, vel siccum, vel frigidum, quale est in pane et vino, oportet quod illæ formæ et qualitates aliam substantiam aliquam afficiant. Nulla autem est ibi quam afficere possint, nisi substantia panis et vini. Ergo manent ibi substantiæ panis et vini cum veritate substantiæ Christi tam secundum deitatem quam secundum humanitatem.

Secunda ratio est : quia dicunt, quod Christus non est destructor substantiarum quarum ipse est creator et conservator, adducentes pro se illud Apostoli, ad Galat. II, 18 : *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo.* Et illud Ecclesiastici, XXXIV, 28 : *Unus ædificans, et unus destruens : quid prodest illis, nisi labor ?* Cum igitur nulla sit utilitas destructionis substantiarum panis et vini, eo quod Christus secundum veritatem suæ substantiæ secundum humanitatem et divinitatem cum eis sub eisdem formis esse possit, Christus sua præsentia non destruit illas substantias : nec est aliquid aliud in sacramento quod destruat eas : igitur manent illæ substantiæ panis et vini.

Signorum autem primum quod inducunt, est quod quando confectum est corpus Christi in altari, hoc satiat corporaliter esurientem et sustentat, si in magna quantitate ab homine sumatur : quod non faceret, si substantiam corporalem panis et vini non haberet. Secundum autem signum esse dicunt : quia frequenter invenitur, quod mus vel aliud animal de pyxide post consecrationem sumens, illo sustentatur : constat autem, quod mus et brutum corpore vel sanguine

Christi non reficiuntur : refici autem illa necesse est aliqua substantia : oportet ergo, quod reficiantur substantia panis, et substantia vini : sed non reficiuntur eis nisi maneant sub formis illis : igitur manent substantiæ panis et vini sub formis illis. Tertium autem signum, cui maxime innituntur, est quod post consecrationem panis sæpe putrescit in pyxide, ita quod decidit per partes, et saporem putrefacti contrahit : nihil autem putrescit, nisi substantia mixta : igitur ibi est substantia panis mixta, et similiter substantia vini. Corpus enim Christi et sanguis non putrescunt : accidens autem per se numquam putrescit : quia per se sumptum est forma simplex simplici et invariabili essentia consistens.

Hæ sunt potentes rationes quæ isti pro suæ inducunt opinionis assertione.

4. Opponitur autem et istis de verbis Domini. Cum enim dicimus : *Hoc est corpus meum*, quæritur ab eis, quid demonstrat pronomen ? Si enim dicatur, quod demonstrat substantiam panis, quam afficiunt formæ sensibiles quæ ad sensum demonstrantur, tunc locutio omnino est falsa : quia tunc demonstratum per pronomen est substantia panis : et constat, quod substantia panis non est corpus Christi : quia substantia panis inanimata est, et non viva, et non gloriosa. Corpus Christi et animatum est et vivum et gloriosum. Si autem dicatur, quod pronomine illo demonstratur substantia corporis Christi, hoc nullo modo stare potest : quia in nulla demonstratione demonstratur substantia, quando non afficiunt accidentia quæ sensibus subjiciuntur. Jam autem ante ostensum est et ab ipsa opinione concessum, quod accidentia sensibilia quæ ibi sentiuntur, ut quantitas, figura, odor, color, siccitas, et humiditas, nullo modo corpus Christi afficiunt : ergo substantia corporis Christi per pronomen non demonstratur : et sic aut nihil est quod dicit Christus : *Hoc est corpus meum*, aut simpliciter est falsum. Si enim demonstratur corpus Christi, tunc nihil dicit. Si autem demonstratur substantia panis, tunc simpliciter falsum est quod dicitur in locutione. Et similiter objicitur de hoc quod dicit : *Hic est sanguis meus*. Et hæc est objectio theologica et fortis contra istam opinionem.

Adhuc contra istos etiam objicitur ex ratione : quia si manent ibi substantiæ panis et vini, tunc accidentia quæ ibi sunt sensibilia, non ducunt per significationem nisi in refectionem talem qualem præstare possunt illæ substantiæ in quas ducunt : hæc autem est refectio corporalis : igitur non ducunt significando in refectionem spiritualem : et sic inutilia insunt sacramento : quia omnes formæ sacramentales ducunt in aliquam gratiam invisibilem, quæ confertur in sacramento.

Adhuc autem objicitur : Secundum hæc in celebratione sacramenti non deberet dici, ut nobis fiat corpus et sanguis Jesu Christi : sed potius sic deberet dici, ut hic cum istis substantiis sub eisdem formis accidentium veniat corpus et sanguis Domini nostri Jesu Chrisii. Et secundum hoc Ecclesia male instituit hoc sacramentum celebrandum.

Propter ista et his similia multa quæ objici possunt, dico sine præjudicio, quod numquam mihi placuit ista opinio, quæ quamvis non judicetur esse hæretica, tamen est valde incauta, et hæresi valde vicina. Non enim video, quin sequatur ex ea ad minus falsitas verborum Christi, sicut patet in objectione jam inducta : nulla enim locutio admittit, quod hæc sit vera : *Hoc est corpus meum*, quæ nullam causam habet veritatis nisi eam quam dicunt, quod corpus Christi est sub eadem forma cum substantia panis : quia secundum locutionis proprietatem sequitur, quod substantia corporis Christi est cum substantia panis sub eisdem formis : ergo hoc quod demonstratur, non est corpus Christi ; quia quando unum est cum altero in eodem, unum est diversum ab altero : quia

propter hoc quod duo dispartita sunt sub eodem, non propter hoc efficiuntur idem, sed manent dispartita. Et ideo subtiliter inspiciendo hanc opinionem, dico quod est valde incauta, et valde vicina hæreticæ pravitati: et ideo videtur mihi abjicienda.

3. Ad rationem autem primam quam pro se inducunt, videtur esse dicendum, quod substantiæ panis et vini ibi non manent.

Quod autem objicitur, quod multum sumpta nutriunt ea quæ sunt in altari. Dico, quod nutriri contingit dupliciter, scilicet ad satisfactionem desiderii famis et sitis, et ad restaurationem substantiæ deperditæ. Dico igitur, quod ex solis accidentibus odoris et gustus et tactus bene fit nutrimentum ad satisfactionem desiderii famis et sitis: sed non fit ibi restauratio deperditi: quia non est ibi substantia corporalis nutrimenti quæ deperditum restauret: cum jam probatum sit in libro primo de *Generatione et corruptione*, quod non restaurat deperditum nisi quod est potentia caro et fit actu caro, hoc autem est substantia et non forma accidentalis.

Si autem objicitur, quod aliquis per longum tempus sustentatur comestis hostiis consecratis. Dico, quod ille nutritur hoc modo, quia accidentia tenent calorem naturalem, ne corpus consumatur, et non restaurant deperditum. Tamen quosdam vidi non parvæ litteraturæ viros, qui ad istam objectionem respondebant dicentes, quod in veritate in ipsa sumptione non est ibi substantia panis et vini, sed tantum substantia corporis et sanguinis Christi: sed post sumptionem corporis Christi in ipso stomacho, in ipso subjecto sub accidentibus saporis panis et vini redit iterum substantia panis et vini: et tunc corpora sic sumentium corpus Domini et sanguinem, substantiis panis et vini redeuntibus nutriuntur ad corporis nutrimentum et deperditi restaurationem. Sed quia hæc opinio nec auctoritate probatur, nec ratione fulcitur, ideo istam reputamus confictam opinionem: quia dicit Philosophiæ id III *primæ philosophiæ*, quod fictum est coactum ad positionem. Et ideo dicendum videtur, sicut prius dictum est: hoc enim nec naturæ valde est contrarium, nec repugnat rationi. Si enim natura in primo statu ante peccatum consideretur in primis parentibus in quibus ab ipso conditore corpus humanum debitam accepit quantitatem, tunc oportet dicere, quod si in tali statu primi parentes comedissent, cibus ille in veritatem corporum ipsorum secundum veritatem substantiæ cibi non transivisset, et tamen per saporem et odorem et hujusmodi qualitates sensibiles naturam et substantiam corporis aluissent: et quia hoc omni homini constat, dicendum videtur, quod in cibo quem spiritualiter signat lignum vitæ, non est substantia nisi corporis Domini, sed formis cibi illius exterioribus corpora sustentantur comedentium.

Et sic respondendum est ad illud quod inducunt pro signo primo: non enim magnum est si Christus facit in gratiæ sacramento, quod fecisset omni cibo in natura hominis, si peccatum non intervenisset: tunc enim nulla deperditio facta fuisset in corpore: et ideo nullam restaurationem accepisset corpus ex cibo, sed ex qualitatibus sensibilibus ciborum fuisset tenta substantia, ne posset dissolvi.

De secundo autem signo dicimus, quod mus non accipit corpus Christi, sicut nec aliud animal, sed potius statim dissolutis formis accidentalibus sensibilibus sacramenti, non est ibi amplius Christus. Dissolutio antem formarum fit vel in ore muris, vel collo, vel stomacho, vel in aliis visceribus muris: et tunc nullo modo est ibi Christus. Quamdiu autem sunt ibi formæ sensibiles quæ discerni possunt sensu, tamdiu est ibi Christus, et non amplius.

Ad hoc autem quod dicit de nutrimento muris et sustentatione per cibum talem,

dico quod hoc non est expertum, nec est experiendum : quia maximum esset peccatum. Si autem instent quærentes, quid fieret si hoc aliquis experiretur? Dico, quod tunc mus vel aliud animal nutriretur ad substantiæ conservationem, et non ad deperditi restaurationem, sicut diximus etiam de hominibus.

Quod autem in tertio signo inducunt, non est difficile solvere : quia putredo et corruptio bene accidunt formæ quæ ponitur ens sensibile. Forma enim dupliciter consideratur, scilicet in se prout est essentia simplex, et sic est verum, quod invariabilis est. Consideratur etiam in esse sensibili : et hoc fit tripliciter, scilicet in materia corporis sensibilis, et in medio sensus, et in ipso sensu vel sensus organo. Et in materia quidem corporis sensibilis alterat et secundum esse alteratur, et generatur et corrumpitur secundum esse. In medio autem sensus existens secundum hoc esse quod habet in medio ut in medio, non semper alterat actione physica : quia color glaciei ex hoc quod est glacies, non infrigidat vel medium, vel sensum, et similiter color ignis non est combustivus, sicut nec figura ignis : non tamen est simpliciter inalterabilis, quia venti aliquando sicut soni projiciuntur et odores et hujusmodi : cum tamen in medio tales formæ non sint sicut in subjecto. Est enim medium in quo est forma sine materia ad animæ operationem sensibilem : et tale esse non habet forma sensibilis a natura medii in quantum est aer, vel aqua, vel aliqua elementaris natura, sed potius ab eo habet quod est in medio ex convenientia cum perpetuo superiori corpore, hoc est, cœlesti, cujus operatione omnes formæ corporeæ constituuntur. Adhuc autem simplicius habet esse forma sensibilis in organo sensus, in quo sine omni appendentia materialis subjecti recipitur, sicut cera sigillum absque eo quod aliquid recipiat de materia sigilli, vel accidentibus materiæ : et tamen in illo esse accepta forma sensibilis non est invariabilis, sed multas sustinet variationes secundum variationem organi et spiritus sensibilis qui est in organo. Dico igitur, quod esse quod habet in sacramento, est simile isti esse quod habet in medio, et ei quod habet in sensu : quia in illis est sine materia subjecti : et sicut variatur motu et corruptione in medio et sensu, ita etiam non est inconveniens, quod varietur in sacramento.

Ad rationes autem quas hæc opinio pro se inducit, opportunum erit inferius respondere.

6. In Eucharistia remanet corpore Christi substantia panis et vini.

Tertiam igitur prosequentes et amplectentes opinionem, quia illa fidelis est et vera, dicimus quod illa fulcitur tribus rationibus fortissimis [1]. Quarum una sumitur ex veritate verborum veritatis, quibus dicit : *Hoc est corpus meum*. Et, *Hic est sanguis meus*. Sicut enim dicunt Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus, et Joannes Damascenus, verbum Christi non est imperfectum sicut verbum nostrum. Nostrum enim verbum non est nisi angelus intelligentiæ contemplativæ, quod nihil facit in rebus, sed potius conceptus ejus a rebus causatur. Verbum autem Filii Dei est angelus intelligentiæ universaliter activæ, et suo lumine res omnes constituentis et facientis : et ideo verbum illius agentis intelligentiæ, quod in se vehit lumen illud quod omnia constituit, est causa eorum mutativa, creativa, et constitutiva, sicut dicitur in Psalmo XXXII, 9 : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt*. Et iterum, ℣. 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt*. Et, Genes, I, 3 : *Dixit Deus : Fiat lux*. Et sic dixit ut omnia fierent per ordinem sex dierum, hoc est, Verbum ab æterno genitum, quod lucem omnia constituentem omnibus creaturis ut in esse constituerentur, invexit. Sic Filius incarnatus verbum vocis in miraculis protulit, quod

[1] Cf. IV Sententiarum, Dist. XI, Art. 8. Tomo XXIX hujusce novæ editionis nostræ.

creaturas corruptas etiam ad esse reduxit. Et hoc est Verbum quod est nuntius vel angelus intelligentiæ divinæ universaliter agentis, in quo intelligitur Deus loquens, et non aliqua creatura : et ideo talibus verbis in quibus increatum Verbum vehitur, et lumen intelligentiæ agentis, redarguit cæcitatem Judæorum. Joan. VIII, 43 et 42, dicitur : *Quare loquelam meam non cognoscitis ?... Ego enim ex Deo processi, et veni,* ut res mutans verbo et constituens creaturas novas : et quia tali verbo locutus est Christus, cum dixit : *Hoc est corpus meum*, oportet de necessitate, quod hoc verbum substantiam panis in esse corporis Christi transsubstantiaverit. Et hæc est ratio firmissa et Catholica, et non est contraria philosophiæ, dummodo aliquis bene sciat primæ causæ virtutem et rationem.

Secunda autem ratio super quam fundatur hæc opinio, est : quia si maneret substantia panis et vini, cum omnia accidentia quæ afficiunt aliquam substantiam, familiarius et naturalius ducant in substantiam quam afficiunt, quam in aliam, accidentia quæ ibi remanent, non ducerent nisi in nutrimentum corporale : et sic Christus non bene diceret, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Sed potius deberet dicere : Panis substantia quæ subest accidentibus, vere est cibus, et signat cibum spiritualem ex corpore meo, quam quod dicit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Tertia autem ratio est etiam sumpta ex verbis Domini : quia secundum hoc sacramentaliter non sumeretur corpus Domini, sed potius sub significatione sumptionis panis significaretur sumi corpus Domini. Hæc autem est sumptio spiritualis : et ideo periret tota manducatio sacramentalis : quia licet Christus secundum hoc esset in sacramento, non tamen esset consequens, quod sumeretur in sacramento : quia sæpe in talibus contingit, quando duo simul sunt, quod sumpto uno non propter hoc sumitur reliquum : quia non sunt ita simul, quod unum sint et idem : et quod accidit uni, accidat et reliquo.

Signa etiam duo ponit per se hæc opi- 7.
nio. Unum quidem est quod ab omnibus sanctis communiter determinatur, quod est fractio corporis Christi, sicut a nobis in præcedentibus est determinatum : et quia hæc fractio non est nisi in formis et accidentibus circumstantibus corpus Christi. Si autem ibi maneret substantia panis et vini, tunc procul dubio fractura non esset in solis formis et accidentibus, sed esset in substantia panis : et hoc est contra communem Ecclesiæ et sanctorum traditionem.

Secundum signum est fortissimum et efficax : quia cum in omni sacramento quoddam sit quod sit signum tantum, et quoddam quod sit res tantum, quoddam autem quod sit signum et res, si ita esset ut prima et secunda opinio dicunt, in hoc sacramento essent vel duo tantum, vel quatuor. Quia si concedatur corpus Christi sub forma panis non contineri, sicut dicit prima opinio, tunc pro certo non nisi duo sunt in sacramento, scilicet id quod est signum tantum in forma panis et substantia, et quoddam quod est res tantum in gratia significata, et corpus Christi non esset ibi : et ideo non esset res et signum. Si autem secundum opinionem secundam concedatur ibi esse corpus Christi cum substantia panis, tunc pro certo formæ sacramentales erunt ibi signa tantum, et substantia panis erit ibi res et signum, et corpus Christi res et signum, et gratia sacramentalis significatum tantum : et quodlibet istorum est inconveniens. Si autem dicatur, quod forma panis cum substantia sit ibi signum tantum, sicut in baptismo signum est aqua cum omnibus aquæ proprietatibus, tunc corpus Christi nihil est ibi : quia virtus verborum secundum hoc nihil facit ibi : quia non transsubstantiat panem in corpus

Christi : et ideo tunc corpus Christi nihil est de sacramento, quod plane est hæresis. Et si dicere velit aliquis, quod virtute verborum ibi efficitur corpus Christi sicut in loco cum substantia panis, hoc penitus nihil dictum est : quia sacramentum novæ legis omnino nihil causat nisi quod signat et figurat. Cum autem dixit Christus : *Accipite, hoc est corpus meum*, non significatur in forma sacramenti, quod ibi sit corpus Christi cum alio corpore in eodem loco, sed potius hoc demonstratur, quod sub forma panis sit corpus Christi veraciter et substantialiter : ergo et ita causatur : quia in sacramento novæ legis semper modus significationis refertur ad modum causationis. Et sic patet, quod tertia opinio est vera : quia hoc secundum signum optime et naturaliter declarat naturam et virtutem sacramentorum novæ legis : quia, sicut dicit Augustinus, in hoc differunt a sacramentis veteris legis, quod efficiunt et figurant.

Hæc igitur sunt quæ pro ista inducuntur opinione.

8. Ea autem quæ contra istam sunt opinionem, sunt ea quæ pro se induxit secunda opinio.

Quomodo accidentia manent in Eucharistia sine subjecto?

Et ad rationem quidem primo inductam contra istam opinionem, et pro illa, dicimus quod hoc dictum, quod accidentia sint sine subjecto [1], dicimus quod hoc secundum aliquod est possibile, et secundum aliquod impossibile. Si enim dicatur, quod accidentia habeant esse quoddam sine subjecto, in quo accidentalis forma est, sicut forma materialis, prout habet contrarium ad agendum et patiendum, dicimus quod hoc est valde possibile : quia sunt in medio secundum esse medii, et sunt in organis sensuum secundum esse intentionale. Neutro enim istorum modorum habent contrarium, nec agunt, nec patiuntur ab invicem : et tamen in esse tali stant ad sensibilem cognitionem faciendam. Et dico, quod hoc modo sunt in sacramento circa corpus Christi, velantes ipsum, et significantes quoniam ipsum est vere cibus.

Si autem dicatur, quod accidentales formæ sint ibi sine omni eo in quo habeant aliquod esse sensibile, concedo quod hoc est impossibile : quia dicit Philosophus, quod accidens est, quod cum sit in aliquo, non est in eo sicut quædam pars, et impossibile est esse sine eo in quo est.

Quod autem secundo pro se et contra istam objiciunt opinionem, non est difficile respondere : quia Christus non est destructor substantiarum quas condidit : non enim destruitur substantia panis et vini in sacramento, sed potius transsubstantiatur in multo melius : quia in corpus Christi transsubstantiatur substantia panis, et in sanguinem substantia vini : et hoc non est destruere substantias, sed potius exaltare et nobilitare. Hoc autem qualiter fiat, in ultimo tractatu, ubi loquemur de hoc cibo in quantum est in genere sacramenti, plenius patebit : sed hoc modo sufficit, quod nullo modo dicimus, quod substantiæ aliquæ destruantur per sacramentum, quas condidit Christus auctor et instaurator et propugnator naturæ : magnæ enim esset imperfectionis et infirmitatis, si non nos posset pascere Christus spiritualiter, nisi destrueret substantias nos corporaliter pascentes.

Omnia igitur quæ secundum antiquorum tres opiniones dicenda esse videbantur, fideliter annotavimus, in quibus vis aliqua esse videbatur, et tertiam elegimus opinionem, et dicimus illam esse tenendam, etc.

9. Secundum hanc igitur dicimus, quod nihil reficiens corporaliter est in sacramento, quamvis sit in eo signum corpo-

[1] Cf. IV Sententiarum, Dist. XI, Art. 16 et Dist. XIII, Art. 9. Tomo XXIX hujusce novæ editionis nostræ.

rale refectionis. In hoc autem tria sunt consideranda, scilicet qualiter Christus ut refectio spiritus, totus sub formis sacramentalibus contineatur. Et propter quid talem modum sibi assumpsit, ut sic sub talibus formis contineatur. Et quis sit modus continentiæ sub talibus formis. Hæc enim omnia valde sunt difficilia : et tamen oportet, quod enucleentur : quia in his veritas fidei continetur.

Dicunt enim quidam circa primum horum trium, quod Christus sic sub formis sacramentalibus continetur, quod ubi est pars, ibi est totum. Et hoc quidem beatus Hilarius dicit. Si autem hoc est verum, quod ubi est pars, ibi est totum, tunc ubi est oculus, ibi est totus Christus : ergo totus Christus est in oculo Christi. Adhuc autem si ubi est pars, ibi est totum, tunc verius est, quod ubi est totum, ibi est pars quælibet Christi. Conjungamus ergo has duas, scilicet quod ubi est pars, ibi est totum : et ubi est totum, ibi est quælibet pars Christi. Ex his autem duabus sequitur, quod ubi est oculus, ibi est quælibet pars Christi : et ubi est quælibet pars, ibi est pes : ergo a primo ubi est oculus Christi, ibi est pes : ergo Christus vel pedem habet in oculo, vel oculum in pede : et hæ abusiones videntur sequi de ista suppositione.

De secundo autem fere ab omnibus dicitur, quod talem modum essendi sub formis sacramentalibus assumpsit, ut se cibum verum et potum verum esse significaret. In omnibus autem cibi generibus in parte non significatur cibi refectio perfecta, sed in toto, et forte non in toto, nisi sufficiens sit totum ad cibi refectionem. Cum ergo Christus sit omnibus et singulis perfecta refectio, videtur quod Christus ut perfectio refectionis non in toto et in parte contineatur.

De tertio autem valde fortiter objicitur, quod Christus secundum veritatem et quantitatem suæ staturæ non potest esse in loco breviori et strictiori quam ipse est : et cum forma panis sit valde parva, et ipse in triginta annorum proceritate, videtur quod in tam parvo loco contineri non potest. Adhuc autem nihil est in aliquo ut in loco nisi cui principium, medium, et finis in loco assignantur. Si ergo Christus sub tali specie est sicut in loco, tunc in aliqua parte illius speciei est caput, et in alia pedes, et in alia manus : quæ omnia sunt abusiva.

Et ideo ad hæc et his similia dicimus, quod pro certo sola tertia quam induximus, opinio est vera et Catholica.

10. Qualiter totum corpus Christi sub tantilla forma contineatur in sacramento ?

Et quod quæritur, qualiter sive secundum quem modum totus Christus sub formis sacramentalibus contineatur [1] ? Dico cum Innocentio Papa III, quod Christus secundum tria quæ sunt in ipso, tribus modis refertur ad ea in quibus est. Est enim deitas in Christo, secundum quam ipse est verus Deus, et sic est ubique in omni loco non localiter, sed est in omni loco essentialiter, præsentialiter, potentialiter. Essentialiter quidem sicut omnis essentiæ quæ locus est et omnis essentiæ quæ in loco est, principium et fons continue manans, a quo si continue non manaret, ex tunc omnia in nihilum reciderent, sicut de nihilo facta sunt. Præsentialiter autem : quia notitiæ suæ cuncta sunt præsentia. Potentialiter autem : quia potentia sua contenta et mota et moventia sunt, sicut dicit Gregorius, quod intra omnia est, non inclusus, sed includens : et extra omnia, non exclusus, sed nulli per esse et essendi modum immixtus : et super omnia, non extra latus, sed per eminentiam excedens omnia : et infra omnia non est depressus, sed continentia omnia penetrans in infinitum. Habet etiam Christus humanam in se naturam, per quam verus est homo secundum animam et corpus, et sic est in loco localiter circumscriptus, cui principium, medium, et finis in loco

[1] Cf IV Sent ntiarum, Dist XIII, Art. 10. Tomo XXIX hujusce novæ editionis nostræ.

assignantur, et sic aliquando fuit in terra, et ante resurrectionem, et post resurrectionem, et nunc est in cœlo taliter secundum figuram humani corporis in loco circumscriptus, ita quod omnia membra ejus ordinem positionis habent in loco tali, et quod unum membrorum suorum non est in eodem loco cum alio, sed potius sicut membra sua ordinem positionis habent in loco totius corporis. Assumpsit etiam Christus propter nos formam cibi et panis, sicut in ante habitis diximus : et sic Christus in veritate præsentiæ suæ deitatis, et in veritate præsentiæ suæ humanitatis totus est in sacramentalibus formis, et vere cibus et vere potus, et est in formis illis sicut in signo tantum significante eum ut cibum et continente, non sicut in signo tantum significante, sicut dicit prima opinio, sed potius sicut in signo, quod utrumque facit, quod scilicet signat eum et continet.

Si autem quæratur, unde habet hæc tria Christus? Dicendum, quod habet ea secundum quod est Deus, corpus, et fidelium vere cibus. Sicut igitur attributa corporeæ humanitati Christi, non conveniunt divinitati Christi : ita attributa loco corporeo humanitatis Christi, non conveniunt loco divinitatis Christi. Et sicut attributa Christo ut est cibus, non conveniunt figuræ humanitatis Christi, quia non conveniunt figuræ corporis dividi, frangi, dentibus atteri, quæ etiam non conveniunt divinitati Christi : ita quæ assignantur secundum locum formarum sacramentalium, non conveniunt ei secundum locum figuræ corporalis, nec omnino conveniunt ei secundum locum divinæ naturæ : sed tamen illa cum loco figuræ corporalis conveniunt in hoc quod formæ quantitatis corporalis locum corporalem exigunt. Cum loco autem qui divinitati convenit, in hoc assimilatur, quod est in toto loco totus, et in qualibet parte hostiæ fractæ totus : sed differt a loco corporeæ figuræ in hoc quod descriptive non est in loco sacramentali, ita quod medium et principium et finis assignantur ei secundum locum figuræ corporali debitum : et hoc non convenit ei secundum locum formarum sacramentalium. Differt autem a modo secundum quem ut Deus est in loco : quia est intra formam sacramentalem inclusus et contentus, et non extra ubique : secundum formam autem Dei non est ita intra aliquid, quod non sit etiam extra in omnibus aliis. Hæc autem est vera et certa fidei determinatio. Non enim est admirabile si Christus secundum plures formas naturaliter habitas vel assumptas diversimode refertur ad locum.

Si autem quæratur, qualiter Christus 11
sine contractione suæ corporeæ quantitatis potest in tam parvo loco contineri, sicut est hostia, vel hostiæ fractura? Dicimus, quod habet hoc ut cibi formam assumens. Cibi enim veritas in pane, et in vino potus veritas in toto et in parte æqualiter, et secundum unam rationem significatur et continetur : eo quod panis et vinum homogenia sunt, hoc est, similia et unius rationis in toto et qualibet parte ipsorum : et ideo si Christus esset in toto totus, et non in qualibet parte totus, non veram formam cibi, et non veram formam potus assumpsisset : quod est absurdum, cum ipse dicat, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Hoc igitur de hoc est dicendum et firmiter credendum et nullatenus dubitandum.

Quod ergo objicitur ex verbis beati 12
Hilarii, quod ubi est pars, quod ibi est totum [1], dicendum quod hoc non bene inductum est in objectione. Hilarius enim intendit, quod ubi est pars formæ sacramentalis fractæ, ibi est totum quod

[1] Cf. IV, Sententiarum, Dist. XIII, Art. 13. Tomo XXIX hujusce novæ editionis.

est Christi in omni totalitate suæ divinitatis et humanitatis : et non intelligit sicut proponitur, quod ubi est pars corporis Christi secundum locum partis quæ est pes, vel manus, vel oculus, quod ibi in positione loci et situs membrorum Christi sit tota figura corporis Christi. Et est in argumentatione apparente fallacia accidentis : quia quod attribuitur Christo secundum locum circumscriptionis figuræ humanæ corporeæ, eidem attribuit secundum hoc quod ut cibus continetur in sacramento.

Per idem patet solutio ad sequens quod inducit argumentum : quia illa duo argumenta fundantur super idem.

13. Ad illud autem idem quod secundo quæritur, dicimus quod in veritate Christus formas sacramentales cibi et potus non propter aliud assumpsit, nisi ut se perfectionem refectionis fidelium esse significaret. Regulariter autem verum est in omnibus sacramentis novæ legis, quod formæ sacramentales tantum continent de eo quod est res et sacramentum, quantum significant, sicut in baptismo et confirmatione, quantum significationis est in formis sacramentalibus aquæ et chrismatis, tantum ipsa signa continent de charactere : sed non est regulariter verum, quod semper tantum contineant de eo quod est res tantum, quantum signant : quia rem quam deberet continere sacramentum de sui virtute et sanctificatione, aliquando excludit fictio in eo qui suscipit sacramentum. Aliquando etiam est talis res significata, quæ non sola sacramenti susceptione potest acquiri, sicut baptismus per nitorem tinctionis æternam signat beatitudinem animæ et corporis, quæ non sola susceptione sacramenti habetur, sed etiam per merita bonorum operum et exercitia virtutum. Et in his duabus rebus significatio formarum sacramentalium aliquando excedit sacramenti causalitatem et continentiam, sed numquam excedit continentiam respectu rei quæ est res et sacramentum : et ideo cum in sacramento altaris Christus Deus et homo sit res et sacramentum, oportet quod formæ sacramentales de Christo tantum contineant, quantum signant. Signant autem refectionem æqualiter in toto, et in qualibet parte, si totum in partes frangatur. Continetur igitur Christus totus in toto, et in qualibet parte.

Ad objectum autem quod in contrarium adductum est, dicendum, quod illa objectio non procedit, quod spirituali cibo attribuatur id quod est corporalis cibi in quantum est corporalis. Ille enim sub mensura cujusdam quantitatis perfectæ reficit : et si diminuatur illa quantitas, dat refectionem imperfectam. Spiritualis autem cibus secundum perfectam reficiendi virtutem et potentiam et totalitatem in toto continetur æqualiter et in qualibet parte.

Et si objiciatur, ut jam dictum est, quod formæ sacramentales sunt sicut signa : et sic quod est in signis, debet esse in re contenta. Dicendum quod in proprietate reficiendi sunt signa, sed multas alias habent proprietates, secundum quas nihil signant in sacramento, sicut quod corporales, quod corruptibiles, quod siccæ, quod frigidæ, quod albæ, vel rubæ, vel hujusmodi : et his proprietatibus ad rem sacramenti non referuntur.

14. De hoc autem quod tertio quæritur, quis sit modus continentiæ Christi sub formis illis? Dicendum quod ille modus est jam determinatus, et est mixtus partim ex continentia signi, et partim ex continentia loci, et ipsa continentia loci partim convenit loco deitatis, et partim differt ab ea, et partim convenit cum loco figuræ corporis sui, et partim differt ab ea. Cum continentia enim signi habet convenientiam, quia ut refectio continetur in eo : cum continentia autem loci habet convenientiam, quia secundum veritatem continetur in forma illa Christus, et non extra eam continetur sacramen-

tali continentia : cum deitate autem relata ad locum habet convenientiam, quia est in toto totus, et in qualibet parte totus : cum loco autem descriptivo corporali habet, quia est capacitatis quantitativæ, sicut in ante habitis diximus : et cum hoc gratia, id est, propter diversa diversorum quæ sunt in Christo, conveniant, non licet attribuere alicui eorum quod convenit sibi ratione alterius : et si fiat, incidit fallacia accidentis, vel figuræ dictionis ex commutatione modi prædicandi.

Ad objectum autem in contrarium, dicendum quod sine contractione sui est in tam parvo toto et etiam in minima ejus parte si ad minima frangatur. Et si quæratur, quomodo hoc potest esse ? Dicimus, quod hoc est de exigentia sacramenti, quod aliter perfectum non esset, sicut ante dictum est. Isti enim sacramento attribuitur continentia corporis divini et cibi : et ideo quæcumque faciunt ad hoc, debent sibi attribui et non alia. Corporis autem divini est esse in pluribus locis simul : quia est in cœlo et in quolibet altari. Et hoc non convenit corpori simpliciter accepto non divino. Corporis etiam divini est intrare clausis signaculis, exire sine fractura, et compressione sui, et sine fractura corporis per quod transit, et sine compressione. Et sic istius corporis Dominici ut cibi est esse sine sui contractione in toto et in qualibet parte. Has enim potestates exercet deitas in humanitate ad suæ gloriæ et majestatis demonstrationem : quia, sicut dicit Damascenus, quamvis natura divina et humana in Christo suis characteristicis idiomatibus, hoc est, distinctivis proprietatibus sint distinctæ, ita quod una est æterna, impassibilis, immortalis, et hujusmodi habens : alia autem temporalis, passibilis, et mortalis : tamen in operationibus, sicut idem dicit Damascenus, se invicem circumcidunt, sicut ad tactum humanitatis mundatur leprosus operatione deitatis incedentis in operationem humanitatis : et sic vere in omnibus signis videtur : ita etiam in continentia formarum in sacramento quæ Christum continent, incedit divinitas præservans a contractione et diminutione et figuræ humanæ aliqua immutatione.

Ad aliud autem quod inducitur, responsio patet per prædicta.

CAPUT II.

Veritatem determinatam ex propriis illustrat.

1. His itaque ad determinationem veritatis expeditis, ludendo in hac veritate, dicimus quod Christus in sacramentalibus formis continetur, ut in loco suæ gloriosissimæ habitationis, ut in aula dulcissimæ refectionis, ut in atrio vel mysterio spiritualis mactationis et immolationis, et sicut in nexu amicissimæ connexionis Dei et hominis.

Christus in sacramentalibus formis continetur, ut in loco suæ gloriosissimæ habitationis.

Et de primo horum modorum advertendum est, quod in nullo loco suæ habitationis ita certitudinaliter et infallibiliter invenitur, sicut in hujusmodi loco suæ habitationis. III Regum, VIII, 12 : *Domi-*

nus dixit ut habitaret in nebula. Nebula autem hostia sacramenti vocatur, ex quo dixit et statuendo fixit, omni tempore gloriosus et certitudinaliter in hoc loco invenitur. Ezechiel. XLIII, 7 : *Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.* Auferant ergo a me abominationes suas : quia non decet ut ad locum gloriæ meæ, ubi cum eis habito, homo immundus et abominabilis accedat. Dictum est enim Moysi, Exod. III, 5 : *Ne appropies, inquit, huc, sed solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Pedes enim animæ sunt intellectus, quo pede graditur ad veritatem : et affectus, quo pede graditur ad virtutem. Quamdiu isti pedes pecuali pelle per placentiam pecorinarum delectationum cincti sunt, ad locum istum non licet appropinquare. Si autem pecorina pellis abjecta est nudo et simplici intellectu per fidem, et nudo et simplici affectu per devotionem, tunc demum admittimur ad gloriosæ habitationis accessum : quamvis enim terra sit corpus Christi, quia propter nos de terra sumptum, tamen ad miram sanctitatem hujusmodi terra provecta est, dicente propheta : *Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum* [1]. Quia sanctum sanctorum Christum in se et suis ad mirabilem gloriam provexit in hoc loco.

Nobiscum est velatus pariete specierum sacramentalium, nostram devotionem prospiciens, et per fenestras revelate nos respiciens. Cantic. II, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Per cancellos autem vel fenestras prospiciens non videtur quando videt. Ita in sacramento videt nos Dominus, quamvis non videatur a nobis. Sunt autem fenestræ per quas in sacramento fertur ad nos veritas, et sunt cancelli per quos nobis interlucet virtutum Christi bonitas, quibus viis ad nos suæ lucis dirigit radios Christus, quamvis nos eum non nisi velatum videamus.

Hoc est tabernaculum quod fixit Deus, et non homo, sicut dicitur, Isa. XXXIII, 20. In quo tabernaculo veraciter habitat Christus Deus et homo. Ad Hebr. IX, 11 : *Per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis,... introivit semel in sancta.* Quis enim hoc tabernaculum ita figere potuit, ut starent formæ accidentales sacramentales sine subjecto, nisi Deus? Pro certo nemo Quis in hoc tabernaculum ingredi potuit sine suæ quantitatis contractione, quod nullo modo est humanæ creationis nisi Deus et homo Christus? Profecto nullus. Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis : et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

Hoc est tabernaculum admirabile multis mirabilibus depictum, et ad excubias Dei perfectum, de quo dicitur in Psalmo XLI, 5 : *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.* Sic ergo sicut in loco gloriosissimæ habitationis Deus homo Christus habitat in his formis, de quo dicitur, Genes. XXVIII, 16 : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Et iterum ibidem, ℣. 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* De quo, Psalmista, Psal. XXV, 8, dicit : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.*

2. Ut in aula dulcissimæ refectionis.

Hæc etiam est aula dulcissimæ refectionis. Et hoc est quod dicitur, Luc. XXII, 11 : *Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis manducem?* Istud est enim diversorium ad quod in omni Missa divertit Christus, ut in eo refectionem paret discipulis, nec amplius Christus sustinebit illud improperium quod dicitur, Luc. II, 7 : *Reclinavit eum*

[1] Psal. IV, 4.

in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. In hoc enim diversorio semper sibi locus est ut discipulis suis hic paret epulationes : quamvis etiam istæ formæ sacramentales in quibus Christus ut cibus continetur, significari possint per præsepe in quo reclinatus est Dominus ut cibus jumentorum. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* Bos enim est sacerdos, et clericus terram cordium fidelium excolens, et asinus est laicus simplex onus Domini portans, et Domino stratus ut vehat et portet Dominum : et uterque cognovit Dominum suum ut cibum in hoc præsepe sibi esse propositum. Ad hoc præsepe ut bonum animal suspiravit dolens, cum dicit, Job, VI, 5 : *Numquid mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?* Quasi diceret : Non mugiet, sed fruetur dulciter cibo sibi præparato.

Hoc est cœnaculum quod ostendit homo, lagenam vel amphoram aquæ bajulans, de quo dicitur, Luc. XXII, 10 : *Ipse ostendet vobis cœnaculum magnum, stratum : et ibi parate*[1]. Ad hoc enim cœnaculum non potest ducere nisi homo : nec mundare potest accedentem, nisi amphoram aquæ portans : nec continere potest tantam præparationem, nisi cœnaculum grande : nec dignum est tanto Domino, nisi sit stratum et altum : nec ibi præparari potest convivium a quoquam, nisi a manibus discipulorum : hoc enim est, de quo dicitur, Eccli. XVII, 1 et 2 : *Deus creavit de terra hominum, et secundum imaginem suam fecit illum... Et secundum se vestivit illum virtute.* Ille enim qui ad imaginem Dei factus est, imitatur Christum faciem Patris in lumine intellectus et in debili memoria ipsius et dulci amore voluntatis : et ille secundum Deum vestitus est virtute, qui nihil brutale ostendit, sed tantum devotionem et contemplationem veritatis qua fertur in Deum : et ille scit ducere ad istam aulam spiritualis refectionis. Amphora autem aquæ expiationis est mundatio conscientiæ per lacrymas devotionis et compunctionis, ut expiatus et mundatus accedat, qui accedit. Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Vera enim vasa in quibus continetur Dominus, sunt formæ sacramentales panis et vini. Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote.* Hoc est quod dixit Abimelech sacerdos ad David, I Regum, XXI, 4 : *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus*, manducent. Et ibidem post pauca, ℣. 5 : *Si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudiustertius,... et fuerunt vasa puerorum sancta.* Cœnaculum autem sunt species sacramentales, in quibus cœli et terræ cœna continetur. Unde, Genes. VI, 16 : *Cœnacula et tristega facies in arca*, quæ signat corpus Domini. Cœnacula quidem ad cœnandum. Tristega autem, hoc est, tricamerata ad ordinem trium mensarum, in quibus tria reficiuntur genera hominum fidelium, scilicet Prælati, continentes, et conjugati. Continentes enim sunt, qui consilia quædam servantes ad quemdam modum religionis vitam suam ordinaverunt, hoc est architriclinium, in quo Christus exhibet vinum bonum[2], quod filiis gratiæ specialiter est in cœna Dominica reservatum.

Hoc cœnaculum est grande : quia grandia continet, quæ proponuntur. Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* I ad Corinth. II, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

Hoc, ut dicunt Patres, cœnaculum est altum in admiratione fidei et cognitionis. Unde, Marc, XIV, 13 et 14 : *Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequi-*

[1] Cf. Marc. XIV, 15 : *Et ipse demonstrabit vobis cœnaculum grande, stratum : et illic parate nobis.*

[2] Joan. II, 10.

mini eum, et quocumque introierit, etc. Ibi dicit Glossa : « Sequimini eum qui ducit in altum, ubi est refectio Christi. » Unde, Proverb. IX, 3, ubi sapientia parato convivio suo vocat invitatos, dicit sic : *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis.* Ancillæ quæ dicuntur ab ἀν quod est *circum*, et *cilleo*, *cilles*, quod est *moveor*, sunt qui continue circummoventur sacerdotes prædicatores et clerici Domini, qui vocantur in arcem admirationis altitudinis consilii Dei, quo ista cœna est parata. Mœnia autem civitatis sunt virtutum habitus et exercitia, quibus cives in Dei civitate suas conferunt habitationes. Judith, VIII, 5 : *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Puellæ ejus fideles animæ sunt intellectus et voluntas et memoria et ratio et hujusmodi, cum ascendimus ad arcem cœnæ Dei. Unde, I Regum, IX, 24, Samuel in triclinio excelso comedit cum Saul postquam inunxerat eum, dicens : *Ecce quod remansit, pone ante te, et comede, quia de industria servatum est tibi.* Iste enim cibus est, quia nos sibi incorporat, et nos incorporamur ipsum nobis, ut non pereat semper et remaneat fidelibus iterum sumendus, de industria sapientiæ Dei sit reservatus.

Hoc cœnaculum est stratum picturis lapidum planorum, hoc est, omni genere virtutum. Unde, Ezechiel. XLII, 3 : *Et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris.* Isa. LIV, 11 : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos.* Cor enim tranquillitate planatum, soliditate confortatum, diversitate virtutum picturatum, est cœnaculum stratum : quia sic Christus in atrio specierum sacramentalium contentus est pulcherrime stratus in manibus discipulorum, hoc est, sacerdotum ad ordinem sacerdotalem respicientium. Paratur cibus iste non manibus hæreticorum, vel aliorum formam Ecclesiæ in præparando non tenentium. I ad Corinth. X, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Officium enim sacerdotum non debent usurpare, nisi qui in forma et unitate Ecclesiæ constituti sunt ad hoc quod in hac cœna ministrent. Isa. LXI, 6 : *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri dicetur vobis.* Quod signatum est, I Regum, IX, 13, de Samuele, qui officium sacerdotis habuit : *Neque enim comesurus est populus donec ille veniat, quia ipse benedicit hostiæ, et deinceps comedunt qui vocati sunt.*

Sic ergo istæ formæ sunt aula dulcissimæ refectionis.

3. Ut in mysterio spiritualis mactationis et inviolationis.

Sunt etiam mysterium, hoc est, secretum spiritualis mactationis et immolationis. In hoc enim mysterio regnante cœlo æternaliter devotamus ad aram Ecclesiæ omni die mysterialiter mactandum et immolandum manibus ecclesiasticorum sacerdotum. Unde hæ species per ostium tabernaculi fœderis significantur, Levit. I, 3, et in multis aliis locis : quia illæ species atrium sunt sanctum, in quo immolatur Christus : super quam hostiam manus ponunt sacerdotes, qui opus sui exercent ordinis sacerdotalis, sicut præcipitur, Levit. VIII, 18, quod ponunt manus suas super caput hostiæ, hoc est, super corporis Christi confectionem, qui est caput omnis hostiæ. Ad hoc ostium tabernaculi omnes levatis in cœlum manibus respiciunt fideles, ut in illo cum Christo Patri offerantur Christo crucifixi et incorporati. Hoc est quod dicitur, I Regum, II, 36, in desiderio populi hunc cibum esurientis : *Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.* Unica enim et singularis pars sacerdotalis est hostia Christi corporis, ad quam populus admittitur ut buccella Dominici panis saturetur.

Hoc significatum est, Genes. XVIII, 1 et seq., ubi dicitur, quod in ostio tabernaculi sui sedit Abraham, cum vidit tres Angelos descendentes per viam, quibus tria sata farinæ similæ commixta fecit parari in subcinericios panes azymos. Ta-

bernaculum enim sunt species sacramentales, sub quibus scivit mysterialiter tempore revelatæ gratiæ spiritualiter immolandum esse Christum, et in serena luce fidei et fervore charitatis stabat quotidie adspiciens, ut particeps illius efficeretur. Et hoc in mysterio præsignavit in specie panis trium satorum, hoc est, corporis et animæ et deitatis hanc præsignans oblationem.

Hoc est ostium tabernaculi, de quo dicitur, Levit. IV, 4, ubi dicitur de vitulo qui immolatur pro peccato multitudinis, quod adducet illum, scilicet sacerdos, ad ostium tabernaculi, *ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino.* Et infra, ℣. 5 et seq. : *Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii : cumque intexerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum sanctuarii. Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii : omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocauri in introitu tabernaculi.* Hic enim vitulus signat hostiam corporis Dominici in sagina devotionis immolandum pro omnis mundi peccato, quæ ad ostium, ubi videri potest in tabernaculo Ecclesiæ, adducitur, cum ad videndum a tota multitudine a sacerdote in altari elevatur. Omnes autem seniores sive sapientes manum super caput ejus ponunt, quando omnes manus in devotione ad istam hostiam protendunt et venerantur, ac si omnium manibus Deo offeratur. Infert autem sacerdos, qui unctus est in ordinem sacerdotalem, sanguinem in tabernaculum, quando infert in totam Ecclesiam ab omnibus communicandum. Tangit autem digito, quando omnibus clare demonstrat cujus sanguis sit, et ad quid valeat ejus communicatio : digiti enim opus est demonstrare et dirigere nutu quodam oculum videntis ad rem demonstratam. Aspergit autem septies contra velum, quod velum etiam formas sacramentales signat, corpus Domini verum velantes, quando intra velum illud septem effectus sanguinis esse declarat, qui sunt memoria passionis, opus redemptionis, effectus veræ potationis, munditia expiationis, dulcedo naturalis sanguinis in charitate communis, tinctio ad Christum conformitatis, et consignatio sive tutatio sanguinem illum accipientis, qui signatur ne lædatur ab Angelo percussore. Reliquum autem sanguinem, qui multus est, in communem fert Ecclesiam, quæ est tabernaculum fœderis Domini, cum quo fœdus iniit amicitiæ perpetuæ, fundit ad basim, hoc est, in fundum altaris holocaustorum, hoc est, cordium humanorum in quibus holocaustum istud incenditur in igne sanctæ devotionis et charitatis.

Sic igitur in speciebus istis Christus est sicut in atrio mystico suæ spiritualis mactationis et victimationis sive immolationis.

4. Ut in n amicissi nostri eo con xioni

Est etiam demum in eo sicut in nexu amicissimæ nostri cum eo connexionis. Est enim ipse cibus in sacramento oculis nostris corporeis invisibilis, et connectitur sensibus nostris, ut videatur a nobis, ut oculis etiam pascamur in ipso in ipsis formis sacramentalibus, quæ sunt quasi inferiora ipsius, in quibus a nobis sensibiliter videtur, sicut signatur, Isa. VI, 1, ubi dicit : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum : et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Domus enim cœli plena est majestate potentiæ ipsius, ubi videtur facie ad faciem. Sed species sacramentales corporalibus oculis visibiles sub ipso et circa ipsum existentes, connectunt eum nobis ad sensum corporis : et ideo replent templum Ecclesiæ militantis.

Hæc sunt quæ posterius ipsum sunt, de quibus dicitur, Exod. XXXIII, 23 : *Videbis posteriora mea : faciem autem meam videre non poteris.* Et ideo oramus voce beati Gregorii, ut quod nunc specie gerimus, quæ circa ipsum sunt, et

post ipsum, aliquando assumpti ad gloriam, rerum veritate capiamus. Unde etiam dicit Agar ancilla, Ecclesiam militantem et adhuc non liberatam, sed in multis ancillantem signans, Genes. XVI, 13 : *Profecto hic vidi posteriora videntis me.* Corporales enim formæ dignitate posteriores sunt visione per speciem et rei nudam veritatem, quamvis tempore sint priores : quia, sicut dicitur, I ad Corinth. XV, 46 : *Non prius quod spiritale est, sed quod animale.*

Hoc enim est velum quod super illustratam et Angelis intuendam, a nobis, sicut a filiis Israel contuendus verus noster Moyses ponit super faciem suam [1], ut se nobis contemperet et connectat.

Hæc sunt sancta sanctorum, quæ semper operata deferri debent coram populo, quamdiu hic militantes castra movemus per desertum istud ad patriam tendentes, sicut dicitur, Numer. IV, 5. Non enim ad ipsum aperta possumus uti visione propter oculi nostri imperfectionem, sed sub hoc velamine accipimus et videmus ipsum quasi absconditum. Unde dicentes illud Isaiæ, XLV, 14 et 15, ad formas sacramentales : *Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, salvator.* In formis enim Ecclesiasticis sacramentalibus est Deus, et extra Ecclesiam non est Deus in sacramentis veteribus vel hæreticorum perceptus ad gratiæ sacramentalis perceptionem, sed est absconditus et innexus in speciebus sacramenti Deus Israel salvator, omnibus salutis cibum ministrans in sacramento.

Sic igitur tamquam in nexu quodam in specie sacramenti connectitur sensibus nostris, ne omnino sit invisibilis, et incognitus nobis.

[1] Exod. XXXIV, 33.

TRACTATUS IV.

QUALITER SIT SUMENDUS HIC CIBUS?

CAPUT I.

Quod sumendus sit hic cibus in fidei veritate.

Tandem autem post omnia hæc videndum est qualiter iste cibus sit sumendus, et quid in eo sumatur. Hoc enim est ultimum quod in superius habita divisione de cibo isto diximus esse notandum.

Iste igitur cibus sumendus est in fide veritatis, in spe divinæ largitatis, in charitate Ecclesiasticæ unitatis, in compunctione amaritudinis, et in delectatione et deliciis beatæ perfruitionis. Quæ autem in ipso percipiuntur, posterius dicetur.

In fide quidem veritatis sumitur, ut omnibus quæ de sacramento tradita sunt, fides adhibeatur. In spe largitatis, ut divina largitas in sacramento semper ampliora donatura speretur. In veritate charitatis, ut unitas Ecclesiæ servetur. In compunctione amaritudinis, ut tam ex parte nostra qui sumimus sacramentum, cum dolore in corde habeatur. In delectatione et deliciis beatæ perfruitionis, ut id cujus in beata vita signum est hoc sacramentum, semper in contemplatione mentis habeatur.

Et de fide quidem veritatis dicit Augustinus : « Ut quid paras dentem et ventrem ? Crede, et manducasti [1]. » Sicut enim ex præmissis constat, cibus iste nec dentibus atteritur, nec ventre digeritur, quamvis formæ sacramentales et atterantur dentibus et in ventrem mittantur. « Crede, et manducasti. » Crede igitur fide veritatis, et amore in sacramentum tende, et sic manducasti : quia sic Christus incorporavit te sibi. Hæc enim est vera fides de qua dicit Apostolus, ad Galat. v, 6 : *Fides quæ per charitatem operatur.* Unde etiam Dominus loquens de sumptione hujus sacramenti, Joan. vi, 27, dicit : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit*

[1] S. Augustinus, Lib. de Verbis Domini, et habetur de Consec. dist. II, cap. Quid est Christum.

vobis. Hunc enim Pater signavit Deus. Et Judæis carnaliter hunc sermonem accipientibus, et tamen cibum permanentem desiderantibus, et dicentibus, ibidem, ℣. 28 et 29 : *Quid faciemus ut operemur opera Dei ?* supple, quibus illum de quo dicis, percipiamus, respondit dicens : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Ac sit dicat: Credendo sumetis cibum veritatis, quem Pater præparavit, et Filius hominis dabit, quem Pater ad hoc signavit Deus, ut det cibum illum : in hoc enim sacramento quod veritatis sacramentum est, quia in veritate simplici totam continet veritatem et veritatis auctorem, et omnium figurarum antiquarum veram exhibet veritatis significationem, maxime fides operatur. Fides enim, ut dicit Dionysius in libro de *Divinis nominibus*, lumen est collocans in credentibus veritatem, et credentes per consensum rationis et inhæsionis collocans in veritatem, quæ hic maxime operatur : quia hic humana ratio parvum vel nullum experimentum præstat. Unde etiam Dominus in Psalmo c, 6, dicit eis quos ad mensam istam secum sedere facit : *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat* : quia sedens in mensa fide cibum percipit, et sacerdos immaculatus in mensa cibum ministrat. Hoc optime signatum est, Eccli. XLV, 4, ubi de Moyse qui primus manna per preces suas filiis Israel exhibuit, dicitur : *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.* Fides enim mundat et purificat cor a phantasiis errorum. Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Lenitas cor mundificat a perturbationibus. Unde ipse Agnus quem in sacramento fide suminus, dicit, Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Sic ergo in fide et lenitate cordis sumenda est hæc cœna Dominici corporis. Et hoc signatur in Psalmo CXXVII, 3, ubi dicitur : *Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.* Quia sponsa Agni est Ecclesia quæ vinum sanguinis Christi abundanter in sacramento cœnæ filiis gratiæ ministrat. Unde sequitur : *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Oliva enim ministra est luminis, et signat fidei fomentum, quod in hoc sacramento percipitur, in quo nihil nisi fides operatur : quæ olivæ fide lucentes et virore virtutum virentes sunt in circuitu mensæ Domini in sacramento. Hinc est, quod ante mensam propositionis in tabernaculo Domini præcipit Dominus, Exod. XXVI, 31, quod poneretur candelabrum luminis, quod illuminationem fidei signat, docens per hoc, quod tenebrosus per infidelitatem ad mensam propositionis Dominici corporis non accedat.

Sic ergo sacramentum hoc sumendum est in fide veritatis.

CAPUT II.

Quod sumendus sit hic cibus in certa spe divinæ largitatis.

Sumendus est etiam ille cibus in certa spe divinæ largitatis. Quid enim non sperabimus a largitate ipsius, qui seipsum in cibum nobis donavit? Ideo clamamus in certa spe omne bonum Dei exspectantes, et dicimus : *Oculi omnium in te sperant, Domine.* Et hoc est, quia *tu das escam illorum in tempore oppor-*

tumo [1]. Ex hac enim spe sublevantur fideles, et quasi virtutum pennis avolantes æterna exspectant a divina largitate. Unde, Job, XXXIX, 27, dicitur : *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ?* hæc enim aquila ab acumine visus dicta est, de qua dicitur, Matth. XXIV, 28 : *Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.* Tanta enim flagrantia est Dominici corporis, quod spe certa communionis omnium bonorum Domini ad Dominici corporis sumptionem in altam spem elevati conveniunt, nusquam alibi desiderabilem escam invenientes. Unde, Job, XXXIX, 30 : *Pulli ejus lambent sanguinem : et ubicumque cadaver fuerit, statim adest.* Pulli enim aquilarum sunt fideles parvuli in humilitate simplices : quia illitterati, et hi modo fide lambunt Christi sanguinem, certam spem habentes, quod per sacramenti sumptionem ad æternorum bonorum pervenient felicitatem. Et ideo odore corporis Domini electi statim addunt mira devotionis velocitate, ubicumque est cadaver, quod non quidem in vermes cecidit, sed quod ab infideli synagoga tamquam vermis conculcandum reputatum est. Propter quod et ipse Christus querulose dicit in Psalmo XVI, 7 : *Ego sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis.* Ad illud ergo cadaver omnes aquilæ properant in spe consecutionis omnium bonorum : quia, sicut dicit Gregorius : « Ex perceptione præsentium munerum, firmam habemus spem exspectationis futurorum. » Ad Roman. VIII, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* Quia qui habentem omnia quæ Patris sunt donavit nobis, omnia nobis donavit cum illo. Nihil enim est, quod non habeat qui habentem omnia habet. Unde, Tob. X, 5 : *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.*

Hæc est spes viva, quæ ex tanto Dei dono generatur in nobis, de qua dicitur, I Petri, I, 3 et 4 : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis,* etc.

Hæc est spes certa trahens nos ad littus æternitatis, et immobiliter tenens mentem nostram fixam in cœlis, sicut anchora tenet navim, de quo dicitur, ad Hebr. VI, 18 et seq. : *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habeamus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.* Ad interiora enim velaminis introire, est per spem interius intra formas sacramentales exspectare et sumere Dominum Jesum Christum, qui illuc pro nobis in cœna ista intrat sicut pontifex et summus sacerdos, nobis se exhibens consecratum sub specie panis et vini : quia hic primus sacerdos obtulit Melchisedech. Genes. XIV, 18, Abrahæ revertenti a cæde regum occurrit, *Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.*

Hæc est spes de qua dicitur, Osee, II, 15 : *Dabo ei vinitores ex eodem loco, et vallem Achor, ad aperiendum spem.* Vinitores enim Ecclesiæ sanguinem Christi ex vino consecratum ministrantes sunt ex eodem loco Ecclesiasticæ unitatis. Vallis autem Achor qui *fratris lumen* vel *fratris altitudo* interpretatur, pinguissima quidem vallis frumenti, verax est humilitas Christi et Ecclesiæ ministrans frumentum unde conficitur corpus Christi : quia hæc gratia maxime datur humilibus nihil de se præsumentibus, sed totam spem suam in Deum ponentibus. Et hoc

[1] Psal. CXLIV, 15.

est quod dicitur in Psalmo LXIV, 14 : *Valles abundabunt frumento.* Sic igitur spe divinæ largitatis sumenda est hæc cœna.

CAPUT III.

Quod sumendus sit hic cibus in Ecclesiasticæ unitatis charitate.

Sumendus est etiam in charitate Ecclesiasticæ unitatis : quia istud sacramentum et charitatis et unitatis a Patribus dicitur esse sacramentum.

Charitatis quidem : quia in maxima charitate est exhibitum, in qua charitate dixit, Proverb. VIII, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Voluit enim Christus, sicut dicit Augustinus, ut homo participans huic cœnæ, in Deum ascenderet, et incorporatus sibi efficeretur, et particeps suæ divinitatis et humanitatis, sicut Verbum Patris in carne descenderat, et factum est omnium particeps, quæ sunt vere nostræ humanitatis, et hoc fuit maximæ charitatis.

Hic autem ascensus in Verbum Patris per incorporationem directe fit per sacramenti istius participationem. Unde super illud Joannis, I, 14 : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,* dicit Glossa : « Ut secure credantur homines nasci ex Deo, subdit Deum nasci ex homine. » Ex hac enim susceptione nostræ infirmitatis sanatur nostra infirmitas, ut possimus dii vel filii Dei fieri. Et hoc est : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Ac si dicat : Quod superius erat, inferius descenderat, quid mirum si quod inferius erat, in id quod superius est, ascendit et assumitur : et ideo ex hac charitate uniente cum homine Deum, et hominem cum Deo, dicitur sacramentum unitatis et charitatis : et ideo in charitate unitatis Ecclesiasticæ cœna hæc est accipienda. Hoc autem optime signatur, Exod. XXV, 30, ubi dicitur, quod panes propositionis qui in mensa singulis sabbatis ponebantur, calidi coram Domino proponebantur, hoc signante Spiritu sancto, quod panis sacramenti novi, qui in mensa altaris cunctis fidelibus proponitur sumendus, in calore charitatis debeat sumi. Propter quod etiam in mensa proponitur, et panis patena aurea operiri præcipitur, et pugillus thuris super patenam ponebatur, hoc signante Spiritu sancto, quod mensa esset fidelibus paranda et cunctis proponenda, altare videlicet Ecclesiæ, de quo solo licet communionem accipere : quia extra Ecclesiam panis communionis ad salutem non invenitur, sicut dicit Psalmista, Psal. LXXXIII, 4 et 5 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus, et Deus meus. Beati qui habitant in domo tua, Domine.* Passer enim mobilis sæcularibus negotiis continue motum signat fidelem laicum. Turtur autem castus gemens pro cantu signat clericum castitatis et munditiæ officiis mancipatum, pro suis et aliorum peccatis gementem. Hi enim pullos quos nutriunt carnales filios vel spirituales, non nisi ad altare Ecclesiæ portant pane sacramenti nutriendos, scientes quod beati sunt qui habitant in domo Dei, quod Ecclesia est. Alii autem tamquam miseri et abjecti

conventicula faciunt hæreticorum. I Regum, XXI, 6 : *Neque enim erat ibi panis nisi tantum panes propositionis qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi.* Patena autem signat splendorem divinæ sapientiæ in corde communicantium, et contemplatione considerantium sapientiam Dei miro consilio fidelibus de communione tam sancta providente. Thus autem desuper positum, quod in ignem altaris sublatis panibus ponebatur, fragrantiam signat virtutum in devotione cordis incensarum in igne charitatis.

Hinc est quod de signo paschali qui corpus Christi in sacramento signat, Exod. XII, 10, dicitur : *Si quid residuum fuerit, igne comburetis :* quia in igne charitatis totum illud sacramentum debet incendi. Ideo etiam dicitur, Genes. IV, 4, ubi istud sacrificium primo præsignatur in adipibus gregis Abel, hoc est, in agno quem Abel obtulit : quia *respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Et ibi habet translatio Septuaginta : « Inflammavit Dominus super Abel et super munera ejus, » ut ostendatur, quod in flamma ignis hoc sacramentum accipi debeat, et igne charitatis inflammari.

Debet autem accipi in charitate Ecclesiasticæ unitatis : quia apud omnes schismaticos et hæreticos hoc sacramentum ad salutem non invenitur. Et hoc notatur in Psalmo CXXI, 3 et 4, ubi dicitur de ascendentibus ad paschalis agni celebrationem : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, ad confitendum nomini Domini.* Etiam enim per Jerusalem visionem æternæ pacis significatur, quæ ut civitas, hoc est, civium unitas ædificatur : quia sicut dicitur, Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Hujus Ecclesiæ participatio est in idipsum unitatis Ecclesiasticæ sacramentum : quia Ecclesia unita corpus Christi est mysticum, quam signat corpus Christi verum, quod sub forma panis continetur : ut dicit Augustinus, quod sicut corpus Christi verum compositum et confectum est ex multis purissimis guttis sanguinis a Spiritu in utero beatæ Virginis in unum corpus compactis, et sicut panis sub cujus forma continetur, collectus est ex multis purissimi frumenti granis in unum panem compactis : ita Ecclesia ex multis puris fidelibus constat in unitate fidei et charitatis et spiritus adunatis. I ad Corinth. X, 17 : *Unus panis, unum corpus multi sumus*, scilicet in Christo, *omnes qui de uno pane participamus.* Hoc etiam demonstrat nomen calicis : quia calix calida est potio in charitatis fervore sumenda. Psal. CXV, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Sanguis autem qui sub specie vini latet in mysteria sacramenti, ex multis uvis expressus, signat in unum collectiones in Ecclesia fideles ad gaudium vini spiritualis et ad redemptionem sanguinis adunatos. Cantic. I, 13 : *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Botrus enim multis componitur granis quæ *uvæ* vocantur. Hoc etiam signat botrus præcisus a filiis Israël in vecte ecclesiasticæ rectitudinis ad legislatorem deportatus [1].

Hæc unitas Ecclesiastica est unica tunica inconsutilis, quæ etiam a crucifixoribus scindi non potuit. Joan. XIX, 24 : *Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cujus sit.* Hoc est *pallium breve quod utrumque*, verum scilicet sponsum et adulterum, *operire non potuit* [2]. Hoc est pallium quod omnes Judæos et Gentiles fideles in unum operit, sicut signatur optime, Ruth, III, 9, ubi dixit Ruth Moabitis, quæ gentilis erat, ad Booz qui Judæus fuit ex Judæis : *Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es* : sic charitate unitatis Ecclesiasticæ nobis per istum sacramenti cibum incrementum præstante, secundum Apostolum, ad Ephes. IV, 13 : *Donec*

[1] Cf. Numer. XIII, 24.

[2] Isa. XXVIII, 20.

occurramus omnes in unitatem, fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Sic igitur sacramentum hoc in charitate unitatis Ecclesiasticæ est sumendum. Unde super illud Apostoli, I ad Corinth. XI, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit,* dicit Glossa, quod indignus est, qui indevote accipit. Indevotus autem est, qui aliter quam institutum est, celebrat sacramentum : hoc est qui accipit et celebrat contra vel præter institutionem Ecclesiasticæ unitatis et charitatis.

CAPUT IV.

Quod sumendus sit hic cibus in amaritudine.

Sic etiam sumendum hoc sacramentum in amaritudine compunctionis. In magna enim amaritudine debet recordari homo passionis Christi, in cujus memoriam sacramentum celebratur : quia ipse homo per peccatum illius passionis fuit causa : sine enim magna verecundia et absque magno dolore non est accipiendum corpus quod Filium Dei ad tantam passionis deduxit amaritudinem. Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Quia tu es causa, quod unigenitus Filius Dei mactandus est, traditus est, cujus mactatio mysterialiter celebratur in sacramento. Hoc signant lactucæ agrestes amarissimæ, in quibus carnes agni sumi præcipiuntur, Exod. XII, 8, dicendo in compunctione amaritudinis illud Threnorum, I, 20 : *Vide, Domine, quoniam tribulor : conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum.* Tribulor enim, quia summæ causæ tuæ tribulationis venter meus, hoc est, affectus, conturbatus est : quia per affectum gustavi vetitum, quod tibi tantam induxit contribulationem. Cor meum quod sensum præbuit ad illicitum, subversum est, et ab illo totum ad te conversum, et de dolore turpitudinis peccati pro quo tu, Domine, cruce turpatus es, et morte turpissina mulctatus, sum in meipso plenus confusione et amaritudine : quamvis enim foris pulcher appearem et dulcis, tamen intus turpis sum coram te et amarus. Ruth, I, 29 : *Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram), sed vocate me Mara (id est, amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Tob. II, 5 et 6 : *Manducavit panem cum luctu et tremore, memorans sermonem illum quem dixit Dominus per Amos prophetam : Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum* [1]. Quia festum communionis istius in luctum est convertendum lamentationis. Hinc est quod dicitur, Job, III, 24 : *Antequam comedam, suspiro, et tamquam inundantes aquæ,* supple, per lacrymas, *sic rugitus meus.* Qui sic cum luctu panem hunc accipit, in sempiternum gaudium et lætitiam sibi convertit, dicente sibi Domino, Jerem. XXXI, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo.* Et illud Joannis, XV, 20 : *Vos contristabimini, sed tristitia*

[1] Amos, VIII, 10.

vestra vertetur in gaudium. In hoc enim verum est dictum Salomonis, Proverb. XIV, 10 : *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Hinc est quod dicit Psalmista, Psal. LXXIX, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Et illud : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* [1].

Sic ergo sumendum est hoc sacramentum, et iste cibus sacramentalis in amaritudine compunctionis.

CAPUT V.

Quod sumendus sit hic cibus in deliciis æternæ fruitionis.

Sumendus est etiam cibus iste in delectatione et deliciis æternæ et beatæ fruitionis : quia, sicut in ante habitis diximus, Dionysius dicit, quod divinæ Eucharistiæ assumptio beatam Jesu in beatitudine signat perfruitionem. Et ideo sicut in sacramento matrimonii individuam vitæ consuetudinem retinens conjunctio, individuam signat conjunctionem spiritus creati cum increato, ita hæc Christi corporis sumptio signat beatam Jesu perfruitionem in cœlo, et secundum corpus quo eo fruemur in sensu, et secundum animam qua eo perfruemur in anima, et secundum deitatem qua beata secundum intellectum perficietur perfruitio : et ideo quantum ad hanc considerationem in jucunditate spiritus et deliciis sumitur ille cibus. Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Hæc enim erit cœna nuptiarum Agni. Apocal. XIX, 9 : *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Ibi enim Agni corpore non subjacentes passionibus perfruentur, sed jam incorporabuntur ei, quia, sicut dicitur, ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* : perfruetur enim anima illa, quæ numquam tristabitur usque ad mortem, sed jam gaudium et lætitiam obtinuit, et fugit ab ea dolor et gemitus, sicut dicitur, Isa. XXXV, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Sic enim in tali consideratione, et in deliciis paradisi Dei nostri sumitur corpus Domini. Ibi enim cum Patre æterno nos honorante per suum consensum ad mensam sedemus. Ibi Filius præcinctus decore et lumine se nobis ministrat. Ibi Spiritus sanctus omnem suam dulcedinem infundit in epulum. Ibi Angeli reficiuntur. Ibi in symphonia et tripudio et musicis concrepat David cum omni cœtu sanctorum.

Tunc Dominus, ut dicit, Luc. XII, 37, *præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.* Ibi fidelis anima a sponso laudatur in deliciis, Cantic. VII, 6 et 7 : *Quam pulchra es, et quam decora, charissima, in deliciis ! Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.* Quia pulchra es virtute, pulcherrima quodam gloriæ splendore, charissima charitate, palmæ assimilata spe victoriæ, ubera duo intellectus et

[1] Psal. XLI, 4.

affectus tam ubertim fundentia vinum cœlestis gaudii et æternæ jucunditatis. Joan. XII, 26 : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*, procul dubio per talem suæ mensæ consessionem seu consessum. O quanto affectu tunc Deo dicent illud Psalmi LXIV, 10 : *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus.* Quam præparationem non valuit facere nisi majestas ubertatis Dei, nec scivit nisi summa sapientia Filii, nec condire potuit nisi bonitas et dulcedo Spiritus sancti.

Ibi scitur quid dignitatis Christus contulit suis, quando dixit, Luc. XXII, 29 et 30 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam in regno meo.*

Ibi gustatur quam verum sit quod dicitur, Luc. XIV, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, cujus dulcedo jam in ista consideratione immiscet se in gustum sacramenti. Unde et Angeli mirantes istas felicis animæ delicias dicunt, Cantic. VIII, 5 : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?* Ascendens enim anima per considerationem sacramenti de deserto hujus mundi in quemdam gustum felicitatis æternæ, quo sicut hic in sacramentali, ita gustatur ibi dulcedo deitatis in rei veritate, mirabilibus perfruitur deliciis, ita quod suis destituta præ teneritudine, cum Joanne Apostolo invitatur recumbens tota super pectus dilecti, inde sugens et delicias veritatis hujus sacramenti et delicias dulcedinis divinæ quæ in ipso sacramento in cœna Domini degustantur [1]. Ibi enim sancta anima *inebriatur ab ubertate domus Dei*, sicut dicit Psalmista, Psal. XXXV, 9 : et torrente violentissimi fluxus voluptatis divinæ potatur adsu mmam delectationem. Ibi enim ad mensam sedentes experiuntur quod dicit David in Psalmo XV, 11 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem*, ad quam nos perducat qui fine vivit et regnat. Amen.

[1] Joan. XIII, 23.

DISTINCTIO IV.

QUALITER HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE COMMUNIONIS?

Post ea quæ dicta sunt, dicendum restat qualiter hoc sacramentum sit in genere communionis. Omnium enim ore fidelium hoc sacramentum *communionis sacramentum* vocatur, et a Græcis etiam doctoribus *sancta synaxis* appellatur, quod *sanctam communionem* sonat in Latino.

In hoc igitur genere ponitur propter septem quas in nobis facit communiones : facit enim communicare fonti omnis gratiæ, facit communicare Angelorum gloriæ, facit communicare sanctis, facit communicare passionibus mystici corporis, facit subventionem facultatum in eleemosynis, facit omnia nostra communia, facit divinorum et humanorum verissimam communionem : et ideo *communio* vocatur.

CAPUT I.

Quod hoc sacramentum faciat communicare fonti omnis gratiæ.

1. Quod enim faciat communicare fonti omnis gratiæ, patet : quia in ipso communicamus Christo sic ut ipse sit in nobis, et nos in ipso, et omnia sua influat nobis. Unde dicitur, Proverb. v, 16, de Filio : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.* Hoc enim est verbum Patris ad Filium, qui est fons omnis gratiæ et omnis boni : quia, sicut dicitur, Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* In hoc fonte multæ sunt venæ gratiarum jugibus aquis gratiarum manantes, quas Pater in hoc sacramento foras in communione Ecclesiæ tam triumphantis quam militantis præcipit derivari, ut relegata invidia privatæ possessionis gratiarum, quæ sunt in Filio, omnes in commune participes bonorum ejus efficiantur, et in plateis latæ participationis ab omnibus bonum Filii participetur.

Hic est fons, de quo dicitur, Esther, X,

6 : *Parvus fons qui crevit in fluvium,... et in aquas plurimas redundavit.* Parvus enim fons dicitur sacramentum, non ariditate et fluxus gratiarum parvitate, sed humilitate, quæ quanto profundior est, tanto plures aquas continet gratiarum. Hic fons cum multis effusionibus licet redundet in virtutibus et donis et sacramentis, tamen se in unum totum colligens in sacramento communionis crevit in fluvium maximum. Ex isto uno fluens in totum, quod in aliis effluit divisim, hic redundat in aquas plurimas omnis generis gratiarum. Sic enim est apud eum, ut dicit Psalmista, Psal. xxxv, 10, *fons vitæ*, fluens ea quæ vitam suam perficiunt in nobis.

atuor jam entis modi- les.

Facit enim in nobis quatuor aquæ fluentis commoditates : hæc enim sordida lavat, arida rigat, quæ apud nos abundant, deportat navibus, ut ubi rara sunt, magno pretio commutentur, et ea quæ alibi abundant, et apud nos deficiunt, revehit, ut defectus nostri ex illis suppleantur.

Hæc omnia facit Christus ista effluxione gratiæ in hoc sacramento. Gratia enim sanguinis sui lavat sordes peccatorum, dicente Apostolo, ad Hebr. ix, 22 : *Omnia pene mundantur in sanguine, et sine sanguinis effusione non fit remissio.* Joan. i, 29 : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Constat autem, quod tollit, hoc est, quod abstulit sanguinis sui effusione et ablutione. Apocal. i, 5 : *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

Hæc rigat arida nostra in aqua quæ cum sanguine exivit de latere. Joan. xix, 34 : *Exivit sanguis et aqua*, quæ est aqua expians et rigans omnia nostra, ut plantæ divinæ in nobis plantatæ convalescant. Joel, iii, 18 : *Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum.* Domus enim Domini, hoc est, deitatis habitaculum, est corpus Domini a quo fons fluxus violentissimi egreditur, et irrigat totum torrentem vanitatis mundi, hoc est, locum per quem vanitas mundi consuevit ante decurrere, ad spinas peccatorum nutriendas. De quo clamat Augustinus : « O torrens vanitatis, quousque non siccaberis, quousque munda mundaberis? » Hic enim fluxu Dominicæ gratiæ siccatus est, et dedit locum flumini Dei, quod, sicut dicit Psalmista, Psal. lxiv, 10, *repletum est aquis* : et exstirpatis spinis, modo rigatur ad fœcunditatem frugum justitiæ et aromatum omnium virtutum. Eccli. xxiv, 42 *Dixi* : *Rigabo hortum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Psal. lxiv, 11 : *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in stillicidiis ejus lætabitur germinans.* Sic ergo rigat arida.

2. Evehit etiam flumen istud apud nos abundantia, ut ubi deficiunt, magno pretio commutentur, quæ sunt paupertas spiritus, gemitus pro peccatis, fletus, jejunium, afflictiones, et castigationes corporis, quæ apud nos abundant et in cœlo deficiunt, et ibi nobis pro hujusmodi magna pretia dantur. Genes. xlix, 13 : *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.* Quia omnis homo in navibus per aquas istas evehit eas quæ dictæ sunt mercedes suas, ut in cœlis pro temporalibus æterna, pro miseriis beatitudinem, pro paupertate divitias, pro laboribus commutet quietem æternam. Eccle. xi, 1 : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, et post tempora multa invenies illum :* quia fluxu longo aquæ istæ redeunt, et incomparabiles divitias nobis reportant : ideo enim, sicut dicitur, Eccle. i, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant.* Fluunt enim illuc per intentionem merendi, et refluunt per mirabilem redditionem præmii. Unde dixit Paulus, II ad Timoth. i, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Hoc enim totum facit fluxus gratiæ, qui fluit a Christo, qui dat gratiam unde mereri possimus : et iterum revehit meritum in Deum, ut

semper abundanti præmio meritum nostrum commutetur.

Hic etiam fluxus advehit nobis quod apud nos deficit, et in cœlo abundat, hoc est, gaudium cordis et sancti Spiritus consolationem, et dulcedinem gustus divinorum, et fructum quemdam virtutum, ut illa fortius desideremus, et ista in quibus sumus, magis fastidiamus. Proverb. XXXI, 14 : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* Ecclesia enim facta est quasi navis institoris, qua gubernatione Sancti spiritus sæpe mens nostra in cœlum navigat, et deinde panis in dulcedine nos delectantis refectionem reportat.

Sic ergo quatuor utilissime facit aquæ communicationes si fonti gratiarum communicamus. Ex hoc enim suo beneficio nobis communicato sordida nostra lavantur, et defluunt, et arida nostra rigantur et fœcunda fiunt. Sic nostri labores ad ipsum referuntur et omni digni locupletatione fiunt, deliciæ cœlestes nobis advehuntur, et omnia nostra in dulcedinem convertuntur. Hinc est quod dicitur, Joan. VII, 38 et 39 : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Hæ enim aquæ semper fluunt et refluunt inter nos et Christum, cujus fontis communionem habemus par sacramentum. Numer. XXIV, 7 : *Fluet aqua de situla ejus*, hoc est, de sacramento, *et semen illius erit in aquas multas.*

Hæc ergo prima communio, qua fonti omnis gratiæ per sacramentum communicamus.

CAPUT II.

Quod hoc sacramentum facit communicare Angelorum gloriæ.

Hoc etiam sacramentum nobis communicationem præstat Angelorum gloriæ. Gloria enim Angelorum consistit in reparatione ruinæ angelicæ, consistit etiam in affectu ministerii injuncti, consistit in illuminatione divina, et consistit in reductione in divinam perfruitionem.

Ruina autem Angelorum ex hoc reparatur sacramento : quia non reparatur nisi de his qui incorporantur Christo, sicut ipse dicit, Joan. III, 13 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Si autem nemo ascendit nisi Filius hominis, pro certo nemo ascendit nisi incorporatus Filio hominis : nullus autem incorporatur corpori mystico nisi per corpus verum et sumptionem ipsius : oportet igitur, quod per corpus Christi ruina Angelorum restituatur : restituti igitur communicant gloriæ Angelorum per communionem corporis Christi. Deuter. XXXII, 8, secundum translationem Septuaginta : « Statuit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei [1]. » Termini autem illi sunt termini gloriæ Angelorum. Hinc

[1] Vulgata habet, Deuter. XXXII, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël.*

est, quod dicuntur homines esse fratres Angelorum : quia sunt de sorte gloriæ Angelorum. Matth. XVIII, 10 : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.*

Sic etiam si fideles incorporantur Christo, perducitur ad effectum ministerium angelicum. Ad Hebr. I, 14, dicitur : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis ?* Non modicum igitur gloriæ habent, quando eorum impletur ministerium. Hinc est, quod gaudere dicuntur in pœnitentiis peccatorum, et flere et tristari in peccatis commissorum. De primo quidem dicitur, Luc. XV, 10 : *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Econtra dicitur, Isa. XXXIII, 7 : *Angeli pacis amare flebunt,* hoc est, ad modum flentium se habebunt : quia desiderant ut Christo sibi ad custodiam commissi incorporentur, et sic redeant ad communionem gloriæ Angelorum. Et sic per sacramentum et communionem ipsius ad communionem redimus Angelorum, sic participamus divinas illuminationes : quia, sicut dicit Dionysius, lex divinitatis est per prima media, et per media ultima reducere. Unde sicut Angeli illuminantur a Christo etiam secundum humanitatem, secundum quod dicitur, I Petri, I, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.* Glossa : « Etiam secundum humanitatem. » Sicut ergo a Christo illuminantur, ita et in illuminationes Christi reducere intendunt homines sibi commissos. Per hoc autem Christo spiritualiter incorporantur, et communionem percipiunt sanctorum Angelorum per incorporationem Christi. Job, XXV, 3 : *Numquid est numerus militum ejus, et super quem non surget lumen illius?*

Sic enim homines et Angeli unam habent communem illuminationem, et unam cœlestis civitatis communionem. Apocal. XXI, 23 : *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.* Sic igitur communicant illumi nationes Angelorum.

Participant etiam Angelorum gloriæ in reductione ad Deum, ad quem omnis illuminator suum intendit reducere a se illuminatum. Dicit enim, Eccli. I, 5, quod *fons sapientiæ est verbum Dei in excelsis.* Cum igitur fons sapientiæ sit primum illuminans, omnis Angelus illuminatas animas reducit ad Verbum : non autem ad Verbum reducuntur nisi qui verbo et lumini incorporantur. Unde de talibus dicitur in Psalmo LXXXVIII, 16 et 17 : *Domine,in lumine vultus tui ambulabunt : et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.* Quia tales in lumine Dei assumpti, Christo lumini incorporaliter assimilantur et incorporantur : quia dicitur, ad Philip. III, 21, quod *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Sic enim gloriæ Angelorum communicamus per hoc quod Christo incorporamur.

CAPUT III.

Quod hoc sacramentum faciat communicare sanctis.

Dicitur iterum *communio*, quia nos omnibus sanctis facit communicare, ut si quid deficit in singulis, ex communibus abundantiis omnium sanctorum suppleatur. Sic habemus virtutes Patriarcharum, revelationes et illuminationes et fruitiones Prophetarum, justitias Legislatorum, demonstrationes et præconia præconum Christi cum Joanne Baptista demonstrantium, dignitates Apostolorum, victorias Martyrum, sanctitates Confessorum, religionem Monachorum, puritatem Anachoritarum, doctrinas saluberrimas Doctorum, munditiam Virginum, luctum Viduarum, eleemosynas domesticas, curas gentium, pœnitentiæ lamenta pœnitentium, splendorem honestatis innocentium, et omnia merita sanctorum : hæc enim omnia quæ a Christo in corpus ejus mysticum fluxerunt, in efficientia corporis ejus et sanguinis consistunt, et de quolibet in quemlibet per charitatem spiritus Christi referuntur et redundant. Unde dicitur, ad Coloss. I, 12 et 13 : *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Per communionem enim Christi sortem omnis gratiæ communicamus cum omnibus sanctis, translati in regnum omnium sanctorum suorum, per hoc quod corpori et sanguini ejus communicamus : quia unitas suorum membrorum ad cor et caput, et una participatio spiritus Christi in omnibus membris ejus naturalibus signat et causat totius corporis mystici communionem et sancti Spiritus communicationem : et sic sors gratiæ et gloriæ uniuscujusque sancti communicatur aliis, ut spiritualiter impleatur in nobis quod de Ecclesia primitivorum scribitur, Act. IV, 33 et seq. : *Gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos : quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum : dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Si enim ad uniuscujusque necessitatem et idoneitatem dividit Spiritus corporis Christi bona sanctorum, ut omnes abundent, et nullus egens inveniatur. I ad Corinth. XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Sic dicit Psalmista, Psal. CXVIII, 63 : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua*, hoc est, tui corporis communione participem me facies omnium te timentium. Sic se ditatum dicit Psalmista, Psal. XV, 6 : *Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi* : quia mensurantes funes nobis omnium adjiciunt merita sanctorum, sicut dicit Apostolus, ad Coloss. I, 16 et seq. : *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlo et in terra*, hoc est, in Angelis et in hominibus sanctis, *visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et*

omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Sic ergo ex ipso fluit in membra, et ex uno membrorum redundat ad aliud, propter unam sui corporis communionem. Sicut enim in corpore naturali sanguinem et spiritum unum membrum redundat in aliud, ita multo magis in spiritualibus membris corporis mystici unum membrum Spiritus communionem transmittit in aliud, propter unam sui corporis communionem. Unde, I ad Corinth. XII, 26 : *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.*

Hæc est communio sanctorum de qua dicimus in symbolo : « Credo in Spiritum sanctum, sanctorum communionem, » hoc est, in Spiritum sanctum qui facit sanctorum communionem : quia sicut secundum naturam unus est spiritus unius corporis, ita unius Christi corporis unus est Spiritus sanctus, qui in totum corpus vehit vitam et virtutem, et omnia quæ sunt membris propria, facit esse communia. Ad Ephes. IV, 4 : *Unum corpus, et unus spiritus.* Hinc est, quod dicitur, Ezechiel. I, 20 : *Spiritus vitæ erat in rotis.*

Sic ergo facit unitas corporum communionem sanctorum.

CAPUT IV.

Quod hoc sacramentum faciat communicare passionibus mystic corporis.

Facit etiam communion communicare passionibus mystici corporis : quia, sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. XII, 26 : *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Et ideo passio unius membri per communionem redundat in alia per misericordiam et miserationes, et ex illa communione fluunt in membra deficientia compassiones cordis, consolationes oris, et subventiones facultatum in eleemosynis, et supportationes infirmitatum in adjutoriis diversis : compatiendo enim assimilamur capiti hujus corporis quod ex compassione quam habuit ad nos, multis se dedit passionibus, ut nobis per effectum subveniret. Et de hac passione nos nostro capiti conformante dicit Apostolus, ad Roman. VIII, 17 : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Hinc est, quod dicit, I Joannis, III, 16, quod sicut *Christus animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quamdiu enim Christus in membris patitur, nos oportet compati, si tamen corporis sancti volumus esse membra. Ideo dicit Apostolus, ad Roman. XII, 13 : *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Hoc est communicare necessitatibus Christi membro, quando corde suscipimus eorum necessitatem per cordis compassionem. Hoc est iterum quod ibidem post pauca, ℣℣. 15 et 16, dicit : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flen-*

tibus : *idipsum invicem sentientes.*

Hæc etiam communio ab ore exhibet verbum dulcissimæ consolationis. I ad Thessal. v, 14 : *Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Isa. xxxv, 4 : *Dicite pusillanimis : Confortamini.* Eccli. xviii, 16 et 17 : *Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum ? sed utraque cum homine justificato.* Hoc significatum est, Genes. xxxi, 24, ubi Dominus dixit ad Laban tumentem contra Jacob : *Cave, ne quidquam aspere loquaris contra Jacob.* Quoniam quando in luctu tribulationis est membrum Christi, non est dicendum verbum exasperans, sed verbum consolationis. Quando enim tribulatus accipit verbum consolationis in corde, dicit illud Canticorum, ii, 14 : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Et illud Canticorum, iv, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.* Proverb. xvi, 24 : *Favus mellis composita verba : dulcedo animæ sanitas ossium.*

CAPUT V.

Quod hoc sacramentum faciat subventionem facultatum in eleemosynis.

Hæc etiam communio facit subventionem facultatum in eleemosynis : quia qui habet facultates, libenter subvenit ad hoc quod a toto corpore redundantia spiritualium pro temporalibus accipiat. Unde, ad Roman. xv, 27 : *Si spiritualium eorum,* hoc est, sanctorum, *participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis.* Hæc est enim unius Christi corporis communio. Unde idem Apostolus dicit, II ad Corinth. viii, 13 et seq. : *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate..... Sicut scriptum est : Qui multum, non abundavit : et qui modicum, non minoravit* [1]. Et loquitur de collectione mannatis quod dabatur ad æqualitatem, et sicut colligens plus de mannate quam oportuit, lucrum non reportavit, sed pretractum fuit : et sicut minus colligens non deficit ; ita in corpore mystico divitiæ subtractæ membris deficientibus non prosunt, sed in detrimentum domini sui putrescunt : et qui parum habet, ab aliis debet accipere suarum necessitatum supplementum. I Joannis, iii, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo ?* Hinc Tobias dixit filio suo, Tob. iv, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Isa. lviii, 10 : *Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.*

[1] Exod. xvi, 18.

Hæc etiam communio facit supportationes in adjutoriis diversis. Ad Roman. XV, 1 et 2 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.* Ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Hinc est, quod lex dicit, Exod. XXIII, 5 : *Si videris asinum odientis te jacere, sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Ideo etiam dicitur, Isa. LVIII, 6 : *Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe.* Et ibidem parum ante : *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Quia quidquid deprimit et aggravat nostrum in corpore Christi commembrum, supportare debemus tamquam nostrum. Hoc signatum est, Genes. XLIX, 14 et 15 : *Issachar asinus fortis accubans inter terminos : vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima : et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Issachar qui *merces* interpretatur, significat virum qui spe mercedis æternæ supportat onera proximorum. Ille enim reputat se fortem asinum, qui est animal oneriferum : quia ex debito communionis membrorum corporis Christi ad portanda onera aliorum se reputat obligatum, sicut manus obligatur pedi, et pes manui, et hæc duo oculis in corpore naturali. Hic ergo statim supponit humerum supportantem onera proximorum, eo quod videt requiem æternam, quæ taliter datur laborantibus, et terram viventium quæ datur pro talibus adjutoriis : et his tributis a Deo exspectatis servit, continue sciens hoc quod dicit Sapientia, III, 15, quod *bonorum laborum gloriosus est fructus.*

Sic ergo hæc communio si per suum significatum diligenter attendatur, facit communicare passionibus mystici corporis.

CAPUT VI.

Quod hoc sacramentum faciat omnia nostra communia tam in spiritualibus quam in corporalibus.

Facit etiam omnia nostra communia tam in spiritualibus quam in corporalibus, ut vere impleatur in nobis quod de Ecclesia primitivorum scriptum est : *Nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat : sed erant illis omnia communia*[1]. Hoc enim vere est habitare fratres in unum, sicut dicit Psalmista, Psal. CXXXII, 1 : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*, ut scilicet nihil habeant a se invicem divisum. Qui enim ab unitate communitatis istorum membrorum divisi sunt, procul dubio interibunt, sicut dicitur, Osee, IV, 17 et 18 : *Particeps idolorum Ephraim : dimitte eum. Separatum est convivium eorum : fornicatione fornicati sunt : dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus.* Qui enim particeps est idolorum, non communi-

[1] Act. IV, 32.

cat cum mensa Domini. I ad Corinth. x, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Unde refectionem sumens cum diabolo, communionem non habet cum mensa Domini : et ideo talis dimittendus est : quia suum convivium separatum est a communione sanctorum : quia delectatione malæ concupiscentiæ fornicatus est a Deo suo : et protectores ejus, qui sunt liberum arbitrium et voluntas, dilexerunt illicita, ex quibus ferunt in opere sordis ignominiam. Hinc est quod Psalmista, Psal. XLIX, 5, dicit : *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Quia Deus istam omnium bonorum nostrorum communionem super omnia sacrificia diligit. Hoc est quod alibi dicit Psalmista, Psal. CI, 23 : *In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.* Servitium enim nullum Deo acceptum est, nisi quod in unitate communionis sanctorum est : id enim quod sic in unam congregat communionem, amor est, non tantum congregativus, sed unitivus. Et de hac uniente charitate scriptum est, I ad Corinth. XIII, 5, quod charitas *non quærit quæ sua sunt,* sed quæ aliorum. Glossa Augustini dicit : « Quia communi a propriis, non propria communibus anteponit. » Ex hac enim communione habet Ecclesia, ut omnibus satisfaciat in indulgentiis : quia quod uni deest, suppletur ex abundantiis aliorum : omnis enim abundantia est in Christi corporis communione, in qua sicut dicitur, ad Coloss. II, 3, *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei sunt absconditi.* Hinc gratias agit Apostolus, I ad Corinth. I, 4 et seq. : *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : ita ut nihil desit vobis in ulla gratia :* ibi enim commune meritum Christi, beatæ Virginis, Angelorum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, et omne meritum electorum Dei : et ideo nullus ibi pauper invenitur : omnes enim, sicut dicitur, Eccli. XLIV, 6, sunt *divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.*

Hæc communitas est thesaurus absconditus in agro Dominici corporis, sicut dicitur, Matth. XIII, 44 : *Quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* Et de hoc dicitur, Sapient. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.* Hoc est quod Psalmista, Psal. LXXXIX, 14, dicit : *Repleti sumus mane misericordia tua : exsultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.* Quia nullum bonum est, quod in hac communione non inveniatur : hæc enim communio corporis Christi est thesaurus sapientiæ Dei quæ est Christus, sicut dicitur, Sapient. VII, 14 : *Infinitus thesaurus est hominibus : quo qui usi sunt, participes effecti sunt amicitiæ Dei.* Ex hac communione accipit indulgentias Ecclesia, sicut diximus, defectum unius supplens ex abundantiis aliorum. Unde, II ad Corinth. II, 10 : *Cui autem aliquid donastis, et ego : nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.*

Sic igitur communio sanctorum in corpore Dominico omnia nostra facit communia.

CAPUT VII.

Quod hoc sacramentum faciat divinorum et humanorum verissimam communionem.

Facit etiam divinorum et humanorum hæc communio verissimam communionem. Deus enim in ea cum omnibus bonis suis est in homine, et homo in Deo, et Deus et homo est isto modo in omnibus nobis, ut sit verum quod dicitur, I ad Corinth. xv, 28 : *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Deus enim se ad nos inclinat in hac communione, et humana nostra in ipsum exaltat : et hoc sæpe a patribus antiquis desideratum est et oratum. Psal. CXLIII, 5 : *Domine, inclina cœlos tuos, et descende.* Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes.* Et alius gaudens aliis nuntiabat, Baruch, III, 38, dicens : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est,* humana nostra sua faciens, et divina sua nobis largiens. In tali affectu Petrus dicit, Matth. XVII, 4 : *Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Gustavit enim quam dulcis fuit communio divinorum, et in ea delectatione mundi exutus desiderabat in gustu divinorum permanere.

Propter dignitatem illius communionis dicit Apostolus, ad Philip. I, 4 et 5 : *Cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Evangelio Christi.* Unde et scribens Philemoni dicit, ℣℣. 4 et seq. : *Semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos : ut communicatio fidei tuæ evidens fiat, in agnitione omnis operis boni, quod in Christo Jesu.* De ista communione dicitur, Act. II, 42, de omnibus credentibus quod *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus* : quia communicatio fractionis panis omnium bonorum divinorum et humanorum conferebat communicationem.

Propter hæc ergo et his similia hoc sacramentum ponitur in genere communionis a partibus omnibus ante nos existentibus.

DISTINCTIO V.

QUOMODO HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE SACRIFICII?

Ponitur etiam hoc sacramentum in genere sacrificiorum.

Et in hoc notantur quatuor, scilicet hujus sacrificii auctoritas et antiquitas, hujus sacrificii sanctitas, hujus sacrificii acceptabilitas, hujus sacrificii veritas.

CAPUT I.

De hujus sacrificii auctoritate et antiquitate.

Antiquitatem autem et auctoritatem similiter imponimus : quia auctoritas partim pendet ex antiquitate : dicit enim Ambrosius, quod patet nostra sacrificia esse antiquiora quam sacrificia Veteris Testamenti : quia Melchisedech qui ante legem fuit, qui erat sacerdos Dei summi, panem et vinum obtulit in significatione nostri sacrificii, antequam aliquid de sacrificiis legalibus esset institutum : et quia antiquiora sunt nostra sacrificia, majorem debent habere reverentiam, præcipue cum in eisdem speciebus quas modo in usu habemus, sint oblata.

De auctoritate autem dicitur in Psalmo CIX, 4, ubi loquitur de Domino dominorum super omnem sacerdotem, dicens : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum* : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et hoc Dominus dixit postquam jam ordo Leviticus fuerat institutus, de quo ordine in æternum mansuro nihil locutus fuerat prius in lege. Patet igitur, quod auctoritate et antiquitate et jurisjurandi confirmatione et permanentia in æternum hoc sacrificium dignius est omnibus sacramentis et sacrificiis : et ideo istud solum est, quod perfectum est et consummatum. Unde, ad Hebr. VII, 11 et 12, dicitur : *Si consummatio per sacerdotium leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato*

enim sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat. Ex quo patet, quod istud est etiam antiquius, et auctoritate plenius, et sanctitate perfectius omni sacramento et sacrificio. Unde ibidem paulo post, ℣℣. 18 et 19, dicitur : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem : nihil enim ad perfectum adduxit lex : introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.*

Ex his quæ dicta sunt, accipitur, quod hoc sacrificium quatuor habet in se, quæ in nullo alio sacrificio simul inveniuntur. Est enim antiquitate veneratum, auctoritate divina sancitum, juramento confirmatum, et sua perfectione perpetuatum. Antiquitate quidem : quia ab eo qui verus erat *sacerdos Dei summi, sine patre, sine matre, sine genealogia, assimilatus Filio Dei*, sicut dicitur, ad Hebr. VII, 1 et seq., ante omnem sacrificiorum institutionem præsignatur. Auctoritate autem Dei sancitum : quia ab ipso Deo Patre collatum est hujusmodi sacrificii sacerdotium, sicut dicitur, ad Hebr. v, 5 et 6 : *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Juramento autem est confirmatum, sicut dicitur in Psalmo CIX, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Sua autem perfectione est perpetuum : quia propter perfectionem istius sacrificii omnia veteris legis cum lege et sacerdotio sunt abolita, ut istud in perpetuum statuatur observandum. Unde, ad Hebr. VII, 24 et 25 : *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Ex his igitur sacrificium suæ dignitatis habet auctoritatem et venerationem præ omnibus aliis sacrificiis tam novæ quam veteris legis.

CAPUT II.

De hujus sacrificii sanctitate.

Habet etiam præ omnibus sacrificiis sanctitatem et sanctificationis operationem : et sic illam quidem habet ex quatuor, quæ in hoc sacrificio inveniuntur, et non in alio simili. Quorum primum est, quia in omnibus est significatum. Secundum, quia omnibus aliis a Deo refutatis, voluntati divinæ est acceptissimum. Tertium est, quia valore est excellentissimum. Quartum est, quia pro omnibus hominibus redimendis ipsum solum est oblatum.

Quamvis enim multa fuerint sacrificia et ante legem et in lege Deo a patribus oblata, tamen istud unum in omnibus est signatum : quia tot gratiæ sunt in eo quæ unico sacrificio significari non poterant. Materia enim in qua offertur, et actus refectionis, signantur in panibus quos Angelis obtulit Abraham [1] : et in

[1] Genes. XVIII, 6.

panibus propositionis qui offerri præcipiuntur [1]: et in panibus primitiarum qui præcipiuntur offerri [2]. Hoc etiam signatur per panem qui paratus fuit Eliæ pro viatico [3]. Signatur etiam per subcinericium panem hordeaceum, qui visus est volvi in castra Madian, qui veniens ad tabernaculum percussit illud, et terræ penitus coæquavit [4]. Et in omnibus illis materia istius sacrificii designatur.

Per omnes autem oblationes animalium signatur Christus passus, qui in hoc sacrificio est res et signum. Qui primo signatur per agnum quem obtulit Abel [5]. Secundo, signatur per turturem et vaccam triennem, quam obtulit Abraham [6]. Signatur etiam per vitulum tenerrimum et optimum quem obtulit Abraham Angelis [7]. Signatur etiam per agnum paschalem et hœdum [8]. Signatur per arietes et vitulos et hircos, qui in Levitico in multis locis præcipiuntur offerri, præcipue tamen signatur per immolationem vervecis sive arietis, quem Patriarcha pro unigenito offerebat [9]. Signatur principaliter per holocaustum vitulæ rufæ, cujus cineribus et sanguine omnia expiabantur, et cujus sanguis per pontificem semel in anno in sancta sanctorum inferebatur, sicut dicitur, Levit. XVI, 3. Signatur propter diversitatem gratiarum quas continet in omnibus sacrificiis salis, similaginis, mellis, olei, thuris, et adipis. Mel enim quamvis non sit oblatio legis, sicut dicitur, Levit. II, 11, tamen est in verbis sapientiæ, et ostendit dulcedinem sacrificii, quæ est in holocaustis et pacificis, quæ Domino offerebantur, sicut tangitur, Levit. I et II, et deinceps usque ad cap. IV et VIII.

Horum omnium sacrificiorum diversitas ex maxima diversitate tangitur [10]. Principaliter tamen signatur per juge sacrificium agni, quod κατὰ mane et κατὰ vespere præcipitur offerri [11]. Tot enim gratiarum est istud sacrificium, quod omnibus his modis adhuc imperfecte signatur.

Signatur etiam in modis oblationum: quia signatur in holocaustis et pacificis, in hostiis, in victimis, et immolationibus, quoad diversitatem suarum operationum, in quibus continetur [12]. Sicut enim Dominus in seipso ad nos veniens, omnia nobis attulit genera gratiarum, sicut dicitur, Joan. I, 17: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Et ibidem, ℣. 16: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Ita sacrificium dedit nobis frequentandum, in quo gratia in omnibus signata superimpleretur, et non sic liberaret ab onere legalium sacrificiorum. Act. XV, 10: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Sic enim lex tota in uno impletur, quod est finis omnium. Matth. V, 18: *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Ad Roman. X, 4: *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* In omnibus enim prædictis istud solum sacrificium designatur.

Quinque enim sunt in materia per quæ signatur in quinque panum generibus, scilicet naturæ puritas, naturæ sanctitas, regalis dignitas, nutrimenti efficacitas, et super inimicos omnes triumphans humilitas.

Naturæ puritas signatur in tribus satis farinæ similæ commixtis in panem Angelorum a sapientia divina, per quæ signatur puritas deitatis sine furfure mutationis. Jacobi, I, 17: *Apud quem non*

[1] Exod. XXV, 30.
[2] Levit. XXIII, 10.
[3] III Regum, XIX, 6.
[4] Cf. Judicum, VII, 13.
[5] Genes. IV, 4.
[6] Genes. XV, 10.
[7] Genes. XVIII, 7.
[8] Exod. XII, 5.
[9] Genes. XXII, 13.
[10] Cf. Numer. XXVIII, 3 et seq.
[11] Cf. Ibid.
[12] Cf. Levit. I et III et deinceps.

est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Signatur etiam puritas animæ sine furfure peccati originalis. Sapient. VIII, 19 : *Sortitus sum animam bonam.* Signatur etiam puritas corporis sine furfure libidinis. Sapient, VIII, 20 : *Cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Sapient. VII, 24 : *Attingit autem ubique propter suam munditiam.* Et post pauca, ℣. 25 : *Et ideo nihil inquinatum in eam incurrit.*

Naturæ autem sanctitas per panes signatur propositionis, de quibus dicitur, I Regum, XXI, 4 : *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus*, manducent. Non enim licebat illos panes comedere nisi a sanctis in loco sancto.

Dignitas autem nobilitatis regalis signatur per panes primitiarum : quia primitiæ nobiliores erant inter fructus. Jerem. II, 3 : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus.* Proverb. III, 9 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum da ei*, scilicet pauperibus. Genes. XLIII, 11 et seq : *Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, et deferte viro munera.... Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem.*

Nutrimenti efficacitas et viatici virtus signatur in pane Eliæ, qui in fortitudine illius cibi ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb [1]. Et ideo *viaticum* appellatur : quia per totam viam confortat ad ambulandum. Unde dicitur, Josue, V, 12, quod per totam viam deserti non defecit cibus mannatis filiis Israel. Joan. VI, 49 : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.* Sed humilitas Christi patientis et mortalitas signatur in subcinericio hordeaceo, quæ humilis passio omnia castra subvertit inimicorum. Ad Philip. II, 7 et seq. : *Semetipsum, exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens*, scilicet Patri, *usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.* Quamvis enim humilitas durus cortex hordei videatur esse, et passio mortalitatis videatur decoctio, sub cinere tamen virtus confortativa latet intus, quæ diabolum vincit et omnia castra subvertit inimicorum.

3. In animalibus autem, sicut diximus, significatur per agnum, hircum, hœdum, capram, vitulum, et vaccam, et arietem. In avibus vero, in turture, columba, et passere.

In agno quidem propter patientis mansuetudinem. Jerem. XI, 19 : *Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* In hœdo autem propter passionis causam, quæ est duplex in peccato originali et actuali. Genes. XXVII, 9 et 10 : *Pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur : quas cum intuleris, et comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.*

Hircus et capra duas sequelas signant peccatorum, quas etiam Christus sua abstulit passione. Hircus enim peccati signat fœtorem in vilitate peccati per consuetudinem contractum. Capra autem per libidinem ad peccatum signat pronitatem, quæ duo sua Christus redemit passione. Unde, Levit. IV, 23 : *Offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum.* Solus enim Christus similitudinem carnis peccati habens et nullum peccatum, est hircus immaculatus de capris, hoc est, per peccatores et peccatrices a patribus descendens.

[1] III Regum, XIX, 8.

Vervex autem sive aries dux gregis, principatum Christi in regno fidelium designat. Proverb. xxx, 29 et seq. : *Tria sunt quæ bene gradiuntur :... aries*, scilicet dux gregis, *nec est rex, qui resistat ei.* Apocal. xiv, 1 : *Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* Sic offertur ab Abraham, Genes. xxii, 13, quia ibi repræsentat qualiter immortalis manet deitas, sicut Isaac, et immolatur humanitas ducis nostri gregis, quod signat aries immolatus.

Commemoratio autem passionis quæ quotidie fit in oblatione hujus sacrificii in altari, signatur per juge sacrificium, quod mane fiebat et vespere. Mane quidem ad gratiam virtutis, quia mane in vita ista egemus ad meritum : vespere autem in periculosa infirmitate, quia tunc sacramento egemus ad viaticum. De quibus duobus dicitur in Psalmo cxl, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum*, supple, matutinum, *in conspectu tuo : elevatio manuum mearum*, supple, in recommendatione animæ, *sacrificium vespertinum.* Eccle. xi, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua : quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud : et si utrumque simul, melius erit.*

In vitulis autem boum repræsentabatur hoc sacrificium propter saginæ maturitatem et utilitatem. Saginatus est enim vitulus omni pinguedine devotionis. Luc. xv, 23, occidit pater vitulum saginatum, quia salvum filium recepit. Mature etiam etiam incedit bos et caute, et fortiter ungulam figit. Ezechiel. i, 7 : *Planta pedis eorum planta pedis vituli.* Utile est ad arandum. Sic Christus caute pedem posuit, nulli malum et omnibus bonum exemplum dando, hominum corda vomere prædicationis aravit, sicut dicitur, Proverb. xiv, 4 : *Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.*

In avibus autem, in turture quidem signatur per gemitum in oratione. Cantic. ii, 12 : *Vox turturis audita est in terra nostra.* Per columbam, quia revolare ad patriam docuit, quod præ omnibus avibus scit columba. Isa. lx, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?* In passere autem, quia fugere præsentium insidias docuit, sicut passer præsidium non habet nisi fugam. Psal. ci, 8 : *Factus sum sicut passer solitarius*, etc. Psal. lxxxiii, 4 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus, et Deus meus.* Sic ergo quoad hoc signatur in animalibus.

In sacrificio autem vitulæ rufæ signatur, ideo quia sicut in sanguine vitulæ rufæ universa expiabantur, et cum sanguine erat introitus in sancta sanctorum : ita in sanguine Christi universalis fit expiatio peccatorum, et per sanguinem suum est introitus in cœlum. Unde, ad Hebr. xiii, 11 et seq. : *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Hebr. ix, 24 : *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

Sic igitur significatur in animalibus oblatis.

In aliis autem inanimatis Deo oblatis præsignatum est hoc sacrificium sex modis. Discretio enim rationabilitatis signatur per salem : quia nihil Christus nisi congrua fecit ratione. Levit. ii, 13 : *In omni sacrificio offeres sal.* Marc. ix, 49 : *Bonum est sal.* Et, Matth. v, 13 : *Vos estis sal terræ.* In similagine autem signatur, propter hujus sacrificii mundissimam puritatem. Unde, Levit. ii, 4, dicitur, quod de simila purissima erit sacrificium. In melle au- 4.

tem dulcedo signatur Spiritus sancti. Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* In oleo autem pinguedo signatur devotionis. Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* In thure notatur odor orationis et virtutis. Cantic. III, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris ?* Levit. I, 17 : *Adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino.* In adipe et pinguedine signatum est hoc sacrificium, quoad crassitudinis dulcedinem in Spiritus sancti interna consolatione. In sanguine autem omnis oblationis quoad opus redemptionis. Levit. III, 16 et 17 : *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris : nec sanguinem nec adipem omnino comedetis*, sed, supple, Domino offeretis. Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum.*

Sic igitur in multitudine gratiarum suarum et pinguedine spiritus signatum est in sacrificiis. In nullo autem offertur fermentum : quia corruptionem signat, quæ isti non congruit sacramento.

1. In modis etiam oblationum signatur omnibus quoad diversitatem numerosam suarum operationum. Sunt autem modi illi in universo quinque, et sextus salvatur in omnibus illis. Quinque autem sunt holocausta, pacifica, hostia, victima, et immolatio. In omnibus autem istis salvatur oblatio : quia quodlibet istorum Domino offerebatur. *Holocaustum* enim dicitur, quod totum incendebatur igne, sicut agni, jugis sacrificii, et sacrificium vitulæ rufæ. *Pacifica* autem dicebantur, quæ pro propitiatione pacis vel jam factæ vel proximo faciendæ cum Deo pro reconciliatione peccatorum offerebantur : et hæc non tota incendebantur, sed pars incendebatur Domino, et pars cessit sacerdoti offerenti, et pars cedebat in usus ejus qui obtulit pacifica et pro quo offerebatur. *Hostia* autem, sicut dicit Hesicius, vel ideo dicebatur, quod ad ostium tabernaculi ducebatur manibus offerentium impositis capiti ejus, ut sic significaretur, quod per ipsam ad sancta pateret accessus. Vel ideo, quia pro vincendis vel jam victis hostibus offerebatur. *Victima* autem, ut idem dicit Hesicius, vel dicebatur, quia victa offerebatur : vel quia in victoria, qua homo vicisse gaudebat quando tentatorem superaverat. *Immolatio* autem dicebatur, quæ cum offerretur, molam quamdam habebat animal in capite, in signum quod hoc animal ad Dei sacrificia pertinebat. In omnibus autem his salvatur oblatio : quia quodlibet eorum coram Deo offerebatur antequam in toto vel in parte incenderetur.

Hæc autem omnia in nostro implentur sacrificio spiritualiter. Nostrum enim sacrificium totum in igne charitatis et sancti Spiritus oblatum est, et offertur quotidie. Et hoc signatum est, Genes. VIII, 20 et seq., ubi postquam Noe de arca egressus est, quod signat salutem per baptismum, sicut dicitur, I Petri, III, 21 : *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Postquam igitur sic Noe egressus est, salvatus ex aqua, *ædificavit altare Domino : et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis* : quia sive sint animalia Dei quæ laborant in laboribus necessitatum hujus vitæ, sive sint volucres cœli, contemplatione cœlestia petentes, in holocaustum per ignem charitatis et Spiritus sancti incensi in altari, hoc est, in sacrificio altaris Deo oblati in odorem suavitatis, acceptantur. Immundi autem nihil cum altari nostro habent commune : quia sacrificio nostro non sunt uniti. Genes. XXII, 2 : *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in*

holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. Mons autem ille elevationem spiritus designat.

Hæc hostia etiam inter omnes singulariter est *pacifica,* quæ pacem fecit inter nos et Deum, sicut dicitur, ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra : qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua.* Isa. XXVI, 12 : *Domine, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Joan. XVI, 33, dicit discipulis : *Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis,* etc. Hæc etiam hostia pacifica est divisa : quia pars Deo ad laudem offertur, pars autem pro Ecclesia laborante, et pars pro purgandis in purgatorio, sicut in ante habitis diximus.

Hæc oblatio etiam verissime *hostia* est : quia et hostes potenter devicit, et per ostium cœli nos introduxit. De primo horum dicitur, Isa. LXIII, 1 : *Propugnator sum ad salvandum.* Et, Joan. XVI, 33 : *Ego vici mundum.* Christus enim exivit vincens ut vinceret [1]. De secundo autem, hoc est, de introductione per ostium dicitur, ad Roman. V, 2 : *Per ipsum habemus accessum per fidem,* scilicet ad Deum, *et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Hæc oblatio etiam specialiter dicitur *victima :* quia Christus victus obedientia Patris, voluntarie offerebatur. Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* His vinculis ligatus fuit, quando dixit, Matth. XXVI, 39 : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* His vinculis ligatus fuit Paulus, Act. XX, 22, quando dixit : *Ecce alligatus ego Spiritu, vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans.* His vinculis omnes vincti sunt, qui se victimant pro Christo. Isa. XLV, 14 : *Vincti manibus pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur.* Ideo etiam *victima* dicebatur, quia in victoria offerebatur : quia in Christo omnes vicimus, et mortem, et eum qui habebat mortis imperium. Ad Hebr. II, 14 et 15 : *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* I ad Corinth. XV, 55 et seq. : *Ubi est, mors, victoria tua ? ubi est, mors, stimulus tuus ? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Hæc etiam hostia singulariter *immolatio* vocatur : quia, sicut dicit Hesicius, quod animali offerendo mola imponebatur, ut Deo sciretur esse oblata : ita Christus in oblationem sanctam signatus est a Deo Patre, et manibus offerentium. A Deo quidem, sicut dicitur, Joan. VI, 27 : *hunc enim Pater signavit Deus.* A manibus autem offerentium purpura, veste alba, arundine pro sceptro, et corona spinea [2]. Cantic. III, 11 : *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua.* Ab hac mola immolationis nomen congrue accepit nostra immolatio. Psal. XLIX, 14 : *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Psal. XXVI, 6 : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo, et psalmum dicam Domino.*

In omnibus his salvatur salutaris oblatio : quia ipse summus pontifex obtulit se in omnia hæc quæ dicta sunt, sicut dicitur, Isa. LIII, 7 : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Hæc autem oblatio nostra sanctificatio fuit, in quæ omnes Deo Patri oblati sumus. Unde ipse dicit, Joan. XVII, 19 : *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Et dicit ibidem Chrysostomus, quod idem est dicere : *Pro eis sanctifico meipsum,* ut ipsi in me sint sancti et oblati. Sic ergo oblatus est, quia voluit. Voluit autem : quia hoc voluit Pater qui est origo sanctificationis et sacrificationis : et ideo de hac voluntate dicitur, ad Hebr. X, 7, et indu-

[1] Apocal. VI, 15.

[2] Cf. Joan. XIX, 2.

cit hoc quod dicitur in Psalmo XXXIX, 7 : *Tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Et subjungit Apostolus, ad Hebr. X, 10 : *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.*

Missa, quare sic dicitur ?

Ab hac oblatione qua nos quotidie in hac hostia Deo Patri offerimur ad ostium cœli, vocatur hæc hostia *Missa :* quia per talem oblationem nos Patri mittimur ad introducendum in cœlum, non quod Filius sibi mittatur, qui semper est secum, sed quod nos in ipsa hostia Deo oblati mittimur : et ideo jam omnibus quæ sunt de ordine Missæ rite celebratis, clamat in Ecclesia diaconus : « Ite, missa est. » Ac si dicat : Hostia et nos in hostia Patri missa est, ite profectu virtutum tamquam hostiæ incorporati et ad Deum missi. Et respondet chorus : « Deo gratias : » quia in hoc est summum omnium gratiarum : hoc enim summum est de quo ipse Filius gratias agit Patri in tanto sacramento. Matth. XXVI, 26 : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis,* sicut in ante habitis dictum est.

CAPUT III.

De hujus sacrificii acceptabilitate.

Considerandum modo occurrit de hujus sacramenti acceptabilitate, quæ, sicut dicit Augustinus in IV de *Trinitate,* in quatuor perpenditur : quorum unum positum facit, quod alia tria oportet esse accepta.

In omni enim sacrificio attenditur cui offeratur, et a quo pontifice sive sacerdote, et quid offeratur, et pro quo operatur id quod offertur. Sapientia autem divina sic est ingeniata, ut non possit esse sacrificium istud non acceptum. Offertur enim Patri, offertur a Filio nostro pontifice. Offertur Christus in humana natura corporis et sanguinis. Offertur autem pro omnibus. Sapientia autem divina oblatum univit offerenti : et qui offert et quod offertur, sunt unum in esse personæ. Univit offerentem cum eo cui fit oblatio : quia unum in deitate sunt Pater et Filius. Univit oblatum cum his pro quibus offertur : quia unius naturæ sunt Christus et homines : et sicut sibiipsi Pater Deus non potest esse non acceptus, ita Pontifex offerens unum cum Patre existens, non potest esse non acceptus. Et sicut Pontifex non potest esse Patri non acceptus, ita id quod est unum cum Pontifice offerente, non potest esse non acceptum, et sic oblatio est accepta. Et sicut offerens et oblatum non potest esse non acceptum, ita hi pro quibus offertur, non possint esse non accepti : quia unius naturæ sunt cum oblato et cum offerente, et sanguis Christi purgavit in eis id quod solum facit non acceptum : et incorporatio sacramenti univit eos et oblationi et offerenti : et ideo pluribus oblationibus non indigemus : quia ista pro omnibus sufficit semel oblata. Antiqui autem multis indigebant : quia nulla in his quæ dicta sunt, fuit perfecta : et ideo nulla earum accepta. Unde, ad Hebr. IX, 25 et 26 : *Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum*

pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno : alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi : nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destructionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et sequitur, ℣. 27 et 28 : *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium, sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata : secundo sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.* Sic igitur perfectissima et acceptabilissima oblatio est : quia Patri offertur, cui soli est offerendum. Sic dicitur, Exod. xx, 5 : *Non habebis deos alienos coram me.* Psal. lxxx, 10 et 11 : *Non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus.* Solus Filius est sacerdos hujus hostiæ et oblationis, ad oblationem hanc solus dignus. Ad Hebr. vii, 26 : *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* Ad Hebr. viii, 1 et 2 : *Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus et non homo.* Sequentes autem pontifices et sacerdotes et vicarii hujus sunt, in quorum verbis pronuntiatis Verbum increatum operatur oblationem. Isa. lxi, 6 : *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* Habemus sufficientissimam etiam oblationem, de qua dicitur, ad Hebr. vii, 25, quod *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Non ergo restat nisi ut purificati offeramur in ipsa, et Patri erimus accepti. Ad Hebr. iv, 16 : *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Unum enim cum Patre est pontifex : et ideo non spernit offerentem. Joan. x, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Et ideo non rapiet quisquam de manu sua, sicut nec de manu Patris aliquid rapi potest. Sic sancti oblati in manu Dei sunt. Sapient. iii, 1 : *Justorum autem animæ in manu Dei sunt.* Oblati a Dei Filio, et recepti a Deo Patre. Offerens et oblatum est idem : quia, Joan. xvii, 19, dicit : *Pro eis ego sanctifico meipsum.* Ad Hebr. vii, 27 : *Hoc fecit semel, seipsum offerendo.* Oblatum cum his pro quibus offertur, unum est : et ideo mediator unum est nobiscum, et unum cum Patre. I ad Timoth. ii, 5 : *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Unde, ad Hebr. ix, 11 : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum.* Et dicit Glossa : « Assistens Patri, et assistens nobis. »

Acceptissimum est ergo hoc sacrificium, de quo dicitur in Psalmo l, 21 : *Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta.* Hoc enim sacrificium omnem implevit justitiam, et in ipso omnes oblationes et holocausta sunt perfecta et accepta. Isa. lvi, 7 : *Holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo.* Isa. lx, 7 : *Offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo.* Hoc enim sacrificio solo domus majestatis et efficitur et nominatur et glorificatur. Malach. iii, 3 et 4 : *Erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui.* Placebit quidem *sicut dies sæculi :* quia per omne sæculum et sæculi dies non sibi succedit alterum, propter suam omnimodam perfectionem. Placebit autem *sicut anni antiqui :* quia est secundum ordinem Melchisedech in annis antiquis ante legem præsignatum. Propter hæc et similia non utimur aliquo sacrificio nisi isto unico : quia, sicut dicit Gregorius : « Hoc magis vivis proficit ad gratiam inveniendam, retinendam, et recuperandam : hoc magis desiderant mortui purgandi ad impetrandam veniam : hoc maxime acceptat Pater ad gloriam et beatitudinem omnium sanctorum. » Et hoc signatum est, Job, xlii, 8 : *Job, servus meus, orabit pro*

vobis. Faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. Job enim *dolens* interpretatur, et signat Christum, qui dolens in cruce se obtulit pro nobis, et hoc sacrificium in Missa commemoramus.

CAPUT IV.

De hujus sacrificii veritate.

Tandem videndum est de hujus sacrificii veritate. Hoc enim solum in se continet sacrificii veritatem, non quod alia sacrificia falsa fuerunt, sed quia alia sunt umbra, et istud non umbram, sed veritatem habet veri sacrificii. Ad Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Imago enim sacrificii in ipso vero sacrificio quiescit : quia hoc quod in signo visibili per similitudinem repræsentat, interius ad plenam æqualitatem producit et perficit in gratia. Et hanc imaginem plenæ æqualitatis non habebant sacrificia aliqua vel sacramenta veteris legis : quia etiam illud quod umbrose figurabant, non efficiebant per causalitatem : veritas enim multiplex est secundum multiplicationem suorum oppositorum : opponitur enim veritas falso : et sic veritatem habent omnia Veteris et Novi Testamenti sacrificia, et falsa sunt idolorum sacrificia. I ad Corinth. x, 19 et 20 : *Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.* Ac si dicat : Falsus deus est idolum, falsum sacrificium quod idolo immolatum est : et ideo non dico, quod idolum sit aliquid, aut quod idolo immolatum sit aliquid : quia falsum, nihil, et non verum idem sunt.

Hoc autem modo loquendo illud sacrificium cum omnibus divinis sacrificiis communem habet veritatem. Opponitur etiam verum impuro permixto cum natura aliena, sicut dicimus verum aurum, quod veritatem naturæ auri habet, et alii metallo non est admixtum. Et sic istud sacrificium verius est omni sacrificio : quia in se nihil nisi sacrum habet admixtum : alia autem sacrificia in se habebant quæ sanctitatis et gratiæ non erant receptibilia, sicut sunt carnes ovium et taurorum et hircorum et avium et aliorum similium. Ad Hebr. x, 1 : *Eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere.* Psal. XLIX, 13 : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ?*

In isto autem sacrificio totum est sanctum, sicut ipse dicit, Levit. XIX, 2 : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Non enim, sicut jam dictum est, sanctificat nos de sanguine vitulorum, sed de suo sanctificat nos et in suo. Hæc est veritas de qua dicitur, Joan. XVII, 17 : *Sanctifica eos in veritate : sermo tuus veritas est.* Sermo autem ille fuit quo veritatem sacrificii instituit. Psal. L, 8 : *Ecce enim veritatem dilexisti.* Veritas etiam opponitur apparenti et non existenti, sicut umbra apparens similitudo est corporis et veritatem illius nullam in se habens. Et sic sacramenta et sacrificia legalia umbra fuerunt,

veritatem nullam exhibentia. Istud autem solum est sacrificium veritatis : quia omne id quod signat, abundanter causat et continet in seipso per gratiam corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Hæc autem dicimus de his quæ essentialiter fuerunt in sacrificiis veteris legis, sicut agnus immolatus, et sicut hircus, aut vitulus immolatus, aut similago, vel oleum, vel vinum, vel sal, vel aliud hujusmodi. Quia tamen hæc ad tempus instituta erant a Deo, donec corrigerentur per verum sacrificium, ideo fides offerentium et devotio et obedientia multa meruerunt apud Deum, quæ ab ipsa re sacrificata non efficiebantur. Unde, ad Hebr. IX, 1, talia sacrificia dicuntur *justificationes culturæ, et sanctum sæculare,* quod aliquando finito suo proprio sæculo quo datura erant, erunt in melius corrigenda. Ad Hebr. IX, 9 et 10 : *Munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.* De hac veritate quam solum habet inter sacrificia, dicitur, Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Quia in hoc solo veritas omnes liberans invenitur, eo quod abundanter sacrat, sicut ostendit : et ideo ipse qui nostrum sacrificium est, pontifex, dicit, Joan. XIV, 6, sic : *Ego sum via, et veritas, et vita :* quia ipse est via in sacrificii signo, veritas autem in contento, et vita in exhibito : quia sacrificium exhibet vitam per gratiam quam efficit in nobis. Est ergo via signando veritatem in sacrificiis specie. Est veritas per seipsum in sacramenti sanctitate. Est vita per gratiam in sacramenti virtute.

His et similibus de causis nullum umquam sacrificium perfecte Deo placuit, nisi istud. Isa. I, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui.* Glossa Interlinearis dicit ibidem : « Numquam volui. » Psal. XXXIX, 7 et seq. : *Sacrificium et oblationem noluisti, aures,* obedientiæ scilicet, *perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti : tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui,* etc. Ac si dicat : Illa propter imperfectionem suam non placent quæ secundum legem offeruntur : et ideo ego aures patulas habens ad obediendum in corpore quod tu aptasti mihi animatum et deitati unitum, venio in sacrificio mei corporis et sanguinis, totam tuam, o Pater, voluntatem in sanctificando homines et satisfaciendo pro ipsis perficiens, ut omnia vetera imperfecta in usum hujus efficacis sacrificii commutentur. Et per hunc modum arguit Apostolus, ad Hebr. X, 7 et seq., dicens : *In capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens : Quia hostias, et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : aufert primum, ut sequens statuat.* Ad Hebr. VII, 18 et 19 : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem : nihil enim ad perfectum adduxit lex : introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* Et ideo etiam Pater dixit de Filio, Matth. III, 17 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et, Matth. XVII, 5 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.* Quia ad placitum redemit Pater in sacrificio Filii de omni quam ad nos habuit offensa, recipiens sacrificium istud solum veritate plenissimum, et omni redundans perfectione. Nec ultra quærit Propheta Michæas, VI, 6 : *Quid dignum offeram Domino?* Habemus enim sacrificium dignissimum et perfectissimum, quod pro omnibus debitis nostris, et pro his quæ impetrare volumus, offeramus.

DISTINCTIO VI.

QUOMODO HOC DONUM SIT IN GENERE SACRAMENTI?

TRACTATUS I.

DE INSTITUTIONE HUJUS SACRAMENTI.

His omnibus determinatis, jam restat dicere de ultimo istius gratiæ genere, in quo ab omnibus ponitur, quod est sacramentum Ecclesiæ.

Circa quod quatuor notanda occurrunt, scilicet institutio, materia et forma. Et quid sit hoc sacramentum, et quid res et sacramentum, et quid res tantum. Et quarto, quis sit ritus hoc sacramentum celebrandi.

Circa institutionem quidem occurrit dicendum de causa institutionis, de necessitate, de tempore, et de modo : hæc enim in omni institutione sacramentali inquiruntur.

De institutione igitur loquentes dicamus, quod causa instituendi hoc sacramentum, quamvis multiplex sit valde, tamen quatuor a Patribus assignatæ inveniuntur : quarum primam habet in quantum est sacramentum Ecclesiæ. Secundam autem, in quantum est memoriale Christi dilectionis. Tertiam, in quantum est commemoratio Christi passionis. Quartam autem, in quantum est signum futuræ beatitudinis.

CAPUT I.

De causa institutionis hujus sacramenti

Prima causa institutionis.

De prima causa igitur dicentes dicimus, quod omne sacramentum contra peccatum in medicinam institutum est : et quia Eucharistia est sacramentum, necesse est quod contra peccatum in medicinam institutum sit. Sic enim dicitur, Eccli. XXXVIII, 4, quod *Altissimus de terra creavit medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.* Terra enim hæc benedictum corpus Domini est, cujus plenitudo, plenitudo Dei est : quia in ipso complacuit habitare divinitatem corporaliter. Ad Coloss. II, 9 et 10 : *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter : et estis in illo repleti.* Pleni enim sumus omni benedictione et medicina contra peccatum ex deitate Christi : quia solus Deus potest peccata dimittere, et contra morbum peccati parare medicinam.

Hoc signatum est, Tob. III, 25, ubi dicitur, quod ad curandam Saram, filiam Raguelis, et curandum Tobiam, *missus est Angelus Domini sanctus, Raphael, ut curaret eos ambos.* Sara enim *princeps* vel *carbo* vel *velamen* vel *angustia* interpretatur : Raguel autem *ægrotans* et *Deo lingua nostra* dicitur. Significat Sara animam rationalem, quæ in primo princeps omnibus intus et extra principabatur, et postea oblita sui honoris per peccatum globos lucis suæ in carbonem, immediatam Dei visionem in velamen, felicitatem in angustiam commutavit. Hæc bene Raguelis filia, hoc est, Adæ dicitur, a quo licet non secundum animam, tamen secundum corpus descendit, quod per generationem carnalem sortita est, qui pastor fuit et Deo ægrotans soli, qui solus eum de peccato curare potuit. Tobias autem interpretatur *ductus ad luctum*, et signat a stercoribus instabilis avis hirundinis, quæ alba et nigra est, hoc est, a fortunæ bonis quæ *stercora* dicuntur, ad luctum peccati et cæcitatis abductos, quibus ambobus medicina non paratur, nisi per Christum quem signat Raphael, qui *medicina Dei* interpretatur. Psal. CII, 3 et 4 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas : qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Si enim in omnibus sacramentis nostras Christus sanat infirmitates, maxime tamen facit hoc in sacramento, in quo ipse totus in deitate et humanitate et gratia continetur. Hinc est, quod etiam sacerdotes, quorum officii est hoc conficere sacramentum, *medici* dicuntur. Psal. LXXXVII, 11 : *Numquid... medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* Ac si dicat : Non suscitabunt : quia Deus solus est, qui a peccato suscitat : sed medici sicut ministri conficiunt et exhibent medicinam. Hinc est, quod Raphael dixit Tobiæ juniori, Tob. VI, 5 : *Exentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi : sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.* Piscis enim ille est Dominus Jesus Christus in aquis gratiarum purissimarum conceptus, et secundum humanitatem nutritus, qui quamvis cor-

poraliter numquam exenteratus vel exenterandus sit, tamen spiritualiter semper exenteratur : quia visceribus ejus in charitate et misericordia incorporamur, dum eum sumimus ut medicinam contra peccatum. Exod. XII, 9 : *Caput cum intestinis et pedibus vorabitis* : et tunc cor ejus quod est principium motivum in charitate, et fel quod est amaritudo passionis ejus, et jecur quod est principium nutrimenti in sacramento quod nobis in edulium præparavit, confert nobis in diversa medicamenta contra peccati infirmitates.

Secunda ratio. Institutionis etiam causa fuit, ut esset signum dilectionis nulla umquam oblivione delebilis. Quis enim umquam obliviscetur, quod cum Filius Dei seipsum nobis dedisset ut esset nobiscum quando venit in mundum, quod tunc recedens de mundo se nobis dedit ut esset in unoquoque nostrum, cui non incorporatur, sed quem ipse sibi incorporat. Sic enim est in nobis ut nos simus in ipso, ipse enim in nobis sacramentaliter, ut nos in ipso simus incorporati. Sic enim dicit, Joan. XV, 5 : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum* : *quia sine me nihil potestis facere*. Nec enim est necessarium, quod fiat in nobis quod dicitur, Exod. XIII, 7, quod dicamus : *Estne Deus in nobis?* Quia scimus, quod per sacramentum charitatis verissime et sacramentaliter in nobis est. Joan. XVII, 21 : *Tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Et infra, ℣. 23 : *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Et iterum ibidem post pauca, ℣. 26 : *Ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* Caro enim Filii in sacramento est liber in quo scriptum est Verbum æterni Patris : et ideo cibamur ipso ad memoriam charitatis et veritatis, quæ semper legimus in hoc libro, sicut in signo perfectæ dilectionis et veritatis : quia Christus vere dilexit nos. Ezechiel. III, 3 : *Venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto quod ego do tibi. Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce.* Quis enim inæstimabili non afficiatur dulcedine, quando scit se intra viscera corporaliter et sacramentaliter habere Verbum Dei Patris inscriptum multis involutionibus corporis et sanguinis, et credit desiderium suum illo cibo compleri ? Apocal. X, 10 : *Accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum : et erat in ore meo tamquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus.* Ubi liber signat Verbi in carnem et sanguinem inscriptionem : libri autem involutio, multam quam in miseriis carnis sustinuit involutionem : devoratio sumendi desiderium : dulcedo saporis divinæ dulcedinis condimentum : venter autem affectum : sed amaritudo ventris signat nostræ ad hoc sacramentum dissimilitudinis contrarietatem, quæ in nobis excitat amaritudinem : quia contraria juxta se posita magis elucescunt : et dum gustamus sacramenti dulcedinem, tunc magis nostræ dissimilitudinis ad ipsum sentimus amaritudinem.

Tertia causa. Tertia causa quam habet in quantum est commemoratio Christi passionis est, quod in ipso celebratur mysterialiter Christi passio, quæ semper debet esse nobis præ oculis. Et hoc quidem signatum est, Numer. XXI. 8, ubi dicitur : *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus adspexerit eum, vivet.* Qui enim ante cordis oculos habet passionem crucis, non lædetur a serpente : et si percussus est, sanabitur. Qui autem in oculis serpentem non habuerit, peribit a morsu serpentis.

Dedit ergo signum hoc sacramentum, ut in ipso ad oculos revocetur Christi passio : et sic omnes medicinam inveniamus contra morsum antiqui serpentis. Hoc est quod dicitur, Isa. XI, 10 : *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabun-*

tur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. Radix enim Jesse, quæ interpretatur *incendium*, est Christus Dominus incendio charitatis se decoquens in igne passionis, et nobis se communicans, qui in altari elevatus in signum populorum sicut exaltatus fuit in cruce, ita elevatur a manibus sacerdotis, ut signi crucis et exaltationis quotidie fiat memoria : et ideo ipsum sic elevatum gentes deprecabuntur, sicut pœnitentes cum Centurione deprecati sunt in cruce revertentes in civitatem, et percutientes pectora sua, sicut dicitur, Luc. XXIII, 47. Et sepulcrum ejus quo conditur et absconditur, scilicet formæ sacramentales, erit gloriosum : quia in ipso conditum adoramus Dominum Jesum Christum. Unde etiam ritus qui usque hodie servatur in Ecclesiis, prædictus est, Isa. XVIII, 3, ubi dicitur : *Cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, et clangorem tubæ audietis.* Summa enim sanctitas sacerdotum et Angelorum hujus passionis memoriale celebrantium, *montes* dicuntur, et cum confectum est corpus Domini, elevatur ab omnibus adorandum. Ad quod videndum omnis multitudo occurrit fidelium : et qui non sunt potentes, audiunt clangorem campanarum, ut simili veneratione recipiant Dominum venientem, et suam in cruce exaltationem iterum ostendentem. Isa. XIX, 20 : *Erit in signum et in testimonium Domini exercituum in terra Ægypti* : quia per hoc signum continue ad memoriam reducitur, qualiter in cruce fuit exaltatus et omnia traxit ad seipsum. Ad Hebr. XII, 2 : *Adspicientes in auctorem fidei et consummatorem, Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, etc.

Quarta causa.

Quarta causa : quia est institutum in signum futuræ beatitudinis, de quo licet quædam ex verbis Dionysii in præhabitis dicta sint, tamen adhuc ad ædificationem quædam restant dicenda. Id enim quod nunc in sacramentali specie percipiendo Christum agimus, signum est qualiter eumdem aliquando secundum dulcedinem suæ deitatis in cœlesti beatitudine percipiemus, sicut beatus dicit Gregorius. Sicut enim templum et omnis ornatus ejus sunt signa parabolica cœlestis pulchritudinis, et sicut splendor vestium pontificalium et sacerdotalium et aliorum ministrorum signa sunt parabolica amictus illius quo lumine et decore divino in cœlis erunt beati induti : ita et perceptio Eucharistiæ signum est perfectissimum perceptionis illius qua in beatitudine dulcedinem Jesu Christi et Patris et Spiritus sancti percipimus. Sic enim ordo iste Ecclesiasticus de cœlo descendit, quod visibilibus istis invisibilia demonstraret. Exod. XXV, 40 : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Ad Hebr. VIII, 5 : *Responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum : Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte.* Sicut dicit Joannes, Apocal. XXI, 2, quod *vidit civitatem sanctam, Jerusalem novam*, quæ omnem dispositionem Ecclesiasticam prætendit, *descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Sicut dicitur, Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et rationem ejus pones in terra ?* Si ergo hæc ab ordine cœli descenderunt, tunc procul dubio ad hoc instituta sunt, ut pulchritudinem cœlestem designent, maxime autem et maximum quod est in cœlo signum, erit id quod in Ecclesiasticis est maximum.

Constat autem, quod maximum est dignitate illud propter quod omnia alia fiunt et observantur. Hoc autem est Eucharistiæ divinæ perfectio et perceptio : et maximum quod est in cœlo, est perceptio dulcedinis divinæ sine medio : perceptio igitur Eucharistiæ perceptionem dulcedinis divinæ signabit, et ad hanc significandam est a Deo instituta. Propter quod in Evangelio semper istam perceptionem in sacramenti specie ad dulcedinis cœlestis fruitionem continua-

vit, dicens : *Non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam novum in regno Dei* [1]. Genimen enim vitis sacramentum est sub vini specie : novum autem in regno Dei est sub gaudii divini veritate. Unde, Matth. XXVI, 29 : *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Quia sicut hic sacramentaliter bibit in gratia, ita in die illustrationis plenæ gloriæ bibit cum suis in gloria fruendo bonis divinis et in gratia et in gloria. Unde Gregorius super Job, XXXVIII : « Dum se fruitur, nullo bono indiget. » Et simile huic Matthæo dicit etiam Marcus. Sed, Luc. XXII, 18, dicit sic : *Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Venit autem regnum Dei per manifestationem in cœlesti beatitudine. Hoc signatum est, Joel, III, 18, ubi dicitur, quod *stillabunt montes dulcedinem.* Hoc enim continget, quando illi benedicti montes, Pater et Filius et Spiritus sanctus, naturalem dulcedinem omnibus beatis instillabunt, in qua dulcedine perfectam habebunt beatitudinem, de cætero numquam miseri futuri.

Sic igitur hoc sacramentum est in signum futuræ beatitudinis institutum.

CAPUT II.

De necessitate hujus institutionis sacramenti.

1. Necessitas autem institutionis sacramenti quibusdam aliquando venit in dubium.

Potest autem aliquis objicere et dicere, quod cum omnis gratia sacramentalis quantum ad suum substantialem effectum ordinetur contra peccatum, in quo differt gratia sacramentalis a gratia virtutum et donorum, et cum peccatum sufficientem accipiat medicinam ex gratia aliorum sacramentorum, et nihil sit superfluum in numero gratiarum sacramentalium, videtur quod istud superfluit sacramentum. Peccatum enim aut in se, aut in reliquiis consideratur. In se autem consideratur in specie, vel in genere, secundum quod dicimus, quod est originale, vel actuale. Reliquiæ autem sunt vel ex pœnis in quas ex peccato incidimus, quæ sunt difficultas faciendi bonum, et pronitas ad malum, sive ex infirmitate, sive ex ignorantia causata, et reliquiæ quæ sunt remanentiæ debilitatis et corruptionis in corpore ex anima. Contra originale autem sufficiens est medicina baptismus. Contra autem pronitatem excipiendam ne ruat in præceps, sufficiens medicina est matrimonium. Contra autem eamdem pronitatem minuendam, et ad fortitudinem faciendi bonum et standi in bono augendam, sufficiens est medicina confirmatio. Et contra peccatum actuale cum differentiis suis, sufficiens est medicina pœnitentia. Et contra reliquias in corpore et anima remanentes ex utroque peccato, sufficiens est medicina extrema unctio. Nec Eucharistia potest esse sacramentum

[1] Marc. XV, 25. Cf. Matth. XXVI, 29 ; Luc. XXII, 18

sicut est sacramentum Ordo : quia hoc est sacramentum constituens in gradu potestatis et dignitatis, quo gradu conferuntur et dispensantur omnia Ecclesiastica sacramenta : et ideo videtur quibusdam illud non esse sacramentum, sed potius inenarrabile donum liberalitatis divinæ, quo divina largitas signare voluit ex perceptione præsentium munerum quid in futurum et quam magnum donum exspectare debeamus.

Hoc autem dictum stare, non potest : quia ab omnibus doctoribus Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Hilario, et a Græcis, Joanne Chrysostomo, et Basilio, et Gregorio Nazianzeno, computatur Eucharistia inter novæ legis sacramenta.

Adhuc autem si Eucharistia sacramentum non esset, non essent septem novæ gratiæ et legis sacramenta.

Adhuc autem cum in omnibus sacramentis passio et sanguis Christi operentur contra peccati defectum, valde videretur mirabile et nihilominus improbabile, quod in Eucharistia in qua principaliter passio Christi commemoratur et sanguis cum corpore sumitur, non esset aliqua operatio medicinalis contra peccati morbum : et ideo pro certo tenendum est, quod nihil est quod isti dicunt, præcipue cum Glossa, Matth. xxvi, 27, super illud : *Et accipiens calicem, gratias egit*, dicat quod Christus Patri gratias egit de tanto sacramento.

2. Ideo dixerunt alii, sicut Præpositivus, et Gulielmus Antisiodorensis, et Stephanus Cantuariensis, et Cantor magnus Parisiensis, quod in veritate Eucharistia sacramentum est principalis dignitatis inter sacramenta. Est tamen etiam donum Dei, sicut ostendimus in secundo hujus partis tractatu [1].

Et dicunt sicut in prima objectione proponitur, quod gratia sacramentalis substantialiter et principaliter ordinatur in peccati medicinam, vel in se, vel in reliquiis, vel in effectu peccati. Sed dicunt, quod illa divisio quam ponit objectio, insufficiens est : quia præter illa quæ ibi commemorantur, est etiam veniale de genere et specie peccatorum : et dicunt, quod contra illa ordinatur Eucharistia, quæ venialia peccata dicuntur. Dicunt etiam hoc probando per signum veritatis in dicto eorum, quod venialia signantur per pulverem pedum, hoc est, affectuum, qui minutus adhæret meantibus ad patriam in hoc exsilio. Christus autem ut signaret sacramentum hoc vălere contra veniale, ante collationem Eucharistiæ lavit pedes discipulorum. Joan. xiii, 10 : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, hoc est, affectus ad extersionem venialium, *sed est mundus totus.*

Hæc autem opinio sicut et prima non est vera : quamvis enim venialia remittantur in perceptione Eucharistiæ, tamen non est contra ea substantialiter et principali operatione ordinatum, sicut etiam remittuntur in baptismo et in aliis sacramentis, quamvis contra ea non sint essentiali et principali operatione ordinata. Oportet autem, quod aliquod unum sit in peccato, contra quod istud sacramentum principaliter ordinetur, et quod per alia sacramenta non efficiatur principali operatione.

Adhuc autem veniale peccatum non est peccatum simpliciter, sed potius quædam ad peccatum dispositio : quia cum dicitur *veniale peccatum*, est ibi oppositio in adjecto : quia peccatum secundum sui perfectam rationem dicit defectum boni in actione, reatu et accusatione dignum : veniale autem privat reatum et accusationem : quia veniale est, cujus reatus nullus est, et accusatio non debet attendi : igitur veniale non est simpliciter morbus : et sic contra illum non debet aliqua una et essentialis medicina ordinari. Sed sicut est non pec-

[1] Vide supra, Distinct. II.

catum simpliciter, sed dispositio ad peccatum, ita non unum, sed multa habet remedia in contrarium disponentia, sicut est aqua benedicta, tunsio pectoris, confessio communis in Prima, et ante Missam, et in Completorio, benedictio Episcopalis, et hujusmodi : non est ergo aliquod speciale remedium contra hoc ordinatum.

3. Hæc igitur considerando dicimus, quod in veritate Eucharistia est sacramentum, et est contra peccatum in sua gratia quam substantialiter principaliter confert ordinatum : sed non est ordinatum contra veniale peccatum, sicut valde theologice probant rationes inductæ. Sed dicimus cum objectione prima, quod omnis gratia sacramentalis contra peccatum vel aliquid quod est in peccato, est ordinata : et bene concedimus, quod contra originale ordinatur baptismus : et si alia peccata remittuntur in baptismo, hoc est ex consequenti, et non ex ordine sacramenti, Consequens autem vocamus quod dicit Ambrosius, quia impium est a Deo dimidiam sperare veniam. Et ideo cum gratia datur contra originale, ex ratione gratiæ est, quod nullum peccatum in anima cum gratia remaneat : et ideo omnia peccata delet tam originale qnam actuale : sed hoc non est sacramento, sed ex ratione gratiæ gratum facientis, quæ secum non dimittit esse peccatum mortale in anima. Gratiam autem gratum facientem confert baptismus.

Bene etiam concedimus, quod pœnitentia per eumdem modum etiam ordinatur contra actuale. Reliquiæ autem quæ relinquuntur ex peccato, sunt secundum primam divisionem duplices. Una autem pars reliquiarum facit ad malum pronitatem, sive ex impotentia boni, sive ex ignorantia, sive etiam ex libidine ad malum. Alia autem pars reliquiarum est ex longo defectu boni. Ex prima autem parte reliquiarum duo incurrit homo incommoda, quorum unum est, ut dicit Augustinus [1], concupiscentia ruitura in præceps, nisi in actum prolapsa, aliqua honestate excipiatur. Et contra hanc ordinatur medicina matrimonii : quia concupiscentia ruitura in præceps, in actum concubitus progressa, excipitur honestate nuptiarum, vel fide thori, vel signo sacramenti, vel spe prolis, vel duobus his aut certe tribus excusata. Si autem concupiscentia non progreditur in actum, tunc duobus modis attenditur : aut enim consideratur in ipsa pronitate sola ad malum et difficultate ad bonum, et sic contra ipsam est medicina confirmationis : aut consideratur secundum id quod relinquitur in viribus animæ et membris corporis, scilicet impedimentum gratiæ et gloriæ, quod est mala dispositio impediens utrumque, et sic contra reliquias illas extrema unctio ordinatur. Si autem considerentur reliquiæ secundum defectum boni, cujus longus defectus inediam inducit boni naturalis secundum destitutionem sui in seipso, sicut longus defectus cibi inducit inediam et defectum boni corporis in seipso, sic contra reliquias peccati ordinatur sacramentum Eucharistiæ per modum medicinæ : dicit enim Augustinus, quod fames et sitis infirmitates sunt, contra quas infirmitates sumenda sunt alimenta quemadmodum medicamenta : et sicut hic dicitur de fame et siti corporalibus, ita intelligendum est de fame et siti spiritualibus. Amos, VIII, 11 : *Mittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Et sic inedia edulii spiritualis cibi et sitis destitutionem et inediam inducunt spiritualis vitæ et principiorum ejus, quæ inedia causatur ex peccato : et contra hanc substantiali operatione ordinatur cibus sacramenti Eucharistiæ, sicut in præmissis in tertio hujus ope-

[1] S. Augustinus, Lib. IX super Genesim ad litteram, cap. 7.

ris tractatu per multa est probatum [1].

Et ex hoc etiam patet solutio objectionis quæ facta est ad hoc quod Eucharistia non sit sacramentum.

4. De opinionibus autem quæ inductæ sunt, dicimus quod satis per rationes theologicas probatum est, quod illæ opiniones non habent per se satis convenientem rationem : et ideo concedimus, quod falsæ sunt et sine ratione positæ.

Ex omnibus quæ dicta sunt, patet, quod necessitas institutionis hujus sacramenti est medicina contra peccatum, et contra defectum peccati quem incurrit homo ex longa abstinentia cibi spiritualis: et contra hunc defectum nullam aliam propriam et singularem vel essentialem medicinam habemus, nisi istam quæ per se est cibus spiritualis, sicut in ante habitis dictum est, et sicut dicitur, Isa. LXV, 13 : *Servi mei comedent, et vos esurietis : servi mei bibent, et vos sitietis.* Et in Psalmo XXII, 5 : *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* Tribulationes enim nostræ sunt dæmones, cibum spiritualem auferentes. Contra quod malum famis et sitis hæc mensa paratur.

Hoc etiam signatum est, Tob. VI, 8 et 9, ubi dixit Raphael, qui *medicina Dei* vocatur, de pisce quem exenterari præceperat : *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Et fel valet ad ungendos oculos in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.*

Quamvis enim cor Domini incisum per partes non fuerit, tamen non minima ejus cordis particula est Eucharistia, quam nobis ex tanta cordis sui dedit charitate. Non minima etiam cordis ejus particula est sanguis, qui de latere cordis fluxit. Hæ particulæ super carbones ponuntur, quando in igne cordis nostri beneficia cordis Dominici nobis impensa recordantur : carbones enim sunt beneficia et judicia charitatis Dei quæ nos incendunt : et in his carbonibus fumat per devotionem, ita quod fumum istum dæmones sustinere non possunt. Id autem quod sic assum est, reficit ad omnem restaurationem spiritualium in nobis. Exod. XII, 9 : *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni.* Fel autem amaritudo est passionis, in cujus commemorationem hoc sacramentum celebratur, quod pro certo illuminat oculos spirituales lumine gratiæ et veritatis, ita quod omnis albugo tollatur in oculis cordis de mundi vanitate contracta. II ad Corinth. III, 16 et 17 : *Cum conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est.* Sic ergo hoc sacramentum est institutum in medicinam. Sapient. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos : sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Sermo, inquam, in virtute istius sacramenti. Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.* Verbum istud in velamine cibi mittit in omni Missa. Propter quod etiam finita Missa clamat Diaconus : « Ite, Missa est. » Et propter hanc missionem qua hostiam in cibum mittit ad nos, quam et nos sumptam et nos eidem incorporatos remittimus ad eum, missa, nomen Missæ accepit. Et de hoc exclamat Psalmista in laudibus, Psal. CX, 4 et 5 : *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus. Escam dedit timentibus se.* Et iterum, Psal. CIII, 27 et 28 : *Omnia a te exspectant ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent,* etc.

[1] Vide supra, Dist. III, Tract. I et II.

CAPUT III.

De tempore institutionis hujus sacramenti.

1. Triplex ratio cur Eucharistia lege Dei institui.

Videndum est post hæc de tempore institutionis hujus sacramenti.

Dicunt enim quidam mysteria Dei irridentes, quod si hoc sacramentum in medicinam morbi quem ex inedia incurrit homo, institutum est, tunc statim facto peccato debuit a principio mundi institui. Hi autem illusores sunt, et non advertunt, quod etiam in cibo corporali non semper est hora comedendi. Oportet enim in hora comedendi tria attendere. Unum quidem ex abstinentia præcedenti desiderium famis. Secundum autem, quod in corpore consumptus sit malus chymus, si ille in corpore est per cibum male ante comestum. Tertium autem est hora illa qua etiam virtute cœlesti juvantur vires corporis ad cibi sumptionem et profectum.

Unde antequam cibus iste daretur, oportuit quod desiderium famis in ipsum excitaretur, et quod sentiret homo, quod sine isto edulio reparari non poterat. Et ideo quamdiu per bona naturæ in naturali lege refici præsumpsit, cibus iste non parabatur, et quamdiu per bona legis factorum refici putabat, non parabatur cibus, sed significabatur tam in lege naturæ, quam in lege Moysi. In lege quidem naturæ per panes Angelorum, quos Abraham fecit [1]. In lege autem Moysi per panes propositionum [2]. Quando autem famem sensit, et vidit, quod aliunde refici non potuit, tunc sub lege gratiæ iste cibus paratus fuit. Et hoc est quod sub typo humani generis dixit filius prodigus, Luc. xv, 17 et 18 : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo! Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei*, etc. Thren. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Thren. ii, 12 : *Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum*, scilicet propter sterilitatem et tempestatem famis.

Hoc ergo sensu fame excitata in hominibus statim parabatur iste cibus : fastidientibus enim non debebat ingeri, etc.

2. Similiter autem sicut dicit secunda causa : quia chymus valde malus creatus erat in homine ex comestione vetiti, qui nullo modo fuit tenendus in corpore cum cibo sancto : et ideo expediebat, quod ille prius per longam abstinentiam consumeretur : et tunc demum cibus sanitatis præpararetur. Oportuit ergo, quod expulsiva et evacuativa homo sumeret antequam cibus iste præpararetur : hæc autem evacuativa fuerunt legis austeritas, et prophetiæ exhortatio : et tunc demum expulso malo chymo, qui ex vetito creatus fuerat, cibus gratiæ perfectæ sanitatis parabatur. Eccli. xxxi, 25 : *Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome, et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem.* Ideo

[1] Genes. xviii, 6.

[2] Exod. xxv, 30.

dicitur, Proverb. xxx, 1 : *Verba Congregantis, filii Vomentis.* Quia pro certo per confessionem et antidotum pœnitentiæ fellei humores sunt evomendi antequam salutaris cibus exhibeatur. Et ideo oportuit differri hunc cibum usque dum felleus humor et pestiferus chymus ex gustu vetiti contractus, sentiretur per infirmitatem, et medicina requireretur, et tunc vomeretur : et tunc evacuato ab illis, cibus homini pararetur et exhiberetur.

Et hæc est secunda causa.

3. Adhuc tertia causa est, quod non erat parandus cibus donec virtute cœlesti natura ad sumendum cibum juvaretur : quamdiu enim sol in meridie ascendit, calorem naturalem de intimis evocat ad exteriora, et relinquitur locus digestionis frigidus et destitutus : et ideo quando post meridiem quando frigus incipit obrepere membris exterioribus, ex subtractione caloris luminis solis, tunc calor revertitur ad interiora, et spiritus confortant locum digestionis, et secundum naturam sumendus est cibus. Unde etiam Petrus, Act. II, 15, arguit Apostolos esse sobrios ex hora tertia diei dicens : *Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia :* quia in tertia sol ascendit, et calorem de medullis corporis ad exteriora ducit, et nutrimentum jam digestum secum trahit ad nutrimentum membrorum : et tunc fluxus nutrimenti ad membra non est impediendus per alterius cibi sumptionem : sed quando præcedens cibus membris per calorem et motum solis invectus est, tunc alius cibus sumendus est : non est autem invectus quamdiu sol et calor ascendunt secundum naturam : quia motus ascensionis luminis et caloris solis, motus est evocativus nutrimenti ad organa exteriora : et ideo post occasum solis a meridie sumendus est cibus secundum naturam motus cœlestis, sicut dicunt boni medici, qui vim naturæ et calorem ad cœlestem referunt circulum. Et similiter est in die mundi, quod antequam sol inclinaret a meridie, hoc est, in fine mundi, non erat parandus cibus salutaris : tunc enim in vespera mundi paratus jam membris vacuis ingeritur cibus salutaris : et tunc avide appetitur et salubriter accipitur : et tunc Dominus noster cibum salutatem paravit : et ideo *cœna Domini* dicitur, et non prandium : quia in fine mundi parata hæc cœna aliam se sequentem non habebit. Matth. XXII, 2, dicitur, quod *simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Luc. XIV, 16 : *Homo quidam fecit cœnam magnam*, etc. Apocal. III, 20 : *Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Et ideo etiam iste cibus dicitur *cœna*, Joan. XIII, 4 et 5 : *Surgit a cœna, et ponit vestimenta sua*, hoc est, corporis indumenta,... *et cœpit lavare pedes discipulorum.* Hoc etiam signatum est, Matth. XXVI, 20, et Marc. XIV, 18, ubi dicitur, quod vespere facto discubuit cum duodecim : quia licet statim post meridiem sit pro certo quantum ad motum cœli comedendum, tamen adhuc salubre est abstinere usque ad vesperum, donec fumi præcedentis cibi consumantur, et nutrimentum bene membris uniatur. Et ideo sapientes comedunt post meridiem parum ante vesperam : quia tunc statim residet cibus in locum digestionis, et calor subducto exteriori radio solis recedit ab exterioribus corporis, et obrepente frigore in exterioribus corporis calor interior in loco digestionis concluditur, et frigiditas exterior inducit somnum, in quo cibus fortiter digeratur, et sic digestus in aurora solis calore redeunte iterum membris nutriendis per motum solis invehatur. Et ideo mane comedentes reprehenduntur : quia rem committunt innaturalem et stultam, quæ est contra rationem. Eccle. X, 16 : *Væ tibi terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt,* scilicet non ad necessitatem, sed ad ebrietatem. Isa. V, 11 : *Væ qui consurgitis mane ad ebrieta-*

tem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis ! Dominus ergo ea quæ sunt naturæ volens conformare his quæ sunt gratiæ, voluit in vespera mundi cibum suum parare, ut per hoc infrugalis homo disceret abstinentiam, et qualiter se per abstinentiam parare deberet ad cibum salutarem. Et hoc signans dicit Apostolus, I ad Corinth. XI, 18 et seq. : *Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam,... jam non est Dominicam cœnam manducare : unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Non enim expedit nec est honestum crapulam saturitatis hesternæ eructare super cœnam Domini, sed cum desiderio famis exinanito corpore ad cœnam Domini accedere : sic enim ut dicitur, Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* hoc est, hanc plenæ justitiæ cœnam : *quoniam ipsi saturabuntur.*

His ergo tribus de causis tempus institutioni congruum fuit finis mundi, quando sol jam cœpit vergere ad occasum. Sic enim dicitur, Eccle. III, 1 : *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa,* etc.

CAPUT IV.

De modo institutionis hujus sacramenti.

Quarto de modo institutionis hujus sacramenti est videndum.

In modo autem illo oportet, quod verba Domini attendantur : quia ex quibusdam eorum accipitur modus institutionis, et ex quibusdam collatio potestatis ex ordine hoc sacramentum celebrandi, et ex quibusdam accipitur injunctio usus sacramenti istius in Ecclesia. Ex hoc enim quod dicit : *Accipite,* sicut dicitur, Matth. XXVI, 26, vel *sumite,* sicut dicitur, Marc. XIV, 22, vel, sicut dicitur, Luc. XXII, 17 : *Accipite, et dividite inter vos,* pro certo cum porrexerit sacramentum, intelligitur sacramenti institutio : non enim porrexit tantum panem vel vinum, sed porrigendo panem et vinum, in ipsa porrectione dixit formam transsubstantiantem, et sic porrigendo eis sacramentum significavit a se procedere in personas Ecclesiasticas : et hoc est instituere sacramentum.

Et hoc verum esse ostenditur per verba Apostoli, I ad Corinth. XI, 23 et 24, ubi sic dicit : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate.* Ex quo accipitur, quod porrigendo sacramentum instituit in tali materia et in tali forma, sicut tenetur in Ecclesia. Non enim potuit aliud intendere porrigendo nisi institutionem : quia porrigendo signavit hoc sacramentum ex sua auctoritate procedere, et processum illum verbo acceptionis in imperativo posito expressit dicendo : *Accipite,* vel *sumite.* Et ex hoc modo inæstimabile donum nobis contulit. Ad Ephes. IV, 8 : *Dedit dona hominibus.* Et ideo dicitur, Sapient. III, 14 : *Dabitur illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.* Nullum enim sanctificationis nostræ donum electius est, quam in quo

ipse secundum omnia quæ in ipso sunt, dat seipsum in divinis et humanis, nec aliqua sors in templo acceptabilior esse potest, quam potestas conficiendi corpus Christi et ipsum communicandi fidelibus. Hoc autem modo donationis utitur instituendo sacramentum, ut ostendat, quod ex sua liberali et gratuita largitate procedit, et intima charitate, qua in nobis per hunc modum communionis esse voluit, verificans hoc quod dixit, Proverb. VIII, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Sic enim substantiæ suæ et vitæ et gratiæ sumus participes, quibus caret qui non communicat. Joan. VI, 54 : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Unde in hoc fecit quod dicitur, Sapient. XVI, 21 : *Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* In modo ergo constituendi gratuitam dulcedinem indicat, quando imperium quod importatur in imperativo, dono largissimo nobis dato dulcoravit, ostendens quod dixit, Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Levissimum enim institutionis imperium quod princeps instituere vel facere potest, est quod dicit, *Accipite,* quando donum suæ dat magnificentiæ, quod omnem supplet defectum accipientis. Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Hoc igitur modo instituit sacramentum, et reverenter voluit accipi ab Ecclesia.

Potestatem autem celebrandi dedit, quando dixit : *Hoc facite in meam commemorationem,* sicut dicitur, Luc. XXII, 19, et I ad Corinth. XI, 24. Per hoc enim quod dicit : *Hoc facite,* dedit potestatem faciendi : quia facere duo dicit quando ponitur in imperativo. Dicit enim collationem potestatis, quando tali verbo utitur is qui princeps est, et auctoritatem habet ad inferiorem : quia tunc idem est, *hoc facite,* ac si diceret : Hoc faciendi habete auctoritatem et potestatem. Et tunc in hoc verbo sacerdotalem discipulis contulit ordinem, sicut tradunt hi qui inter Doctores sunt probabiliores. Unde similibus verbis utitur Episcopus, quando sacerdotalem confert ordinem. Dicit enim sic porrigendo calicem cum hostia panis et sacrificio vini cum aqua : « Accipite potestatem in Ecclesia offerre sacrificium Deo, Missamque celebrare tam pro vivis quam pro mortuis, in nomine Domini. » Sic ergo in ore Domini verbum, *facite,* traductionem potestatis ex ordine signat a Domino in discipulos. Quando enim princeps confert potestatem, tali verbo utitur, etiam quando subditus minister nihil facit, sicut et nos dicimus potestatem signando, dicentes : Sacerdos celebrat Missam, quam non celebrat nisi sacerdos, non signantes actum, sed potestatem. Unde Joannes in Apocalypsi, I, 5 et 6, gratias egit de tanta dignitate, dicens : *Princeps regum terræ dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo : ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.* Isa. LXVI, 21 : *Assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus.* Apocal. V, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram.* Isa. LXI, 6 : *Vos autem sacerdotes Dei vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* Apocal. XX, 6 : *Erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis,* hoc est, per totum tempus gratiæ.

Sic ergo in verbo dicto collatio accipitur potestatis.

Si autem verbum illud ad usum referatur operis, sicut innuit illud quod additur : *In meam commemorationem,* tunc sensus est : *Hoc facite in meam commemorationem,* hoc est, hoc in usu et frequentatione habete in meam commemorationem : et tunc in hoc eodem verbo injungit usum. Unde, Act. II, 46 et 47 : *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exsultatione*

et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. I ad Corinth. XI, 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

Sic ergo dicendo : *Accipite*, etc., et sacramentum instituit et inæstimabile donum dedit. Quando autem ut princeps regum terræ dixit : *Hoc facite*, faciendi illud contulit potestatem. Quando autem hanc potestatem ad actum retulit adjungens, quod in sui fieret commemorationem, pro certo injunxit usum quo exercendo nos in Ecclesia sanctificaremur et Christo incorporaremur. In primo horum mirabilis est gratia, in secundo dignitas immensa, in tertio vero sanctificatio cumulata.

De primo horum dicitur, Esther, XV, 17 : *Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena gratiarum.* Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

De secundo dicit Apostolus, II ad Corinth. III, 6 : *Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera, sed spiritu.* I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

De tertio dicitur ad Ecclesiam, Cantic. VII, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Ac si dicat : Venter tuus qui ex gustu vetiti concupiscentia et doloribus plenus fuit, modo est sicut acervus tritici, sæpius sumpto sacramento corporis Domini, coacervatam habet sanctitatem, et liliis castitatis mentis et corporis est circumpositus undique : quia plenam attingit ex usu sacramenti virtutis sanctificationem.

TRACTATUS II.

DE MATERIA ET FORMA HUJUS SACRAMENTI.

CAPUT I.

De materia sacramenti.

1. Secundo hic oportet inquiri de materia et forma hujus sacramenti.

Circa quod duo inquiri est necesse, scilicet quæ sit materia et quæ sit forma.

Circa materiam autem quinque dubitata a sanctis patribus inveniuntur: quorum primum est, ad quid oportet circa sacramentum corporalem esse materiam? Secundum autem, quæ sit hujus sacramenti corporalis materia? Tertium autem, quis sit modus transsubstantiationis materiæ in corpus Christi? Quartum, ad quid oportet manere accidentia præcedentis materiæ post transsubstantiationem in corpus Christi jam factam? Quintum, qualiter ibi manent illa accidentia? Hæc enim a sanctis patribus ante nos sunt inquisita, quamvis in quibusdam eorum determinatio sit valde obscura.

In sacramento est corporalis materia propter tres causas.

Dicimus autem circa primum, quod oportet esse in sacramento corporalem materiam propter tres causas: quarum prima sumitur de ratione sacramenti. Secunda, de causa institutionis sacramenti. Tertia, ex imperfectione hominis in usu gratiæ sacramentalis.

Prima igitur: quia, sicut dicit Augustinus, quod sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum, cujus imaginem gerat, et causa existat. Visibile autem signum non potest esse nisi in visibili aliquo corpore sumptum, quod corpus est sacramenti elementum: quia ex ipso sacramentum componitur corporaliter sicut naturalia corpora componuntur ex elementis. Et ideo dicit Magister Hugo de sancto Victore in libro suo de *Sacramentis*, quod sacramentum est visibile et corporale elementum ex institutione divina signans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione invisibilem gratiam conferens. Quia igitur Eucharistia sacramentum est et in genere sacramenti ponitur, et definitio generis tota salvatur in specie, oportet quod Eucharistia visibile sit elementum quantum ad materiam. Et hæc est prima causa ad eruditionem ordinata: quia ex visibili elemento et proprietatibus ejus erudit nos Do-

minus quid conferat invisibili gratia in sacramento. Unde Paulus ad Titum, II, 11 et 12: *Apparuit enim gratia Dei, salvatoris nostri, omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo.* Ad hoc enim visibilia signa sacramentalia instituit, ut erudiamur de gratia quam ipse in sacramento in nobis efficit. Isa. XLVIII, 17: *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.* Non enim sciremus has sacramentales gratias, nisi signis visibilibus erudiremur. Propter quod dicit Gregorius, quod etiam ipse Christus visibilis effectus est, ut ex visibilibus ad invisibiles gratias erudiamur.

Hinc est etiam, quod in multis apparitionibus patribus ad sensum visibilia proposuit, ut ex omnibus illis ad invisibilia erudirentur. Osee, XII, 10: *Ego visionem multiplicavi eis, et in manu Prophetarum assimilatus sum.* Psal. LXXXVIII, 20: *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: Posui adjutorium in potente*, etc. In omnibus enim his formis visibilibus invisibilem docuit gratiæ effectum, quem spiritualiter intelligimus, quando visibilia per similitudinem ad invisibilem gratiam comparamus. Propter quod dicitur, Daniel. X, 1, quod *intelligentia est opus in visione:* quia per intellectum oportet corporalia ad spiritualium acceptionem comparare. Et ideo dicit Augustinus, quod sacramentum præter speciem corporalem quam ingerit sensibus, aliud facit in notitiam venire. Et præpositio *præter* quæ ibi ponitur, non est exceptiva, sicut quidam male intelligentes existimant, sed potius ponitur ibi pro *juxta*, ut sit nota similitudinis, et sit sensus, quod præter, hoc est, juxta speciem sive formam corporalem quam ingerit sensibus, aliud spirituale ad similitudinem translationis sumptum facit venire in notitiam mentis.

Et hoc dicit Hugo de sancto Victore, quod est *ex similitudine repræsentans.*

Secunda autem causa quæ sumitur ex institutione sacramenti, est Hieronymi. Dicit enim, quod sacramentum ideo materialem et elementalem et corporalem habet materiam, quod quia homo superbiendo per creaturæ libidinem recessit a Deo, dignum fuit ut subjectus corporali elemento salutem quæreret in eodem in quo perdidit salutem. Et hoc maxime in isto effectum est sacramento, considerando materiam secundum genus: quia in edulio corporali homo perdidit vitam: ideo constitutum est ut in edulio corporali vitam recuperaret: et ideo oportuit ut cibus spiritualis materiam haberet corporalem, ut, sicut dicit Gregorius: « Ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. » Et hoc quidem verum est secundum generis convenientiam, et non secundum convenientiam speciei: quia enim vitam perdidit homo in fructu ligni vetiti, vitam invenit in specie panis et vini, qui tamen panis coctus est in ligno crucis: et ideo dicitur fructus ligni vitæ. III Regum, XVII, 12: *En colligo duo ligna ut ingrediar, et faciam illum* (hoc est, panem) *mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur.* Nec ista sunt egena elementa, de quibus dicit Paulus, ad Galat. IV, 3, sed potius sunt elementa, in quorum effectu Deus constituit nostram salutem: quia quamvis talibus corporalibus elementis salutem non alligaverit, tamen in istis elementis salus invenitur, et perditur vita, quando non requiruntur, nisi articulus necessitatis, et non contemptus religionis elementum sacramentale excludat. Unde et Christus, Matth. XXVI, 26, elementum corporale exhibens, et exhibendo demonstrans, dicit: *Accipite et comedite: Hoc est corpus meum.* Et similiter dixit demonstrans sanguinem sub specie vini, ibidem, ℣℣. 27 et 28: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hinc est quod dixit, Joan. VI, 51 et 52: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc*

2.

pane, vivet in æternum. Quamvis enim homo per naturam illam qua factus est ad imaginem Dei, superior sit omni corpore inanimato, tamen quia se peccato subdidit per concupiscentiam rei corporalis, juste humiliatus est, ut salutem quærat in eo quod secundum naturam inferius est ipso, et sic sanetur superbia ejus, qua voluit esse æqualis ei qui est super omnia per comestionem corporalis elementi vetiti. Unde, Jacobi, IV, 6, et I Petri, V, 5 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hinc est quod dicitur, Proverb. IX, 5 : *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Quia in corporali cibo vitam perdidistis, ideo ego corporalem cibum paravi vobis, in quo vitam invenietis. Hinc est quod de sapientia quæ Filius Dei est, dicitur. Proverb. III, 18 : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus.* Unde, Joan. VI, 27 : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.*

Hæc ergo est secunda causa.

3. Tertia autem causa est quam tangit beatus Dionysius : quia, sicut dicit, impossibile est nobis lucere divinum radium, nisi sit sacris velaminibus circumvelatum : est enim homo materialem valde habens intellectum, qui ideo quod conjungitur sensui et imaginationi, parum vel nihil potest accipere spiritualium nisi in similitudine corporalium sibi illa proponantur. Et hoc est quod dicitur, Sapient. IX, 14 et 15 : *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ : corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hæc est ergo causa, quod spiritualia sine quibus non est salus, et quæ nos oportet scire, conveniens fuit nos doceri sub similitudine elementi corporalis : gratiam enim refectionis spiritualis non intelligeret homo carnalis sine similitudine corporali, sicut dicit Gregorius : « Regnum cœlorum ideo terrenis rebus simile esse dicitur, quatenus ex his quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit, et per ea quæ usu didicit, discat amare quæ nescit. » Unde, Sapient. IX, 16, dicitur : *Difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore : quæ autem in cœlis sunt quis investigabit?* Unde per omnia hujusmodi oportet hominem manuduci ad cœlestium intellectum. Et hæc est scala Jacob, per quam ascendit ad cœlestium apparitionem et notitiam divinorum, Genes, XXVIII, 12 et 13, ubi dicitur, quod Jacob *vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum :... et Dominum innixum scalæ,* etc. Quia per similitudinem corporalium translatione facta ad spiritualia, cœlestia cognoscimus. Et de hoc dicitur, Sapient. X, 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas : et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum.* Quia viæ rectæ sunt, quas possibile est hominem secundum intellectum materialem ambulare : et illæ sunt, ut scalis similitudinum corporalium ad notitiam elevetur divinorum, et illis ostenditur sibi regni Dei mysterium, et datur sibi notitia sanctitatis sanctorum.

Hæ igitur tres causæ sunt propter quas in sacramentis conveniens est esse corporale elementum, etc.

4. Quæ sit materia sacramenti Eucharistiæ ?

Secundo dicere habemus, quæ corporalis elementi substantia istius sacramenti sit materia.

Jam autem in præmissis in quibus de tertio genere sacramenti locuti sumus [1], ostensum est quomodo oportet esse materiam panis de frumento et materiam vini.

Sunt tamen quidam qui dicunt contra hoc dicentes, quod ex quo hoc sacra-

[1] Vide supra, Dist. III, Tract. I et II.

mentum communiter toti Ecclesiæ ubique per totum orbem terrarum diffusæ detum est, quod deberet habere materiam quæ in toto terrarum orbe possit inveniri, nec triticum autem nec vinum communiter invenitur : quia in terris Aquilonaribus glaciali frigiditate constrictis, nec triticum nascitur, neque vinum : et sic cum in terris illis diffusa sit Ecclesia, videtur quod illa pars Ecclesiæ frequenter privetur tanto sacramento : quod valde inconveniens esse videtur, ex quo in eo consistit necessarium remedium contra peccatum.

Adhuc autem objiciunt : Ex similibus conveniens est nutrimentum : carnes autem similiores sunt complexioni humanæ quam panis, et carnes communius per terrarum spatia inveniuntur quam triticum : et sic videtur, quod carnes aliquæ hujus sacramenti deberent esse materia.

Ad hæc omnia et similia dicimus, quod si omnia quæ in nutrimento attenduntur, simul considerentur, non invenitur adeo naturale et commune nutrimentum sicut triticum et vinum : ea autem sunt substantiæ puritas, complexionis æqualitas : quia triticum est moderate calidum et humidum. Sunt etiam substantiæ subtilitas ad penetrandum, et nutrimenti hæsibilitas, quod non facile a membris evellatur, etc., quæ in ante habitis determinata sunt, tam de pane de frumento, quam de vino : et ideo nulla est materia istius sacramenti nisi panis et vinum.

Ad hoc autem quod objicitur, dicendum, quod triticum et vinum aut ubique sunt, aut de facili, aut de propinquo ad usum sacramenti adducuntur. Si autem alicubi non invenirentur aliquando, et non contemptus religionis, sed articulus necessitatis hoc efficeret, dicimus cum Augustino, quod ideo Deus sacramentis suis gratiam non alligavit, quin gratiam suam sacramentalem et sine sacramentis in habentibus fidem et devotionem ad sacramentum operetur. Et hæc vocatur *spiritualis* perceptio sacramenti : et in hujusmodi casu dicit Augustinus: « Ut quid paras dentem et ventrem ? Creda, et manducasti. » Sicut ille in quo baptismus non contemptu religionis, sed per articulum necessitatis excluditur, non amittit fructum baptismi, sed baptizatus baptismo flaminis in Spiritu sancto reputatur. Ad hoc autem ordinata est manducatio spiritualis qua Christo incorporamur, sicut in præhabitis dictum est.

Ad hoc autem quod de carnibus objicitur, dicendum quod caro in genere similior est carni : sed quoad exigentiam omnium eorum quæ conveniens faciunt nutrimentum, caro non est propinquius et convenientius nutrimentum : quia, sicut dicunt physici, omnis caro inflammat, quod non facit triticum : sed tamen hoc non attenditur : sed quia congregata in pane et in vino inveniuntur, quæ faciunt naturalia cibum et potum, et quia Christus grano frumenti et viti se comparavit, et præcipue quia Christus primitus hoc sacramentum in pane de frumento et vino instituit. Oportet igitur hujus sacramenti esse materiam panem de frumento et vinum. Genes. XXVII, 37 : *Frumento et vino stabilivi eum.* Oleum enim stabilit ad unctiones gratiæ sacramentalis, quia omne sacramentum est in peccati remedium : sed frumentum et vinum stabilit ad corporale et spirituale nutrimentum. Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini.* Et ex his idem accipitur quod prius : quia super oleum ad unctionem gratiæ refertur sacramentalis. Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt*, scilicet multiplicatione spirituali, qua fideles multiplicantur ex sacramentorum procreatione. Zachar. IX, 7 : *Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* hoc est, virgineas mentes.

Hoc etiam ab ipsis nominibus accipitur : quia frumentum a verbo *fruor, frueris*, derivatur : eo quod ipsum præ aliis fructum facit nutritionis. Et vinum derivatur à *vi* : eo quod vim specialem

habet ad potandum membra, si temperate et ordinate sumatur. Hoc signatum est, Ezechiel. xxvii, 17, ubi de Tyro dicitur : *Juda et terra Israël ipsi institores tui in frumento primo.* Tyrus enim *angustia* interpretatur, et signat eos qui ex angustia mundi ad Dominum convertuntur, de quibus ipse dicit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* [1]. Illi enim frumentum se nutriens et stabiliens in gratia habere non possunt, nisi ex Juda qui clerum signat, et ex terra Israël quæ signat populum religionis Christianæ. Propter quod et, Matth. xv, 27, mulier Syrophœnissa, quæ prima panem filiorum a Domino petivit, de finibus Tyri et Sidonis legitur fuisse egressa : quia venationem cupiditatis sæcularis et angustias mundi dimiserat, ad fidem Christi conversa.

Hæc igitur est causa quare sacramentum Eucharistiæ talem habet materiam, etc.

5. Quis sit modus transsubstantiationis panis et vini in corpus et sanguinem Christi ?

Modus autem transsubstantiationis hujus materiæ in corpus Christi, valde difficilis est ad determinandum : ideo quod nullus modus naturalis motus et mutationis est cui concordet. Constat enim, quod in natura non sunt in genere nisi duæ mutationes, quarum una vocatur *de subjecto in subjectum :* altera autem vocatur *de non subjecto ad subjectum*, aut *de subjecto ad non subjectum* Subjectum autem, ut dicit Avicenna, vocatur ens in actu secundum formam suam et esse suum substantiale salvatum, sed mutatum secundum ubi vel formam quæ fit in ipso, sicut in motu secundum locum, idem ens in forma et in esse substantialibus substantialiter salvatum, mutatur secundum renovationem situs qui fit in ipso : et ideo est de subjecto ad idem subjectum sub alio situ vel ubi mutatum. In alteratione autem et augmento idem salvatur subjectum in forma substantiali et esse, sed variatur secundum accidentia quantitatis et qualitatis, quæ sunt in ipso. Talis autem mutatio proprie *motus* vocatur, et nullo modo potest poni in sacramento : quia subjectum panis et vini secundum substantialem formam et esse panis et vini, non salvatur in corpore Christi et sanguine : quia corpus Christi non est materialis et substantialis panis in esse substantiali panis : nec sanguis Christi vinum est in esse et forma vini substantialibus : et si corpus Christi *panis* dicitur, et sanguis *vinum*, hoc est secundum metaphoram, et non secundum prædicationem propriam et substantialem, sicut dicitur, Joan. vi, 51 et 52 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et sicut ibidem, ℣. 59, dicitur : *Hic est panis qui de cœlo descendit*, et alia hujusmodi. Matth. vi, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Lucæ, xi, 3 : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et alia multa talia inveniuntur.

Patet igitur, quod talis modus motus non est in sacramento : et ideo non possumus dicere : Iste panis est corpus Christi. Vel, Iste panis erit corpus Christi. Nec iterum possumus dicere : Corpus Christi fuit panis, vel, Sanguis Christi fuit vinum. Quia nulla talium locutionum vera est, nisi in his quæ naturalem habent motum, et substantia eorum salvata est in utroque terminorum illius motus, sicut dico, quod Petrus est supra qui fuit inferius : vel, quod Petrus est albus qui fuit niger : vel, quod Petrus est magnus qui fuit parvus.

Tamen his quæ diximus, contrariari videntur verba Canonis, ubi dicitur : « Supplices te rogamus, omnipotens Deus : jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum. » Ex quo videtur, quod illud quod est inferius, localiter moveatur et societur corpori Christi, quod est in cœlis, et addatur ei.

Adhuc fortius objicitur ex hoc quod

[1] Matth. xi, 8.

antecedit parum in Canone statim post confectionem, ubi dicitur : « Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis : offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, Panem sanctum vitæ æternæ, et Calicem salutis perpetuæ. » Ibi enim post consecrationem et confectionem jam peractam adhuc dicitur *panis* et *calix*, qui calidam, ut jamdudum diximus, sonat potionem, quæ vinum proprie est secundum naturam. Videtur ergo alicui forte propter hoc quod sub forma corporis Christi salvata sit substantia panis, et sub forma sanguinis salvata sit substantia vini.

6.

Ad hæc et similia solvenda multum laboraverunt antiqui, et defecerunt scrutantes scrutinio, et divisi sunt in diversas opiniones erroneas, tres scilicet opiniones quas in ante habitis induximus.

Prima enim ad secundam inductam dicebat objectionem, quod quando dicitur : « Panem sanctum vitæ æternæ, » quod sensus est, quod est vere panis sanctus per consecrationem, signans panem corporis Christi qui spiritualiter sumptus est panis vitæ æternæ. Eodem autem modo de hoc, « et calicem salutis perpetuæ : » hoc est, qui vere est calida potio vini signans spiritualiter sanguinem Christi, qui est calix salutis perpetuæ spiritualiter, et non sacramentaliter sumptus : quia isti concedunt, quod nec corpus Christi verum, nec sanguis Christi verus continetur in sacramento, sed signat tantum, sicut et lapis signat Christum, et alia quædam de Christo parabolice dicta. Istam autem opinionem in ante habitis probavimus esse hæreticam : et ideo hanc solutionem etiam hæreticam reputamus, firmiter credentes et simpliciter confitentes, quod corpus et sanguis Christi veraciter, quod traxit de Virgine, et suspensum est in cruce, et resurrexit a mortuis, et ascendit in cœlum, et regnat in æqualitate Patris, in tota sui veritate et naturalitate et gratia et gloria sub speciebus sacramenti continetur in altari sub manibus sacerdotis post confectionem. Profana est igitur hujusmodi responsio.

Ideo venit secunda opinio, quæ dicit, cum substantia panis salvari ibi corpus Christi et contineri. Et dicit sanguinem Christi contineri cum substantia vini salvata, et respondet ad ea quæ objecta sunt, dicens, quod in veritate ima superis non sociantur per delationem inferioris ad superiora : quia sacerdos communicans accipit substantiam panis quæ in infimo est, et substantiam vini quæ inferius est in calice, et illa duo in corpore Christi non uniuntur, quod est in cœlis in dextera Patris, et etiam in altari cum substantia panis et vini. Sed cum dicitur : « Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum », dicunt quod sensus est : Jube hæc, hoc est, signata per hæc perferri per manus, etc. Signata autem per hæc sunt Ecclesia militans per modum qui olim a nobis determinatus est : quia scilicet sicut panis ex multis fit puris granis, et sicut vinum ex multis fluit et confluit uvis, ita Ecclesia colligitur ex multis fidelibus, pro quibus orat sacerdos ut ad altare gloriæ cœlestis in hostiam Deo per manus sancti Angeli ferantur : et sic Ecclesia militans triumphanti conjungitur. Quæ licet responsio in parte conveniens sit, tamen quia super quoddam non Catholicum fundatur fundamentum quod ista supponit opinio, ideo mihi nullo modo placere poterit : fundatur enim super hoc quod panis in corpus Christi non transsubstantietur, neque vinum in sanguinem, sed tantum ibi panis et vinum ad signandum in sacramento assumantur. Et hoc est contra Catholicam veritatem, et contra verborum Christi significationem, quibus dixit : *Accipite et comedite : hoc est corpus meum.* Et non

dixit : Accipite in hoc, vel cum hoc corpus meum, sicut nos superius ostendimus, ubi de ista secunda opinione est disputatum. Adhuc autem secundum hoc Joannis. VI, 56, non debuisset dixisse : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* : sed dixisse debuerat : Caro mea signatur, et est cum vero cibo, vel cum vero potu, quorum tamen nihil signatur in sententia verborum Christi, qui tamen veritas est, et de verbis suis dicit Apostolus, II ad Corinth. I, 19 : *Dei Filius, Jesus Christus,... non fuit Est et non : sed Est in illo fuit.* Profanum etiam valde reputo, quod Christus in sacramento veritatis hujusmodi locutionibus tropicis et impropriis utatur, et etiam infidelem judicamus responsionem.

Sed secundum tertiam opinionem quæ sola Catholicam tenet veritatem, dicimus quod in veritate, sicut probant objectiones inductæ, nullus modus motus est quo panis salvatus moveatur ad naturam corporis Christi, et calix ad formam sanguinis. Et quod dicitur in Canone : « Jube hæc perferri in sublime altare tuum, » optime dictum est secundum fidem Catholicam : dixerat enim Christus, Joan. III, 13, quod *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo.* Et ideo orat ut Ecclesia militans, quæ corpus Christi mysticum est, incorporata vero corpori quod in sacramento verissime continetur, per effectum hujus nutrimenti incorporata virtute corporis Christi cui incorporatur, ascendat ad altare majestatis divinæ, ut ibi in gloria sibi offeratur, sicut hic offertur in sacramentali gratia. Nec orat ut hoc fiat motu locali, quia motus localis ibi nullus est, sed quod hoc fiat acceptatione Dei Patris, quod scilicet sic acceptet manibus Angelorum incorporandos Christo per gloriam, sicut acceptat hic incorporatos Christo in sacramentali gratia. Unde etiam altare sublime majestatis Dei Christus est secundum humanitatem, in quo offerimur, quando sibi secundum gloriam incorporamur.

Ad aliam autem dicimus objectionem, quod quando dicit : « Panem sanctum vitæ æternæ, » intelligitur verum corpus Christi sub specie panis contentum. Quando enim dicimus « panem sanctum vitæ æternæ, » per hoc quod dicitur, « sanctum vitæ æternæ, » extrahitur nomen panis ad significandum non panem materialem qui sanctitatem et vitam æternam conferre non poterit, sed virtute illorum adjectorum cogitur supponere panem spiritualem, qui est corpus Christi sub figura panis, ut sit sensus : Offerimus mysterialiter corpus Filii tui, qui est panis vitæ æternæ. Similiter autem dicendum est ad ea quæ sequuntur : « Et calicem salutis perpetuæ. »

Et istæ sunt Catholicæ responsiones, et omnino firmiter tenendæ.

Secundum igitur ea quæ dicta sunt, patet quod nullus modus motus naturalis est quo moveatur panis ad formam corporis Christi, vel vinum ad formam sanguinis Christi : et ideo tales locutiones tales motus signantes non sunt recipiendæ, nec a sanctis tales locutiones ante non positæ multum inveniuntur. Mutatio autem in physicis vocatur, quæ est de non subjecto ad subjectum, sicut generatio : vel quæ est de subjecto ad non subjectum, sicut corruptio. Talis autem mutatio videtur esse panis in corpus Domini, et vini in sanguinem : quia ante confectionem in oratione Canonis dicit sacerdos : « Ut nobis corpus et sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi. » Si autem fit, tunc oportet quod secundum substantiam panis mutetur in corpus Christi : quia non fit, nisi quod sic mutatur, quando dicitur fieri simpliciter : non enim simpliciter fit Petrus, si dicatur quod Petrus fit albus. 7.

Adhuc autem hoc videtur accipi ex verbis Ambrosii, qui dicit, quod sermo Christi creaturas mutat, et intendit, quod panis mutatur in corpus Christi.

Adhuc idem Ambrosius dicit, quod Christus convertit panem in corpus suum, et vinum convertit in sanguinem: convertere autem idem est quod mutare.

Fortius autem objiciunt quidam dicentes, quod mutatio est panis in non panem: post confectionem enim non est panis, sed corpus Domini: omnis autem mutatio de esse in non esse est corruptio: videtur ergo, quod in sacramento est mutatio corruptionis. Eodem modo probatur, quod ibi est mutatio generationis: quia de pane qui est non corpus Domini, fit corpus Domini: ergo fit hic mutatio de non esse corporis Domini in esse: talis autem mutatio est generatio: videtur ergo, quod corpus Christi ibi generetur ex pane: quod valde absurdum est, non tantum secundum fidem, sed etiam secundum philosophiam: quia secundum hoc corpus Christi extra Virginem sæpe generaretur: et secundum hoc id quod est et manet, generaretur: et secundum hoc immutabile et incorruptibile et gloriosum generaretur: quæ omnia sunt valde absurda.

Adhuc autem in omni mutatione substantiali idem subjectum quod est materia, subjicitur utrique terminorum mutationis: si ergo talis est mutatio panis in corpus Domini, tunc eadem materia subjicitur formæ panis et formæ Dominici corporis: et sic panis corporis Christi efficitur materia. Constat autem, quod purissimæ guttæ beatæ Virginis operatione sancti Spiritus formatæ sunt vera materia Dominici corporis. Ergo Dominicum corpus efficitur de duabus materiis. Quod autem de duabus in se diversis materiis generatur, non est idem: quia dicit Philosophus, quod individua numerantur per suas materias: ergo non est idem corpus quod efficitur in altari, et quod natum est de Virgine, quod Christiana fides penitus abhorret, sicut falsum est et impossibile et hæreticum.

Adhuc autem mutata substantia panis in corpus Domini, aut manet materia panis quanta est cum materia corporis Dominici, aut annihilatur. Si dicatur, quod manet, tunc ab initio institutionis hujus sacramenti et frequentationis in Ecclesia, magnam valde corpus Christi accepit adjectionem. Si autem dicatur, quod annihilatur, tunc frustra ponitur ut annihiletur, et melius esset non ponere, quam sermone Domini creaturas annihilare.

8. Utrum istæ propositiones sint concedendæ: De pane, vel, ex pane fit corpus Christi?

Adhuc autem oportet hic determinare habitudines præpositionum quid denotent, quando dicitur: De pane fit corpus, vel, Ex pane fit corpus Christi. Quia sicut jam patuit, præpositiones istæ non possunt denotare habitudines materiæ, nec possunt notare habitudines ordinis terminorum mutationis, sicut quando dicitur: Ex mane fit meridies: quia secundum hoc sensus esset: Ex pane fit corpus Domini. Ac si diceretur: Post panem fit corpus Domini. Et tunc quæreretur, quid factum esset de pane, utrum maneret materia ejus, vel esset annihilata? et redirent eadem inconvenientia quæ prius inducta sunt. Sic patet, quod magna est difficultas in verbis denotantibus mutationem circa corpus Christi.

Adhuc autem, cum dicitur: Ex mane fit meridies, præpositio non simplicem denotat ordinem: quia nisi idem nunc secundum substantiam manens subjiceretur sub forma ejus quod est mane, et sub forma ejus quod est meridies, non diceretur, quod ex mane fit meridies, sicut quando dicimus, ex puero fit vir: ibi enim in tota mutatione fluentis ætatis idem subjicitur, quod est sub forma pueri, et sub forma viri. Sicut est idem quod refertur in puero et viro, et in tota intermedia mutatione: ita idem est nunc in tempore pueritiæ et virilitatis, et in toto intermedio tempore. Est autem idem secundum substantiam, et non secundum esse, sicut et idem est quod fertur de pueritia in virilitatem, quamvis non sit idem secundum esse. Si ergo talis habi-

tudo notaretur per præpositionem, quando dicitur: De pane fit corpus Christi, oporteret quod cum ordine successionis aliquod unum subjiceretur, quod idem esset in substantia in pane et in corpore Christi: et hoc absurdum est, et paulo ante improbatum.

Adhuc autem, omne quod mutatur, prius est in medio, quam in extremo. Si ergo de pane fit corpus Christi, oportet quod substantia panis vel materia prius sit in aliquo, quod est medium inter corpus Christi et substantiam panis: et tunc non esset panis, neque corpus Christi, quod est valde absurdum.

Adhuc autem, numquam fit aliquid ex aliquo, nisi per alterationem naturæ vel artis. Si ergo de pane fit corpus Christi, oportet quod in pane fiat alteratio: omnis autem alteratio est mutatio secundum qualitatem: igitur oportet, quod qualitates panis non maneant, quæ sunt color et figura, sapor et odor, quod est contra sensum: quia omnia hæc manere videmus in sacramento.

Similiter est dum objicitur vox ista: De vino fit sanguis Christi.

Omnia autem hæc difficultatem faciunt circa sacramentum: quia non habemus quibus verbis exprimamus fidem nostram ad plenum: et ideo in istis oportet valde caute uti verbis, et quando sancti utuntur verbis ad motum vel mutationem pertinentibus, oportet verba sanctorum pie interpretari, sicut et ipsi pium habebant intellectum, quamvis intellectum suum verbis propriis non expresserint.

9. Ad solvendum igitur istam difficultatem dicimus, quod sicut Christus assumendo sibi naturam humanam speciali et supernaturali usus est assumptione et mutatione, et sicut in uniendo sibi hominem assumptum speciali et supernaturali usus est unione, ita in sacramenti confectione speciali utitur Christus mutatione et supernaturali. Cum enim in omni assumptione compositionis naturalis ea quæ ut partes compositionis assumuntur, sic assumantur, quod unum est formale, alterum materiale, vel ambo uniantur in tertio quod formale est respectu duorum, sicut corpus et anima assumuntur in compositionem hominis, et homo secundum rationem constituitur ex his duobus et ideo homo neque corpus est, neque anima: Filius autem Dei nova usus est assumptione quæ decebat auctorem naturæ, naturam corporis et animæ et faciendo et uniendo assumpsit, et hominem ex corpore et anima rationali factum sibi univit, non ut duas partes quarum una formalis esset et altera materialis, quia nec humana natura materialis est ad divinam, nec divina formalis ad humanam: quia si actus et perfectio esset naturæ humanæ natura divina, et esset humana natura in formam deitatis assumpta: ex hoc sequeretur, quod Christus non esset verus homo: quia denominatio fit ab eo quod est formale, et nomen in se continet rationem et quidditatem definitivam: et sic Christus in quidditate definitiva esset Deus et non esset homo: et ideo assumptio non est naturalis, sed gratiæ, quæ vocatur *assumptio dignativa*, qua Filius Dei dignatus est assumere humanam naturam, ut secum esset cum divina in una persona, ita quod quæcumque sunt de veritate humanæ naturæ, manent in ea, sive sint materialia, sive formalia: et quæcumque secundum veritatem sunt convenientia naturæ divinæ, manent in ea, ita quod una alteram non consumit, nec informando ad aliam specim trahit. Similiter etiam uniendo sibi hominem ex corpore et anima factum sic univit, ut non tertium ex duobus constitueret, sed potius sibi in se existentem et æternum univit, ita scilicet quod hic homo sit idem Filius Dei, qui ab æterno genitus est a Patre, qui etiam uniendo sibi hominem sine omni sua mutatione, assumpsit quod non erat, manens tamen immutabiliter quod erat. Sic etiam in sacramento no-

vo modo confectionis utitur, quo conficitur sacramentaliter panis in corpus Domini, ita quod substantia panis nec annihilatur, nec alteratur, neque secundum substantiam mutatur, sed sine omni additione vel mutatione tota substantia panis in materia et forma panis convertitur in corpus Christi sine eo quod aliquid addatur corpori Christi, et absque eo quod aliquid mutetur in ipso. Et hanc conversionem sapientes et Doctores legis Christianæ, proprio nomine *transsubstantiationem* vocaverunt : quia tota substantia panis simul in forma et materia et conjunctio transit in corpus Christi, absque eo quod corpus Christi vel mutationem vel additionem recipiat aliquam ex illo in illud transitu, si tamen transitus proprie potest appellari, sicut ille homo Filio Dei unitus est sine aliqua additione vel mutatione Filii Dei : et ideo hoc *novum* vocatur a sanctis. Jerem. XXXI, 22 : *Quia creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum.* Eccli. XXXVI, 6 : *Innova signa, et immuta mirabilia.* Ista enim auctor naturæ facit ad suæ gratiæ novæ perfectionem, qua hominem dignatus est redimere unitum sibi, et sanctificare incorporatum. Isa. LXVI, 8 : *Quis audivit umquam tale ? aut quis vidit huic simile ?* Talia enim decent auctorem naturæ, quibus non naturæ legibus subjacere, sed eminere super naturam, tamquam naturæ opifex, ostendatur. Isa. LXV, 17 : *Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam : et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor.* Apocal. XXI, 5 : *Dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.* Et ideo dixit, Levit. XXVI, 10 : *Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis.*

10. Ad objecta igitur dicendum, quod cum dicitur : « Ut nobis Corpus et Sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi : » dicendum quod hoc verbum, *fiat,* ibi nullam notat mutationem naturalem, sed supernaturalem mutationem notat in substantia panis, quæ transit in corpus Christi. Nullam autem sive naturalem sive supernaturalem notat in corpore Christi : quia idem corpus est in altari quod natum est de Virgine, et sedet in Dei gloria in cœlo absque omni additione et alteratione, nisi quod est in altari nunc, ubi non erat prius, sicut in uniendo sibi hominem Filius Dei nihil additionis et nihil mutationis recepit, sed factus est homo, cum prius homo non fuisset, ex mutatione supernaturali in homine facta, et non in Filio Dei secundum quod est Filius Dei.

Ad hoc autem quod dicitur de verbis Ambrosii, dicendum, quod cum dicit Ambrosius, quod sermo Christi creaturas mutat, intelligit de mutatione supernaturali, quæ *transsubstantiatio* vocatur : quia tota substantia panis transit in corpus Christi.

Ad hoc etiam quod dicit, quod substantia panis vel quod panis convertitur in corpus Christi : dicendum, quod talem supernaturalem intelligit versionem, in qua quidem panis vertitur in gloriosum et divinum corpus Dominicum, sed ipsum Christi corpus nullam sustinet versionem additionis vel alterationis, sed efficitur tamen in altari ubi non fuerat prius.

Ad hoc autem quod objicitur, quod fit ibi mutatio panis de esse panis in non esse : dicendum, quod hoc penitus falsum est : panis enim in illa supernaturali mutatione numquam est in non esse : non esse enim aut dicit privationem, aut negationem. Quod si diceret privationem, tunc diceret privationem formæ panis in materia panis, in qua privatione jam esset per inchoationem formæ corporis Christi, quod penitus est absurdum : quia sic corpus Christi novum ex pane generaretur. Si autem diceret negationem, tunc penitus annihilaretur in sacramento substantia panis, quod fides Catholica non admittit : quia, sicut diximus, substantia panis tota transsubstantiatur in corpus Christi gloriosum et divinum : et sic effi-

citur substantia panis, quod non erat prius : et hoc est aliquid effici, et non annihilari.

Eodem modo solvendum est id quod objicitur de corporis Christi generatione : quia nulla penitus est ibi generatio, cum corpus Christi maneat ante et post secundum eumdem statum in esse naturali et divino, nisi quod efficitur in altari in quo non erat prius, etc.

Ad id autem quod probatur panis non esse materia corporis Dominici, est concedendum, sicut de necessitate ad inconveniens ducit objectio. Sed dicendum, quod panis et vinum secundum suas naturales substantias sunt materia sacramenti ex quibus sacramentum constituitur, sicut ex corporali elemento, sicut in ante habitis dictum est, et patet per ante dicta, quod supernaturali transsubstantiatione transit in corpus Christi : et ideo non annihilatur, et tamen in Christi corpore fit nulla mutatio, vel additio : et ideo illa objectio non procedit. Et quamvis hoc in naturalibus non habeat simile, tamen exemplum habet in divinis, quæ decet in se habere totius naturæ auctorem, sicut diximus nuper.

Ad hoc autem quod quæritur, quid habitudinis notent istæ præpositiones cum dicitur : De pane, vel, Ex pane fit corpus Christi, satis bene probatum est, quod nec materiam notare possunt nec ordinem simplicem. Sed dicendum, quod supernaturalis transsubstantiationis notant principium et ordinem : quia illa supernaturalis mutatio tota est in pane, et nullum habet terminum in corpore Dominico : quia hoc non incipit esse, cum ante hoc fuerit : nec incipit esse panis quia numquam fuit panis, neque est, neque erit : nec forma Dominici corporis incipit esse in materia panis, quia nihil in corpus per additionem recipitur. Sed si aliquid notat in corpore Domini, hoc non est, nisi quia sub formis sacramentalibus panis et vini in altari incepit esse corpus Domini, et sanguis, sub quibus non fuit prius. Aliud enim in ista materia Catholice dici non potest. Et hoc notant habitudines præpositionum. Nec hoc est inconveniens : tales enim partes indeclinabiles potius consignificant, quam significent aliquid per seipsas : et ideo a conjunctis sibi contrahunt modum et habitudines consignandi : et ideo aliquando notant habitudinem principii materialis in mutatione : aliquando autem notant ordinem mutationis in eodem quod secundum esse diversificatur : aliquando autem notant habitudinem terminorum transsubstantiationis supernaturalis, secundum quod diversis adjunguntur. Necessarium enim est, ut dicit Hilarius, quod sicut res creatæ ministrant et obsequuntur ad obsequium et operationem Creatoris, ita et sermo de rebus talibus significationibus obsequatur quas admittunt operationes Creatoris : quia non sermoni res, sed rei sermo subjectus est.

Ad hoc autem quod objicitur de interceptione medii in mutatione, dicendum quod illa objectio non procedit nisi de mutationibus compositis, in quibus infinita facta sunt in uno fieri : sed ista mutatio est simplex et sine medio : et ideo numquam est tempus, vel nunc temporis, in quo substantia panis nec sit sub forma panis, neque sub forma corporis Dominici. Hæc enim supernaturalis mutatio non abjicit a substantia ejus quod mutatur, neque accipit formam post formam ejus in quod mutatur supernaturaliter : sed repente sine medio tota substantia panis supernaturaliter transit in corpus Christi, sicut statim sine medio Filius Dei sibi assumpsit naturam hominis, et sibi univit hominem in esse personæ et unitatem, absque eo quod humana natura per vices temporum exiret de potentia ad actum, et de incompleto ad completum, sed faciendo naturam assumpsit et univit, et assumendo et uniendo fecit eam.

Sic igitur caute est hic loquendum : quando enim Deus tota sua virtute agit et operatur, sicut Verbo suo creavit na-

turam, et fecit opus incarnationis, sic etiam operatur in sacramento ad transsubstantiationem, tunc non potest esse mutatio composita quæ medium intercipiat : quia virtus qua operatur, est infinita : et hoc operatur in nunc, et non in tempore : et ideo in tali operatione de hoc fit hoc absque eo quod numquam sit in medio : quia si interciperet medium ipsa mutatio, tunc oporteret necessario, quod esset in tempore : et hoc nullo modo stare potest.

11. Sed contra hæc adhuc objiciunt quidam sophistæ dicentes, quod secundum hoc aliquod nunc temporis est in quo substantia panis est sub forma panis, et aliquod nunc temporis quo substantia illa transsubstantia est in corpus Christi : hæc igitur nunc aut sunt idem nunc, aut duo nunc. Si sunt idem, tunc sequitur, quod in eodem indivisibili nunc est aliquid substantia panis et corpus Christi : et ad hoc sequi videtur, quod contradictoria sint simul vera : quia si est substantia panis, sequitur quod non sit corpus Christi : et sic in eodem indivisibili nunc est substantia panis, et non est substantia panis : et est corpus Christi, et non est corpus Christi per eamdem rationem : hoc autem est impossibile : ergo illa nunc quæ dicta sunt, non idem indivisibile nunc. Si autem dicatur, quod sunt duo nunc, tunc, cum nihil sit medium tempus, ut jam probatum est, sequitur quod duo nunc immediate sequuntur in eodem continuo tempore : quod est impossibile et contra demonstrationes multas quæ in sexto *Physicorum* inducuntur.

Ad hoc autem dupliciter potest responderi. Si enim concedere volumus, quod est idem tempus omnium temporalium quod continuitatem suam habet a continuitate motus cæli : et si hoc concedimus, quod ista mutatio supernaturalis et aliæ supernaturales mutationes sunt in nunc temporis : tunc dicemus, quod idem est nunc in quo substantia panis est panis, et in quo transsubstantiata est in corpus Christi : sed illud nunc quia est continuans nunc in tempore habet rationem finis respectu præteriti, et habet rationem principii respectu futuri : et ideo in principio illius est panis, et in fine illius factum est quod est corpus Christi : quia jam facta est transsubstantiatio per quam est corpus Christi. Unde in principio, hoc est, in ipso nunc secundum quod habet rationem principii, factum est quod est corpus Christi, et ante non fuit corpus Christi. In eodem autem secundum quod habet rationem finis est panis : et continue post hoc non erit panis.

Si quis tamen ista subtiliter inspiciat, videbit pro certo secundum philosophiam, quod illud quod secundum substantiam et actum et motum non est sub motu cœli sicut causatum ab illo, hoc pro certo non cadit sub nunc temporis, neque sub tempore : et quia tales supernaturales mutationes et etiam subjecta ipsarum secundum quod sunt subjecta talium mutationum, non sunt sub motu cœli, sequitur pro certo, quod nec sint in nunc temporis, neque in tempore secundum istam temporis rationem qua Philosophi de tempore loquuntur : tales enim mutationes non sunt motus tales qui sunt actus imperfecti, eo quod nihil de eis exit de potentia in actum, sed actus perfectissimi, in quibus non est nisi demonstratio unius perfecti ex alio perfecto, absque eo quod continue amittat unum et accipiat alterum, et sunt tales mutationes actus, sicut dicimus motus intelligentiæ actus, vel motus qui sunt de luce ad lucem, numquam de potentia ad actum exeundo : et non sunt tales motus ut in aliquo continuo mensurante, sed potius sunt de vicibus in vices : et illæ vices remanent discretæ et non continuæ, sicut vices pronuntiationis elementorum litteralium in oratione : et in talibus non est inconveniens, quod duæ vices se immediate consequantur, ita quod nihil sui generis sit medium. Et

hoc modo dici potest, quod in una vice est panis, et in nulla vice post illam erit panis, et in illa consequente vice est corpus Christi, et in nulla vice ante illam erat corpus Christi. Et hanc solutionem ego puto esse veriorem quam priorem. Unde etiam, Jacobi, I, 17, ubi ab ipso Deo removet temporis mutationem, statim etiam removet eam quæ est per vicis successionem, dicens : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Et si dicamus, quod talis vicis successio dicitur tempus, tunc participabit nomen temporis æquivoce ad tempus quod est verus motus secundum prius et posterius, de quo Philosophi loquuntur, dicentes quod adjacet id motui primi mobilis, et per illud numerantur omnes motus qui causantur ab ipso motu primi mobilis : et tale nunc temporis non continui est, quo mensuratur actus creationis, et omnes illi actus divini qui sunt in mysterio incarnationis et sacramenti, sicut jam ante determinatum est.

12. Non est autem hic prætereundum, quod cum dicimus : Corpus Christi nunc incepit esse hic sub formis suis sacramentalibus in altari, et non fuit hic ante hoc, non intelligitur quod corpus Christi locali motu descendat de cœlo et incipiat hic esse : quinimo dum incipit esse in altari, remanet in cœlo in dextera Dei, et tamen incipit esse hic. Talia enim quod corpus Christi sine omni motu et mutatione sua sit simul hic et alibi, et incipiat esse hic et alibi, habet corpus Christi in quantum est divinum, et non in quantum est corpus : et quia deitas est ubique, sequens in aliquo proprietatem deitatis corpus divinum accipit posse esse in pluribus locis simul : alias autem corpus esset in uno loco tantum. Unde sicut Deus per hoc dicitur hic vel alibi : quia apparet hic vel alibi sine motu et mutatione quæ fiat in ipso : ita corpus Christi incipit esse hic vel ibi : quia visibiliter sub specie sacramenti apparet hic vel alibi sine omni mutatione et motu qui fiat in ipso. Et similiter est dicendum quando post sumptionem sacramenti desinit esse in altari, et est in cœlo, quod motu locali non reascendit in cœlum a quo descendendo ante non discesserat : sed tunc non est hic, quia hic visibiliter non apparet.

Hæc est fides Catholica in locutionibus istis : et ideo hæc verba a nobis dicta caute et fideliter sunt tenenda. Et propter tales hujus materiæ difficultates dixit Spiritus sanctus, Exod. XII, 10 : *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Quia multa manent in secretis Dei residua, quæ humanus non potest penetrare intellectus : et hæc igni Spiritus sancti et igni devotionis sine magna discussione sunt committenda, etc. Advertendum enim est quod dicitur, Amos, II, 1 : *Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem.* Moab enim *ex patre* interpretatur, et signat eos qui quoad perfidiam sunt ex patre diabolo, qui omnia physicis rationibus volunt discutere, qui tria et quatuor scelera committunt. Tria quidem, quorum primum est : quia immensum ad inopiam physicorum corporum mensurare volunt. Secundum autem, quia capacitatem sui intellectus ultra immensitatem Dei extendunt, cum hoc sit impossibile. Tertium autem, quod secreta majestatis Dei temere perscrutantur. Et hæc tria sunt cordis eorum scelera. Quatuor autem sunt. Primum, quia cum invisibilia Dei perfecte in vestigio et imagine non demonstrentur, isti arguunt ad ea quæ sine exemplo sunt, sicut exemplum in naturalibus inveniunt. Secundum autem, quod ea quæ per ablationem et eminentiam exponere deberent, ipsi per positionem exponant, ut inferiora de divinis affirmentur. Tertium autem scelus est, quia Deo propria sua non relinquunt : cum tamen omni regi sua propria relinquantur. Quartum vero est, quod et maximum est : quia fidem

Qui omnia physicis rationibus volunt discutere, tria et quatuor scelera committunt.

quæ supra intellectum et rationem est, ipsi sub ratione supprimere intendunt.

De primo horum scelere dicitur, Isa. XL, 18 : *Cui similem fecistis Deum ? aut quam imaginem ponetis ei ?* In omnibus enim physicis nihil simile penitus invenitur.

De secundo dicitur, II ad Corinth. X, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, etc.

De tertio dicitur, Proverb. XXV, 27 : *Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum, sic qui perscrutator est majestatis opprimetur a gloria.*

De quarto autem dicitur, Job, XI, 7 et seq. : *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies ? Excelsior cœlo est, et quid facies ? profundior inferno, et unde cognosces ? Longior terra mensura ejus, et latior mari.* Et ideo nihil invenitur in creaturis superioribus, vel mediis, vel infimis, quod sufficienter opus Dei manifestet.

De quinto dicitur, Isa. XL, 17 : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei :* nihil enim omnium quæ facta sunt, est Deus, et ab omnibus eminenter elevatur, sicut dicitur, Eccli. XLIII, 30 : *Gloriantes ad quid valebimus ? ipse enim Omnipotens super omnia opera sua.* Unde Dionysius in libro de *Divinis nominibus* : « In ipso oportet affirmare omnium positiones, et omnes potentias negare tamquam de eo qui super omnia existit. » Et, Eccli. XLIII, 31 : *Terribilis Dominus et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius.* Et ideo sicut ipse in nullo genere entis est, sed excellit omnia, ita actio ipsius et opus in nullo est actionis vel operationis genere, sed omnia excellit : et ideo etiam mutationes, quæ sunt supernaturales in sacramento, non sunt mutationes quæ sunt in genere, sed sunt super omnem mutationem.

De sexto scelere dicitur, Isa. XXIV, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* : nullus enim in sinu secreti Dei fuit, qui propria deitatis sit scrutatus, nisi Filius, sicut dicitur, Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

De septimo autem scelere, quod fidem sub intellectu et ratione ponere nituntur, dicit Gregorius, quod fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Et de talibus dicit Dominus, Joan. III, 12 : *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis ?* quia etiam in terrenis multa operatur Deus, quæ non capimus per rationem, et multo minus capere possumus ista cœlestia supernaturalia et supermundana, quæ ipse supercœlesti et divina sua potentia et sapientia operatur. Sapient. IX, 16 et 17 : *Difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore : quæ autem in cœlis sunt quis investigabit ? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis ?* His igitur erroribus occupati sunt, qui nimis investigant mysteria deitati soli nota. Rex enim Idumeæ Christus est, sicut dicitur, Isa. LXIII, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ?* De quo etiam dicit Psalmista, Psal. LIX, 10 : *In Idumæam extendam calceamentum meum* : quia in carne et sanguine calceata venit ad nos divinitas. Hujus regis ossa, hoc est, fortiora mysteria incendit in cineres, qui calore proprii ingenii succensus usque ad minima vult investigare : et ideo omnibus illis quæ dicta sunt tribus et quatuor sceleribus involvitur. Ad Roman. XII, 3 : *Dico... omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Humana sapientia enim

incerta est : quia scilicet dicitur, Abdiæ, ỳ. 8 : *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.* Et ideo dicitur, I ad Corinth. I, 17 : *Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Hic igitur sic loquendum est, sicut diximus.

13. Ad quid species sacramentales post transsubstantiationem remanent?

Modo dicere debemus quare sacramentales species in hoc sacramento remaneant, ex quo substantia panis et vini non manent, quam substantiam prius affecerunt, et ex quo non afficiunt substantiam corporis et sanguinis Dominici, quæ nunc est ibi statim facta transsubstantiatione, ad quid ergo manent hujusmodi species accidentium, quæ sunt figura, color, odor, et sapor? Hoc enim quidam quærunt magis curiosi quam devoti, et tamen oportet, quod quæstioni eorum satisfiat : quoniam præcepit Apostolus Petrus, I Petri, III, 15 : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in nobis est spe.*

Ad hanc igitur quæstionem Patres ante nos responderunt, quod sacramentum semper salvatur in aliqua visibili forma, quam, ut dicit Augustinus, ingerit sensibus, et quæ sit imago gratiæ quam confert sacramentum : et quia non possunt esse sensibiles formæ quæ imago sunt nutrimenti spiritualis quod confert Eucharistia, nisi formæ nutrimenti sensibilis panis et vini, quarum una ducit rationem in nutrimentum spirituale, et alia in potum spiritualem, ideo, ut dicunt, has formas manere necesse est, ex quibus in mente imago nutrimenti et potus spiritualium accipiatur. Hujus etiam assignant aliam valde convenientem rationem : quia scitur in scientia sacramentali, quod sacramentum novæ legis nullius causa existit, nisi cujus imaginem sensibilem gerit. Si ergo daretur, quod formæ in sensu indicantes nutrimentum naturale et conveniens, non manerent, sequeretur quod sacramentum illud non esset causa nutrimenti spiritualis : et hoc est absurdum secundum omnia dicta sanctorum et secundum omnia quæ in præhabitis determinata sunt.

Ad hæc autem etiam inducunt auctoritates : Dominus enim, Joan. IV, 13 et 14, cum Samaritanam instruere vellet de refrigerio sitis spiritualis, a sensibili aqua eamdem Samaritanam manuducere incepit, dicens : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quotiescumque igitur a corporalibus manuduci debet homo ad spiritualia, oportet aliquas relinqui proprietates corporales, ex quibus manuducatur. Cum igitur ex omnibus sacramentis homo sic erudiatur, oportet quod species corporales in sacramentis relinquantur.

Adhuc autem inducunt hoc quod, Matth. XIII, 34, dicitur : *Sine parabolis non loquebatur eis.* Oportet igitur sicut in parabola quadam salvari proprietates corporis, ex quibus instructio accipiatur divinorum.

Adhuc autem hic arguunt ex causa institutionis sacramentorum quæ est triplex, eruditio, humilitas, et exercitium. Sive enim dicatur, quod propter eruditionem institutum est sacramentum, oportet eruditionem a corporalibus formis incipere, ex quibus similitudinem accipiamus divinorum : sive propter humilitatem dicatur institutum, oportet humiliari ad inferius elementum, sicut per elementum inferius superbientes elevari volumus ad superiorem divinitatis æqualitatem in primis parentibus : sive exercitari habeamus, ut nos diabolus occupatos inveniat : quia sic etiam exercitium nostrum erit in inferioribus ad intellectum superiorum, et tunc iterum conveniens est sensibiles formas in quibus exercitemur, remanere. Ad Roman. I, 20 : *Invisibilia ipsius,* scilicet Dei, *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas.*

Adducunt autem ad hæc, quod veritatem umbræ oportet conformari. Umbra autem in sacramentis veteris legis fuit in corporibus et corporalibus formis, quæ gratiam futuram significabant. Ad Hebr. x, 1 : *Umbram enim habens lex futurorum, non ipsam imaginem rerum.* I ad Corinth. x, 11 : *Hæc omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram,* sive propter nos. Oportuit igitur, quod etiam novæ legis sacramenta essent in visibilibus formis.

Sed econtra alii objiciunt : quia secundum hæc videtur, quod substantia panis maneat et remanere debeat potius quam accidens : quia dicit Aristoteles, quod potentia caro nutrit : forma autem accidentalis non est potentia caro, sed potius substantia panis et vini sunt potentia caro : substantia ergo nutrit, non accidens : et sic substantia panis et vini manere debent, et non accidentia, ut videtur. Et hujus signum est, quod Elias non accepit in nutrimentum accidens panis, sed panis veritatem [1], in quo tamen Eucharistia significabatur. Nec Dominus cibando quinque millia hominum, exhibuit accidens panis, sed panis veritatem [2] : de quo tamen redarguit Judæos, qui in illis non intellexerunt Eucharistiæ sacramentum. Adhuc autem exhibendo de cœlo panem [3], non dedit accidens panis, sed veritatem : in quo tamen voluit intelligi verum nutrimentum sive cibum Eucharistiæ, sicut patet, Joan. vi, per totum caput. Ex omnibus his videtur, quod substantia panis manere debeat cum accidentibus, et non accidens tantum : quia substantia veri cibi facit significationem et non accidens proprietatum substantialium.

Ad hæc etiam addunt, quod ostendendo id in sacramento quod videtur nutrire et non nutrit, potius videtur illusio quam veritas. Accidens autem indicat esse nutrimentum, et non nutrit : substantia autem cum accidentibus indicat et nutrit. Ergo si dicantur manere accidentia sine substantia, videtur esse potius sacramentum illusionis quam veritatis. Si autem maneat substantia cum accidentibus, tunc habebit veram nutritionem et veram nutrimenti significationem : et sic videtur esse sacramentum veritatis. Sed in hoc videtur esse sicut in somno, in quo objiciuntur formæ cibi et potus : et sic videtur esse significatio cibi qui penitus nullus est in somno. Isa. xxix, 8 : *Sicut somniat esuriens et comedit, cum autem expergefactus fuerit vacua est anima ejus : et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est.* Talis igitur remanentia accidentium potius videtur facere ad illusionem quam ad sacramenti veritatem.

Ad hæc autem omnia et similia dicendum est, quod in veritate in sacramento remanent accidentia panis et vini sine omni substantia illis accidentibus subjecta, quam ipsa afficiunt accidentia : substantia enim panis et vini, quas substantias illa afficiebant accidentia, tum propter veritatem sermonis Domini, tum etiam propter sacramenti veritatem manere non poterit : quia si ibi substantiæ panis et vini manerent, non esset verus sermo Domini quem dixit : *Hoc est corpus meum,* et, *Hic est calix sanguinis mei :* quia panis non est corpus Domini, et calix vini non est calix sanguinis Domini. Veritas etiam sacramenti non salvaretur : quia veritas sacramenti est in hoc quod significetur in sacramento esse verus cibus et verus potus spiritualis, sicut ipse dicit, Joan. vi, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Si autem manerent in sacramento substantia panis et substantia vini, tunc 14.

[1] Cf. III Regum, xix, 6.
[2] Cf. Joan. vi, 11.
[3] Cf Exod. xvi, 31 et seq.

accidentia illa essent in substantia panis et substantia vini, et essent illis substantiis propria. Et ideo non indicarent nisi nutrimentum, quod potest præstare substantia panis et substantia vini : et ille est cibus qui perit, sicut dicitur, Joan. VI, 27 : et ille in sacramento requiri non debet. Cum autem in sacramento non manet illa substantia, non possunt accidentia illa ducere in tale corporale nutrimentum : et sic necessario ducunt in spirituale nutrimentum, quod in sacramento est requirendum.

Dicendum igitur ad primum, quod in veritate, sicut dicit Philosophus, non nutrit nisi potentia caro, et potentia os, et potentia nervus, et sic de aliis similibus partibus in homine. Sed quia tale nutrimentum corporale quo dissimilia membra in homine nutriuntur, ex hoc quod similia quæ sunt in ipsis, nutriuntur in sacramento, sicut dicit Dominus, non debet requiri neque cogitari, ideo oportet quod illud corporaliter nutriens non sit in sacramento, sed totum secundum formam et materiam transsubstantietur : ideo substantia panis et vini non debent manere in sacramento, sed accidentia tantum per translationem factam ad spiritualia signantia nutrimentum spirituale. Hoc signatum est, Sapient. XVI, 26, ubi dicit quod *non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint conservat.* Hoc enim verissimum est in sacramento altaris, in quo fructus nativitatis non manent, sed sermo Domini positus in forma sacramenti, et facit in sacramento pastum spiritualem.

Quod autem objicitur de Elia et de sacramentis veteris legis, non est simile : quia illa sunt signa imperfecta gratiam pasturæ spiritualis ex seipsis non conferentia : et ideo manebat eorum substantia : quia spiritualis pastus in eis non continebatur. Unde etiam Dominus eos qui pastum corporalem in sacramentis requirebant, redarguit, dicens, Joan. VI, 26 : *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* Illi enim parabant in sacramento fidei dentem et ventrem, et non parabant mentem ad fidei devotionem. Et ideo etiam cum *cognovisset Jesus quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem,* sub cujus regimine cibum haberent corporalem, *fugit iterum in montem ipse solus*[1] : quia non dignatur homines habere regendos, qui cibum corporalem in sacramentis requirunt : quia de illis dicitur, ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Et hos invitans ad intellectum spiritualis nutrimenti, dixit, Joan. VI, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Super alios autem qui cibum spiritualem quærebant, non negavit se esse regem : quod etiam coram Pilato confitebatur, Joan. XVIII, 37 : *Tu dicis quia rex sum ego* : sed dixerat, ℣. 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Ad illud quod objicitur, quod illusio et non veritatis sacramentum esse videretur : dicendum, quod in veritate illusio esset si substantia panis et vini manerent : quia tunc non significarent esse in sacramento nisi corporale nutrimentum, et homines ad ipsum tamquam ad corporalem cœnam convenirent, quod prohibet Apostolus, I ad Corinth. XI, 20 et 21, dicens : *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare : unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.* Ac si dicat : Si in cœna Domini præsumitis manducare cœnam vestram corporalem, non estis digni, quod Dominicam cœnam manducetis : tales enim estis, ut illi qui dixerunt, Joan. VI, 61 : *Durus est hic sermo.* Et infra, ℣. 67 : *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant* : quia nescie-

[1] Joan. VI, 15.

runt nisi corporalia quærere. Nec ideo est illusio : quia accidentalis forma non nutrit, quia in sacramento non assumitur ad nutriendum, sed potius ad spirituale nutrimentum significandum : et hoc facit illo modo quo corporalia signa transferuntur ad spiritualium significationem. Hoc autem in veteri lege esse non potuit : quia ibi velata gratia et non revelata significabatur, sicut diximus. Unde Apostolus, ad Hebr. IX, 8, de hoc sacramento et sacerdotio Novi Testamenti loquens per comparationem ad Vetus, dicit : *Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Et ideo signa in illis sacramentis erant imperfecta : sed quando *velum templi scissum est a summo usque deorsum*, sicut dicitur, Matth. XXVII, 51, tunc patefacta sunt arcana Dei in signis gratiarum in sanguine Domini, et tunc in sacramentis revelatæ gratiæ signa perfecta dabantur.

5. Contra ea autem quæ dicta sunt, adhuc objicitur : quia in multis sacramentis novæ legis manent substantiæ elementorum, quæ sunt materia sacramentorum, ex quibus sumuntur signa signantia gratiam, sicut in baptismo manet aqua, dicente Domino, Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et in confirmatione manet chrisma propter quod uncti *christi* dicuntur. Psal. CIV, 15 : *Nolite tangere christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari.* Et in unctione extrema manet oleum, sicut dicitur, Marc. VI, 13 : *Et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.* Et tamen illa sacramenta conferunt gratiam spiritualem. Videtur ergo forte alicui, quod etiam in hoc sacramento elementa corporalia, quæ sunt substantia panis et vini, manere deberent.

Ad hæc autem omnia et similia dicimus, quod non est simile de isto et aliis sacramentis novæ legis : quia elementa quæ sunt materia in aliis sacramentis, ad usum significandi gratiam non assumuntur propter substantias ipsorum elementorum, sed potius propter qualitates, sicut aqua in baptismo assumitur propter vim ablutivam quam habet non a substantia, sed a qualitate humiditatis, et propter virtutem exstinguendi et refrigerandi incendium fomitis : et hanc virtutem non habet aqua a substantia, sed a qualitate frigiditatis. Et assumitur etiam propter nitorem puritatis quam confert, et hanc vim etiam non habet a substantia, sed potius a puritate. Aqua autem secundum suam substantiam nihil significat in sacramento : et ideo etiam ex substantia secundum quod est substantia, nihil causat in ipso : quia sicut sæpius diximus, sacramentum novæ legis causat id quod significat, et non plus. Similiter autem est in chrismate in confirmatione, quod ex proprietatibus suis unctivis et dissolutivis et penetrativis significat et causat gratiam. Et similiter oleum in unctione infirmorum. Et ideo substantia talium manens in sacramento non impedit fidem ad gratiam, quæ causatur et continetur in sacramento. Sed in altaris sacramento substantiæ panis et vini nutriunt, et non significant ulterius aliquod nutrimentum, sed conferunt nutrimentum quod in ipsis est, et ideo manentes illæ substantiæ impedirent fidem quæ ex accidentibus eorum duceretur ad credendum aliud esse nutrimentum in sacramento : et ideo contra fidem facerent manentes substantiæ, et ideo illæ substantiæ non manent, sed transsubstantiantur.

Omnes tamen istæ quæ motæ sunt difficultates compulerunt secundam opinionem ponere, quod cum corpore Christi manet substantia elementorum in sacramento, etc.

16. Qualiter accidentia existunt post trans-

Deinde dicere habemus qualiter in sacramento sæpius dicta manent accidentia.

Sed ad hoc quidem dicit Magister in

substantiationem? libro quarto *Sententiarum*, quod ibi manent accidentia illa sine subjecto aliquo : et hoc sic probare nititur : quia substantiæ panis et vini in quibus accidentia fuerunt, sicut in suis subjectis, non manent, sicut jam determinatum est. Corpus autem Christi gloriosum, quod est sub istis accidentibus non afficitur talibus accidentibus : et ideo nec in illo sunt. Aer autem in quo videntur et sentiuntur illa sacramenti accidentia, non constat ad figuram, ita quod figuretur in rotundum album quod ibi apparet : et cum non sint ibi plura substantialia quam illa tria, et in nullo eorum possunt esse, sine subjecto ibi esse probantur.

Objicitur autem fortissime contra positionem istam. Primo quidem ex accidentis definitione quam ponit Philosophus, quod accidens est, quod cum sit in aliquo non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo in quo est. Non enim accidens est pars essentialis vel integralis ejus cujus est accidens, et in hoc differt a differentia constitutiva quæ est pars essentialis, et differt a forma quæ est pars essentialis totius constituti, et differt a materia et partibus integrantibus, quæ secundum suas figuras manent aliquando etiam a toto separatæ. Per hoc autem quod dicitur, quod impossibile est esse sine eo in quo est, ideo dictum est, quia esse habet a subjecto sicut a sua causa : et ideo sicut causatum suam causam, ita recipit subjectum in suam definitionem. Et ideo intellectus non permittit, quod sine subjecto intelligi possit. Si autem sine subjecto non potest intelligi, tunc omnino impossibile est esse sine subjecto. Et hæc est objectio fortissima.

Adhuc autem in septimo *primæ philosophiæ* probatur multipliciter, quod accidens est esse et non essentia : est autem numquam potest intelligi nisi in eo in quo est : ergo accidens nullo modo intelligi potest sine eo in quo est : ergo multo minus esse potest sine eo in quo est.

Adhuc autem omnis multitudo accidentium ad substantiam reducitur per hoc quod accidens non est ens, sed potius quidam modus entis simpliciter vel dispositio entis. Et hoc probatur in principio noni libri *primæ philosophiæ*. Modus autem et dispositio entis intellectum nullum habet nisi in subjecto suo, quod est ens simpliciter et principium intelligendi ipsum : igitur sine tali ente non est intelligibile : ergo multo minus esse potest sine ipso.

Ad hæc autem omnia, et similia dicunt isti, quod philosophia non tenet in miraculis divinis. Dicunt enim, quod accidentia sunt sine subjecto per divinum miraculum. Sed si hoc modo respondere volumus, cito de omnibus nos expediemus, dicentes in omnibus esse miraculum divinum, quod secundum beatum Petrum non licet, qui dicit, I Petri, III, 15, quod simus *parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in nobis est spe*. Iterum hoc non vult Paulus, ad Titum, I, 9, ubi loquens de Episcopo dicit : *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere*. Argui autem non possunt contradicentes nisi per rationem : et ideo dicit Hieronymus in *Prologo Bibliæ* : « Sancta quippe rusticitas solummodo sibi prodest, et quantum Ecclesiam Dei ædificat ex vitæ merito, tantum nocet si destruentibus non resistat. » Parum est ergo dicere in doctrina fidei hoc vel illud sic esse per divinum miraculum, nisi aliqua ratio assignetur : hoc enim est docentis proprium, quod nihil doceat sine convenienti ratione.

Ideo sunt alii dicentes, quod in veritate in accidentibus magna est differentia. Quædam enim valde sunt propinqua subjecto, et ipsorum primo ante omnem aliam accidentalem formam subjectum est receptivum, sicut est quantitas continua, ratione cujus subjectum habet magnitudinem et figuram.

Et per magnitudinem postea subjicitur colori et sapori et odori et hujusmodi accidentibus. Et ideo tales quantitates sunt majores in majori, et minores in minori subjecto. Assignantes igitur rationem fidei quomodo sine subjecto sunt accidentia, dicunt quod in omnibus quæ sunt in sacramenti materia, fit exaltatio naturæ et materialis substantiæ, sicut dignum est fieri in tanto sacramento. Corpus enim inanimatum non gloriosum non divinum exaltatur per transsubstantiationem in animatum gloriosum et divinum. Debent igitur secundum rationem consequentiæ etiam exaltari accidentia, quæ sunt in materia sacramenti : et ideo quantitatis magnitudo quæ non est, per se exaltatur, ut sit per se sicut substantia subjecti : et in illa est figura. Et in his est color et odor et sapor, si dicunt quod exaltatur Dominus in virtute sua : et sic cantabimus et psallemus virtutes ejus in omnibus [1]. Sic etiam dicunt, quod, sicut dicitur, Sapient. VIII, 1, sapientia Dei operans in sacramento, *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*: quia nihil relinquit in sacramento, quod non attingat et exaltet. Addunt etiam, quod non per similia opera probatur operans virtus divina, et naturalis virtus. Naturalis enim virtus probatur per opera naturæ, et voluntaria probatur per opera voluntatis, et animæ virtus probatur per opera animæ. Cum igitur divina virtus operetur in sacramento, oportet quod probetur per opera divina. Opera autem divina sunt transsubstantiare inanimatum ad animatum, et non gloriosum ad gloriosum, et non divinum ad divinum : et restabat, ut in solo accidente opera divina probarentur. Probabitur ergo in hoc quod accidens mutabitur ad modum substantiæ, in hoc quod efficitur per se existens. Sic enim quantum ad sacramentum verum erit quod dicitur, Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis*, Domine.

Adhuc autem persuadent hoc ex operibus Christi. Christus enim faciens miracula nihil reliquit imperfectum : quia quos curavit in corpore, curavit etiam in anima. Cum igitur opera sacramenti sint opera Christi quæ Christus ut Verbum Patris increatum, operatus est in verbo creato, quod profertur in forma sacramenti, nihil relinquit imperfectum quod non perficiat : ergo exaltando etiam perficiet formas sacramentales, ut modum perfecte existendi accipiant. Deuter. XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.*

Si autem aliquis hoc concedere velit, objicitur in contrarium : si enim Deus in sacramento omnia exaltat, tunc videtur quod de accidentibus faciat substantias : quia aliter accidens non exaltatur. Et hoc aliqui talium Doctorum concessisse inveniuntur, sed dicebant, quod quando corpus Christi non plus est sub accidentibus, quia tunc accidentia convertantur in substantias : et dicunt, quod inde est, quod talibus nutriuntur corporaliter mures, et alia animalia, et homines multum de hostiis consecratis comedentes. Quod si concedatur, sequitur res absurda, quod scilicet Deus frustra substantiam panis in corpus suum transformaret : quia melius esset et compendiosius, quod primam substantiam panis non transsubstantiaret, et cum illa fecisset ibi esse corpus Dominicum, quam quod unam mutat et aliam creat. Ideo alii dicunt, quod sub accidentibus illis numquam creatur alia substantia, nec accidentia substantiæ efficiuntur, sed modum tamen accipiunt substantiæ in hoc quod per se existentia efficiuntur, et sic per se existentia faciunt membrorum nutrimentum et augmentum, quando ab animalibus sumpta fuerunt per comestionem.

Hæc autem omnia valde improbabilia sunt, et sunt posita sine forti ratione :

[1] Cf. Psal. XX, 14.

quod enim aliquid participet definitionem, et non participet nomen, non est intelligibile. Definitio autem substantiæ est, quod est res per se existens. Quod igitur accidens efficiatur res per se existens, et non efficiatur substantia, non est intelligibile. Et si forte ad hanc rationem aliquis vellet dicere, quod hoc quod dico, *res per se existens*, non est definitio substantiæ : quia substantia cum sit generalissimum, non habet definitionem : hoc valde parum valet : quia cum dicitur *per se existens*, dicitur hoc quo substantia substantia est, et quod est intrinsecum et essentiale substantiæ. Et ideo quamvis non habeat genus extra se, tamen oportet quod habeat intra se id unde substantia est, et per quod ab accidente distinguitur : et tunc adhuc procedit objectio : quia non est intelligibile, quod aliquid sit vel efficiatur res per se existens, et non sit vel efficiatur substantia.

17. Ad omnes autem istas difficultates determinandas oportet præscire ad quem usum manent accidentia in sacramento. Constat autem, quod non manent nisi ad usum signandi nutrimentum sive cibum spiritualem. Hanc autem significationem non perficiunt, nisi per speciem quam ingerunt sensibus, quam ratio transfert ad significationem cibi spiritualis : quia ita dicit Augustinus, quod sacramentum est signum : signum autem est, quod præter hoc quod est juxta speciem quam ingerit sensibus, aliud facit in notitiam venire. Si ergo in sacramento manent accidentia ut signa, tunc omnino sufficit sacramento, quod accidentia manent secundum quod sunt species in sensum agentes. Probatum est autem in libro secundo de *Anima*, quod res sensibiles non agunt in medium et in sensus per suas potentias naturales, sed agunt in ipsa per solam formæ intentionem, sicut sigillum in cera absque eo quod de potentiis materialibus suis metallum sigilli aliquod inferat ceræ. Sic igitur accidentia agunt se in medio et in sensum : et ideo probatur, quod odor est frequenter sine subjecto, quod est fumalis evaporatio, et sapor sine humido digesto vel indigesto vel corrupto, quod est subjectum proprium saporis, et sonus frequenter sine figura quæ fit in repercussione solidi plani, quæ tamen figura sive aer figuratus est suum proprium subjectum. Et color frequenter est in medio et in sensu sive perspicuo termino, quod tamen proprium est subjectum coloris : est enim id quod est in medio secundum naturam et potentiam medii : et quod est in sensu secundum naturam et potentiam sensus potius est intentio coloris et vocis et odoris et saporis, quam sit color vel vox vel odor vel sapor. Et hæc omnia jam a nobis valde probata sunt in scientia de *Sensu et sensibili*.

Dico igitur, quod ex quo accidentia non manent in sacramento, nisi ad usum significandi : significare autem habent secundum quod species ingerunt sensibus : et ex quo illas non ingerunt medio et sensui per potentias materiales, sed per se secundum quod remanent ut intentiones esse spirituale habentes, sicut dicit Philosophus, oportet quod accidentia ut intentiones sensibiles maneant in sacramento : secundum hoc autem esse manent in omni natura sive propriis subjectis, et tamen substantiæ non efficiuntur, et in hoc esse sunt sensibiles. Convenienter igitur ponitur, quod sic manent in sacramento.

Hoc autem adhuc persuadetur ex esse talis formæ in medio. Constat enim secundum probata in philosophia, quod ea quæ videntur in speculo, sub duplici videntur situ medii et formæ quæ videtur, quorum situum unus est procedens a forma ejus cujus figura apparet in speculo ad speculum, et alter situs est reflexus a speculo ad videntem : non autem reflecteretur forma speculi ad videntem, nisi esset quanta et figurata et colorata in spatio reflexi situs. Patet igitur, quod sensibilia fiunt in medio

secundum naturam medii, qua mediat ad sensuum immutationem sine materia et sine potentiis materiæ : quia aliter forma calidi visa visum et medium dissolveret, et forma frigidi utrumque constringeret. Non est ergo multum innaturale sic ponere formas sensibiles manere in sacramento, ut sic sensibus faciant cognitionem, et hæc cognitio ad nutrimentum spirituale intelligendum transferatur.

Ad id autem quod primo objicitur de definitione accidentis, concedendum est, quod forma accidentalis ibi definitur secundum suum esse quod habet ex subjecto proprio et in subjecto : et hoc non convenit ei secundum quod est intentio formæ sensibilis in medio vel sensu existens.

Ad id autem quod secundo objicitur, quod accidens est esse et non essentia, plane est concedendum : sed tamen non est idem esse accidentis in subjecto proprio et in medio et in sensu : quia in esse medii et sensus est perfectio medii et sensibilis potentiæ : et sic potest esse sine subjecto proprio : secundum esse autem materiale ipsius non potest esse sine ipso, nec intelligi : et sic secundum diversitatem esse accidentis intelligitur id quod dicit Avicenna, quod accidens est, cujus intellectus est absolutus et esse concretum : si enim intelligeret Avicenna, quod intellectus accidentis secundum esse materiale quod est in subjecto, esset absolutus, ipse falsum diceret, sicut probat objectio, sed esse suum intentionale et sensibile est absolutum a subjecto.

Similiter dicendum est ad tertiam objectionem : quia per esse materialis dispositionis multitudo accidentium reducitur ad substantiam. Quod autem forma accidentalis tale intentionale esse accipit in sacramento, ideo contingit, quia propria substantia ipsius in qua habuit esse materiale, et agebat per principia materialia, transsubstantiatur et non manet in sacramento : et ipsum accidens solum manet sicut sola forma sigillorum et species manet in cera post sigillationem, sicut jam diximus supra.

CAPUT II.

De forma sacramenti supra panem.

1. Nunc secundum divisionem præassignatam exposcit ratio, ut de forma hujus sacramenti dicamus [1].

Dicemus ergo primo de forma quæ dicitur *super panem*, et postea de forma quæ dicitur *super vinum*.

Circa formam quæ dicitur super panem, quatuor inquiremus, scilicet quæ sit, et qua virtute, scilicet divisibili vel indivisibili operetur, et unde trahat transsubstantiandi virtutem, et qualis sit modus formæ ipsius in hoc sacramento.

Quæ sit forma hujus sacramenti?

Ad primum autem communiter dicitur, quod ita habetur in Canone : « Accipite... Hoc est enim corpus meum [2]. » Vel, sicut

[1] Cf. IV Sententiarum, Dist. VIII, Art. 6 et 7, Tomo XXIX hujusce novæ editionis nostræ.

[2] Matth. XXVI, 26 : *Accipite et comedite : hoc est corpus meum.*

dicitur, Marc. XIV, 22 : *Sumite, hoc est corpus meum.*

Secundum hoc autem quæritur, utrum hoc quod dicitur : *Accipite*, sit de forma ? Hoc enim ponunt tres Evangelistæ. Marc. XIV, 22, dicitur : *Sumite*, quod idem valet. Luc. XXII, 19, dicitur : *Dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum.*

Ad hoc autem in præmissis istius tractatus diximus, quod hoc quod dicitur : *Accipite*, pertinet ad institutionem sacramenti, et non ad formam. Voluit enim per hoc Dominus declarare quam acceptum habere deberent tantum sacramentum a seipso institutum, et ideo præmisit : Accipite panem, vel accepto pane, ostendens quam acceptum habere deberent sacramentum, quod sibi tam esset acceptum. Unde, I ad Corinth. XI, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Quod enim acceptum Dominus habuit, et Apostoli tamquam dignissimum acceptaverunt, valde nobis debet esse acceptum : et ideo dicitur in Psalmo L, 21 : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.* Vitulos enim super altare ponimus, quando carnis petulantiam in conspectu altaris Domini mactamus, ut digne tanto sacramento communicemus.

2. Sed tunc quæritur, Utrum id quod dicitur : *Hoc est enim corpus meum*, sit forma vel aliquid aliud ?

Videtur autem, quod hæc non sit forma : dicitur in textu Matthæi, Marci et Lucæ : *Benedixit, fregit.* Ergo aliqua benedictione benedixit, antequam hæc verba diceret : *Hoc est corpus meum* : et illa benedictione transsubstantiavit : et tunc illa benedictio fuit forma primi sacramenti quod exhibitum fuit Apostolis. Cum ergo Christi actio sit nobis instructio, videtur quod nos eadem forma in sacramento uti debeamus. Hoc autem videtur per verba Apostoli, I ad Corinth. XI, 2, ubi dicit : *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et post pauca, ℣. 23 : *Ego emin accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Ergo secundum quod accepit a Domino, sic et tradidit nobis. Si ergo sub alia benedictione Christus panem benedixit quam sub istis : *Hoc est corpus meum*, et nos alia uti debemus forma sacramenti quam ista.

Adhuc autem ante formam sacramenti perfecte dictam non fit fractio in sacramento. Hic autem dicitur ante hæc verba quæ sunt : *Hoc est corpus meum*, quod benedixit, et fregit, et etiam tertio discipulis dedit : et sic videtur, quod hæc verba non sunt de forma.

Et adhuc quidam ante nos non modicæ inter antiquos auctoritatis viri, dixerunt quod in veritate alia forma usus est Christus in sacramento, et alia utitur Ecclesia. Concedunt enim isti, quod vel mentali vel vocali benedictione utebatur Christus, qua ipse substantiam panis transsubstantiavit, et transsubstantiatum fregit, et fractum dedit discipulis, et tunc primo dixit : *Hoc est corpus meum.* Dicunt enim isti, quod si Christus ante hæc verba panem in corpus suum non transsubstantiasset, non fuisset verus sermo quo dixit : *Hoc est corpus meum*, demonstrando id quod sub forma panis demonstrabatur. Hoc autem valde est inconveniens : quia Christus dicit, Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Psal. CXVIII, 89 : *In æternum, Domine, permanet verbum tuum.* Oportet igitur, ut dicunt, quod ante fuerit transsubstantiatum : nobis autem, ut dicunt, traditum est sacramentum sub forma illa verborum frequentandum quibus dicitur : *Hoc est corpus meum.*

Si autem quæritur ab his, quare Christus alia forma verborum est usus, et alia voluit nos uti ? Dicunt, quod in Christo semper fuit potestas excellentiæ, qua ipse operabatur actus gratiæ sine clave invocationis, vel supplicationis alicujus, vel exorcizationis : Petrum autem et suos

sequaces clavibus uti oportet : quia non est in eis nisi potestas ministrorum : et ad hanc doctrinam ostendendam dicunt, quod alia forma usus est vel mentali, vel vocali, sicut voluit, et hanc non expressit, ne putaretur eadem esse potestas Domini quæ servi et ministri. Probare etiam nituntur quod dicunt : quia verba ista : *Accipite, hoc est corpus meum*, potius pertinere videntur ad institutionem, quam ad transsubstantiationem : constat autem, quod in aliis sacramentis semper aliis verbis usus est instituendo sacramentum, et aliis dando formam sacramenti, sicut, Matth, XXVIII, 19, cum dicit : *Baptizantes eos*, instituit sacramentum et injungit usum. Dicens autem : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, dat invocationem quæ est forma sacramenti. In hoc ergo sacramento, sicut dicunt, alia verba pertinent ad institutionem sacramenti, et alia ad formam. Cum igitur secundum significationem verborum, *Accipite, hoc est corpus meum*, ista pertineant ad institutionem, videtur quod alia aliqua verborum forma usus est in transsubstantiando.

Hæc igitur est sententia antiquissimorum quorumdam Doctorum.

3. ristus na verum qua s utir, usus t in samento.

Hoc autem a probabilioribus non tenetur : quia hoc quod dicitur : Christus alia usus est forma verborum, non probatur : et ideo eadem facilitate contemnitur qua probatur. Et quod dicitur : *Benedixit*, constat quod tactu suæ manus quæ unita erat deitati, benedixit et vim transsubstantiabilem contulit, sicut tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam dedit aquis. Nec legimus ipsum alio signo vel alia benedictione mentali vel vocali usum esse. Nec est credendum, quod in tanto sacramento Dominus aliquid ab Apostolis vel Ecclesia absconderit, cum illud sit de pertinentibus ad salutem, cum ipse dicat, Joan. XV, 15 : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Constanter igitur videtur dicendum, quod Christus forma verborum qua nos utimur, usu est in sacramento.

Ad ea quæ isti ergo objiciunt, dicendum est, quod cum dicitur, *benedixit*, quod signo sui tactus benedixit, et quod ille tactus materiæ panis et vini contulit : quia quotiescumque forma debita verborum dicitur super talem materiam cum intentione Ecclesiæ, tunc patet transsubstantiari, et aliter non transsubstantiaretur. Et quod dicitur, *fregit*, non est ideo dictum, quod ante unum tempus fregerit, et postea dixerit : *Hoc est corpus meum*, sed quia simul dixit et fregit, ita quod fractio fuit post verborum formam, quamvis ante dicatur per anticipationem.

Ad aliud autem dicendum, quod sicut jam ante diximus, alia verba sunt institutionis sacramenti et formæ, et de hoc satis jam in ante habitis dictum est.

4. De singulis verbis in hac forma positis.

Sed tunc supposito, quod hæc sit forma : *Hoc est corpus meum*, quæritur quid demonstratur per pronomen *hoc*, quod illius est initium orationis. Et si dicatur, quod corpus Domini sub accidentibus panis demonstratur, tunc aut falsum est quod dicitur, aut jam in pronuntiatione pronominis ibi est verum Christi corpus, et sic superfluit hoc quod sequitur, *corpus meum* : quia nihil facit ad formam sacramenti, sed tantum significatur per orationem quid prædicetur de hoc demonstrato. Si autem demonstratur panis per pronomen, tunc oratio illa est falsa : quia nullus panis demonstrari poterit qui sit verum Christi corpus.

5.

Quæritur etiam de verbo substantivo quod ibi ponitur pro nota compositionis. Constat enim, quod illud notat compositionem essentialem et non accidentalem, sicut cum dico : Petrus est sanctus, vel albus. Si autem talem notat compositionem, tunc oportet quod prædicatum sit de substantia et definitione subjecti, sicut cum dico : Petrus est homo, vel Petrus est animal. Si autem hoc concedatur, tunc sequitur, quod huic demon-

strato substantiale et essentiale est esse corpus Domini. Ad hoc ergo quod fiat corpus Domini, non indiget illa mutatione quæ vocatur *transsubstantiatio*, quod omnino falsum est : quia ad hoc forma sacramenti profertur super materiam demonstratam, quod transsubstantiatio fiat.

6. Similiter autem quæritur de tertio quod est ibi positum, scilicet *corpus*. Cum enim, sicut ibi dicit, *caro non prodest quidquam*[1], sed *verba* quæ dixi de sacramento, *spiritus et vita sunt* in sacramento nos vivificante, potius debuit fieri transsubstantiatio in spiritum vivificantem, quam in corpus, præcipue cum dicat Apostolus, II ad Corinth. v, 16 : *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Christus igitur in sacramento vivificante secundum spiritum, et non secundum corpus est noscendus. Hoc idem videtur per hoc quod dicitur, Joan. vi, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Constat autem, quod a spiritu, et non a corpore vita procedit.

7. Adhuc autem, Quæritur de pronomine *meum* quod apponitur. Quando enim hoc dixit, tunc corpus suum passibile fuit : ergo tunc dedit passibile, scilicet suum, hoc est, tale quale tunc habuit, dedit. Cum igitur talia verba in forma sacramenti assumpsit Ecclesia, qualia Christus tunc protulit, videtur quod adhuc in Ecclesia conficitur in sacramento corpus Christi passibile et mortale. Hoc autem ea ratione maxime videtur, quia confectio istius sacramenti fit in commemorationem passionis Domini et mortis, sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. xi, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Constat autem, quod mors Domini congruentius signatur in passibili et mortali corpore, quam in glorioso et impassibili et immortali.

8. Quærunt etiam quidam de conjunctione, quæ in quibusdam libris missalibus interponitur verbis istis, qui sic habent : « Hoc est enim corpus meum. »

Videtur hoc non esse de forma : quia in tribus Evangelistarum libris, Matthæo, Luca et Marco, qui hanc formam scribunt non continetur *enim* : et cum nihil sit de forma nisi quod Christus dixit, videtur non esse de forma.

Adhuc, I ad Corinth. xi, 23 et 24, ubi Apostolus ritum recitat quo Christus hoc sacramentum instituit et confecit, et ubi adjungit, quod ipse secundum eumdem ritum hoc sacramentum servandum Ecclesiæ tradidit, ibi sic dicit : *Quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum.* Et in hac forma verborum conjunctio causalis, quæ est *enim*, non continetur : et sic de forma esse non videtur.

In contrarium autem est, quod conjunctio in usu valde solemnium Ecclesiarum invenitur apposita, sicut in usu Ecclesiæ Romanæ, et opinio probabilis est, quod tales Ecclesiæ suas observationes habebant ab Apostolis.

Adhuc autem quia conjunctio causalis relationem et conjunctionem signat ad id quod in oratione Christi præcessit. Dixit Christus : *Accipite et comedite*[2]. Et infra, Matth. xxvi, 28 : *Bibite ex hoc omnes.* Non autem esset causa quare acciperent et comederent, nisi corpus suum esset. Cum ergo sequens sit causa præcedentis, non totum signatur in oratione quod in Christi fuit intentione, nisi conjunctio causalis apponatur : et ita videtur, quod apponi debeat. Et sic dicetur : « Hoc est enim corpus meum ».

[1] Joan. vi, 64.

[2] Matth. xxvi, 26.

Ulterius autem quæritur quare Lucas plus addit quam Marcus. Dicitur enim sic, Luc. XXII, 19 : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.*

Quæritur ergo, utrum etiam hoc sit de forma ?

Videtur autem, quod sic : quia Christus hoc suo ore apposuit.

Adhuc autem, Apostolus tradens Ecclesiæ hoc sacramentum celebrandum et observandum, hoc etiam apposuit, I ad Corinth. XI, 24, ubi sic dicitur : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Adhuc autem, quia verbis illis innuitur causa passionis quam commemoramus in illo sacramento : et ideo apponendum esse videtur.

Adhuc autem, cum sacramentum istud sit charitatis, ut in ante habitis determinatum est, et potissima causa charitatis nostræ ad eum sit qui traditus est pro nobis, videtur hoc esse de principalibus in forma ponendis.

Adhuc autem, quia hujus dicit rationem quare sacramentum celebratur : ratio autem celebrationis uniuscujusque rei ad formam ejusdem rei reducitur : videtur ergo, quod et istud quod dicitur, *quod pro vobis tradetur*, intra formam sacramenti debeat contineri.

Ulterius etiam quæritur de hoc quod, Luc. XXII, 19, ulterius additur : *Hoc facite in meam commemorationem.* Utrum et hoc sit de forma ?

Videtur autem, quod sic : quia in una contextione in forma sacramenti totum hoc Christus pronuntiavit : et sicut ipse pronuntiavit, sic est tenendum : videtur ergo tenendum esse, quod hoc etiam sit de forma.

Præterea, Paulus hunc ritum tradidit observandum Ecclesiæ : quia, I ad Corinth. XI, 24, dixit : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem.*

Adhuc autem, quia hoc dicit finem et intentionem Christi sacramentum instituentis : institutum enim est, ut commemoratio Christi fiat pro nobis se in cruce offerentis.

Ad hæc autem sine præjudicio dicimus, quod nihil est de forma corporis Domini nostri, nisi quod Christus testibus quatuor probatur dixisse, scilicet, *Hoc est corpus meum.* Testes autem quod conficiendo sacramentum dixit sunt quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, et Paulus. Nec aliud quidquam est de forma sacramenti.

11. Nihil est de forma consecrationis panis nisi quod Christus testibus quatuor probatur dixisse, scilicet, Hoc est corpus meum.

Et quod quæritur de pronomine demonstrativo, quid demonstret ? Dicendum quod demonstrat corpus Christi sub forma sacramentalis panis.

Ad id autem quod objicitur, quod statim pronuntiato signo demonstrationis, secundum hoc est ibi corpus Christi antequam residuum orationis pronuntietur. Dicendum, quod hoc non sequitur : pronomen enim prout secundum se accipitur, non est de forma sacramenti, sed potius prout est pars orationis : quia sic etiam qualitatem habet demonstrationis : quia secundum se acceptum non signat nisi meram substantiam. Unde secundum quod pro nomine ponitur rei demonstratæ, sic est pars orationis, et non habet significare nisi cum partibus suis, quæ sunt compositio et appositum compositioni et subjecto demonstrato : et in hac virtute acceptæ partes orationis simul ad indivisibilem rei signatæ per orationem relatæ faciunt transsubstantiationem : et ideo nulla ibi pars agit divisim, sed potius, ut diximus, simul acceptæ in unitate significatæ rei per orationem ad quod referuntur, faciunt ut unum et non ut divisa illam transsubstantiationem. Dicit enim Priscianus, quod omnis constructio quam Græci *synthesim* vocant, ad intellectum est referenda. Ad intellectum autem relata uniuntur partes in unitate rei significatæ. Et hoc est quod dixerunt antiqui, quod una pars exspectat aliam : et quando totum dictum est, totum factum est.

Quod autem objicitur, quod demonstrat materiam panis, est concedendum.

Nec est dicendum quod quidam dixerunt, quod demonstret materiam vel substantiam panis jam incipientem transire in corpus Christi : hoc enim fieri non posset nisi esset in sacramento mutatio intercipiens medium aut extremum : et hoc jam in antecedentibus ostendimus esse impossibile. In transsubstantiatione enim illa tota substantia panis cum materia et forma transsubstantiatur in corpus Christi, et materia panis nullo modo incipit amittere formam panis, et accipere formam corporis Christi : et ideo talis responsio nullo modo competit in hoc sacramento.

12. Ad hoc quod quæritur de verbo substantivo quam notet compositionem ? Dicendum quod essentialem.

Ad hoc quod objicitur, est concedendum, quod corpus Christi est de essentia et ratione hujus sacramenti demonstrati, sicut lignum est de essentia et ratione hujus ligni demonstrati.

Ad hoc autem quod ulterius objicitur, dicendum quod hoc non sequitur : quia hoc facit transsubstantiatio. Unde quod corpus Christi prædicatur essentialiter de corpore quod est in dextera Dei Patris, hoc fecit natura universalis et particularis in Christo. Sed quod corpus Christi prædicatur de hoc demonstrato sub forma panis, hoc fecit transsubstantiatio, quæ fit per formæ sacramenti sanctificationem.

Et si objicitur, quod id quod sub sacramenti speciebus est, idem est omnino secundum rem cum eo quod est in dextera Dei patris, et quod traxit de Virgine : et sic si transsubstantiatio facit unum, tunc facit et alterum : quia unius et ejusdem una est causa. Dicendum, quod hoc non sequitur : quia quamvis idem sint penitus, non tamen eadem habent attributa secundum quod istud demonstratur sub forma panis, et illud in lineamentis et figura propria : quia isti convenit, quod sit vere cibus : hoc autem in lineamentis et figura hominis demonstratum, ut dicit Augustinus, horridum esset accipere cibum : et ideo aliam habet causam secundum quod est sub forma panis prædicatio ista, et aliam habet causam secundum quod est in lineamentis et figura hominis demonstratum.

Ad aliud quod de corpore objicitur, 1.
dicendum, quod quamvis ex vi sacramenti sub forma panis non sit nisi corpus Dominicum, tamen propter uniones naturales corporis Dominici cum his quæ secundum naturam et gratiam sunt in corpore, multa sunt ibi alia : propter unionem enim corporis et animæ est ibi anima : et quia movet anima corpus per spiritum, est in corpore illo spiritus et animalis, et vitalis, et naturalis : et propter impletionem valorum nutrimentalium est ibi sanguis : et propter unionis gratiam est ibi deitas : et sic est corpus vivificatum et divinum, vivificans vita divina et vita gratiæ. Nec de hoc Christus reprehendit Judæos carnaliter intelligentes, quod corpus spiritu vivifico plenum et divinum intelligerent, sed potius reprehendit eos, quia tale suum corpus esse intelligere nolebant, sed tantum intelligebant, quod caro sua esset dentibus laceranda, et non esset vivifica nec divina, et dentibus non laceranda, sed sumenda, et tamen integra et sana mansura. Et hoc est quod dixit : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* [1], hoc est, spiritualiter de spirituali manducatione intellecta sunt spiritus ad vitam vivificantia æternam. Quod etiam Petrus ibidem consideravit, dicens : *Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes* [2].

Ad id autem quod objicitur de Apostolo dicente : *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* [3]. Dicendum quod Aposto-

[1] Joan. vi, 64.
[2] Ibid., v. 69.
[3] II ad Corinth. v, 16.

lus notat per *carnem* infirmitatem carnalem et infirmum intellectum, quem sicut Judæi aliquando de Christo etiam habuerunt Apostoli, secundum quem jam non cognoscitur Christus : quia omnia hæc ad spiritualem intellectum referuntur : et tunc cognoscimus, quod caro Christi in sacramento sumitur in spiritu vivificante, et non in corporis sui corporali et dentali laceratione.

14. Ad hoc autem quod quæritur ulterius de hoc pronomine, *meum*, bene concedendum est, quod tunc tale exhibuit quale habuit : sed cum post resurrectionem etiam significet corpus a Christo possessum, etiam tunc supponit quale nunc habet, hoc est, immortale et gloriosum.

Ad hoc autem quod in contrarium objicitur, dicendum quod Ecclesia verba hæc accipit sicut ea Christus protulit, scilicet quod verum corpus suum sit ab eo possessum : et hujusmodi veritatem non variant diversæ dispositiones passibilitatis et impassibilitatis, mortalitatis et immortalitatis : quia hæc non sunt de veritate humani corporis : sed remanet idem verum humanum vivum et divinum corpus sub contrariis istis dispositionibus, quod esse non posset, si illæ dispositiones essent de veritate corporis Christi.

Ad hoc autem quod objicitur, quod sacramentum celebratur in commemorationem passionis. Dicendum, quod nihil prohibet in immortali corpore fieri commemorationem passionnis in modo sacrificii et modo immolationis : et hoc intelligitur institutum esse sacramentum in commemorationem passionis Christi.

15. Ad hoc autem quod ulterius quæritur, utrum hoc quod dicitur, *quod pro vobis tradetur*, sit de forma, vel non ? Dicendum, quod non est de forma, nec Christus hoc dixit tamquam esset de forma, sed quod ostenderetur identitas unitatis inter corpus traditum sive tradendum, et corpus sub speciebus sacramenti contentum : et sic veritatis sacramentum esse probaretur.

Ad hoc autem quod objicitur per rationem, dicendum, quod non ideo dicitur, *quod pro vobis tradetur*, ut ostendatur vel charitas, vel effectus redemptionis, quamvis traditio pro nobis facta magnum indicium sit charitatis, sed tantum ideo additum est, ut ostendatur veritas, sicut jam dictum est : hoc enim necessarium fuit propter carnalem discipulorum adhuc intellectum, ut scirent, quod corpus esset divinum quod in cruce posset pati, et integrum remanere in sacramento sumptum quidem spiritualiter et sacramentaliter, et cum dentibus non discerptum et dilaceratum.

16. Ad hoc autem quod ulterius quæritur de hoc quod iterum adjicitur : *Hoc facite in meam commemorationem*. Dicendum, quod hoc nullo modo est de forma : sed quia, sicut in ante habitis diximus, Christus simul instituit sacramentum et injunxit usum et promulgavit formam, ideo rationem injunctionis usus subjunxit, subdens : *Hoc facite in meam commemorationem*. Ac si diceret : Frequentate sacramentum, quia in hoc mei abeuntis habebitis memoriale certissimum : et ideo etiam diximus in ante habitis, quod *memoriale* vocatur.

Et per hoc patet solutio ad totum quod de hoc superius objectum est.

17. Ad hoc autem quod quæritur, utrum causalis conjunctio *enim* sit de forma? Dicendum est, quod non est de forma : sed est conjunctio causalis continuans sequentia cum antecedentibus, sicut etiam dicit objectio.

Ad hoc autem quod dicitur, quod ubi causa et causatum ponuntur, quod hæc ad idem pertinent. Dicendum, quod hoc

[1] Matth. xxvi, 26.

est verum in causa essendi : sed in causa dicendi, vel aliquid injungendi, non est verum, et sic est hic. Quod enim dicitur : *Hoc est corpus suum*, non fuit nisi causa dicendi vel injunctionis usus sacramenti : quia dixit : *Accipite et comedite* [1]. Talis autem causa dicendi vel injungendi sufficit conjunctioni causali : quia in grammaticis non attenditur res tantum, sed etiam quicumque modus, et maxime in partium declinabilium constructione.

Ad hoc autem quod de antiquis Ecclesiis et authenticis objicitur. Dicendum, quod illæ Ecclesiæ hoc assumpserunt prædicta de causa : quia scilicet in sacramento non tantum voluerunt exprimere formam, sed etiam formæ rationem in comparatione ad institutionem.

Ex his autem quæ sic a nobis dicta sunt, solutio patet ad omnia quæsita in ante habitis.

18. Utrum forma sacramenti operetur virtute divisibili vel indivisibili ?

Nunc exposcit ordo, ut ostendamus qua virtute, scilicet divisibili vel indivisibili, hæc forma operetur.

Videtur enim quibusdam, quod id quod ex multis discretis et non continuis operatur, quod hoc divisibili et non indivisibili operatur virtute. Hæc autem oratio : *Hoc est corpus meum*, ex multis non unitis componitur, et sic divisibili virtute operari videtur : oratio enim quantitas est discreta, et non unita.

Adhuc autem, omne quod ex multis agit, operationem habet compositam, sicut calor naturalis, qui agit ex anima, et cœlesti virtute, et virtute ignis, operationem habet in qua omnium istorum virtus perpenditur : quia in separatione puri ab impuro perpenditur virtus ignis, et in motu ad speciem corporis perpenditur virtus cœlestis, et in motu ad speciem viventis perpenditur virtus animæ. Et sic videtur, quod cum ista oratio agat ex multis, quod debeat habere operationem compositam : et hoc est falsum : quia transsubstantiatio est operatio simplex.

Si forte aliquis dicere velit, quod oratio resolvitur ad rem : et sic in simplicitate rei simplicem facit operationem, sicut nuper innuimus in quæstione præcedenti. Videtur, quod ista responsio supponit falsum : quia oratio ista ad unum simplex reduci non potest : oratio enim ista signat, quod alia est res in ea supposita, et alia apposita sive prædicata. Talis autem res in qua est alia et alia natura, non est una res simplex : et sic ad aliquam rei simplicitatem hæc oratio reduci non potest.

Adhuc autem, si oratio virtute rei operatur in sacramento, cum compendium in omnibus sit eligendum et in natura et in gratia, videtur quod melius posita fuisset forma sacramenti in re quam in sermone.

Ad hæc autem et similia dicendum, quod in veritate oratio indivisibili virtute rei operatur, sicut in ante habitis dictum est.

Ad id autem quod primo objicitur, dicendum, quod oratio quidem componitur ex multis non continuis indictis sonis : sed oratio non sumitur hic in se et materialiter considerata, prout est in sonis syllabarum et litterarum, sed, sicut diximus, per significationem ad rem relata, et illa res est unum simplex et indivisum.

Ad aliud autem quod objicitur, dicendum, quod verum est in his agentibus et instrumentis, quorum virtutes trahuntur a diversis et a se invicem divisis : hoc autem non est hic, quinimo virtus hujusmodi actionis trahitur ab unico et indiviso significato.

Ad hoc autem quod contra hoc objicitur, dicendum quod cum dicitur, *hoc est corpus meum*, significatum orationis est unum in esse et unicum : quia prædicatum est esse suppositi, quamvis id unum in esse ex duabus substantiis sit compo-

[1] Matth. xxvi, 27.

situm, scilicet ex substantia substante et substantia in esse et ratione perficiente: et quando sic unum compositum est, illud virtutem agendi non trahit nisi ab uno agente quod est natura formæ prædicatæ: et sic sunt duæ naturæ, quarum una proprie agit sicut natura particularis subjecti, quia, sicut dicit Philosophus, agere est particularium subjectorum, et agit virtute alterius, quia virtutes et potentiæ quibus unumquodque agit quod agit, sunt naturæ formalis quæ est in ipso quod agit.

18. Non potuit poni simplex forma in hujus sacramenti propter tres causas.

Ad id autem quod objicitur, quod compendiosius fuisset, si tunc in ipsa re posita fuisset forma sacramenti. Dicendum quod in re non potuit poni simplex forma hujus sacramenti propter tres causas.

Prima, quod sacramentum in forma et materia subjicitur operationi ministrorum Ecclesiæ: res autem significata in hac oratione si absque designatione orationis accipitur, nullo modo subjicibilis est operationi ministrorum, sicut patet cuilibet: quia si hoc corpus Christi demonstratum accipiatur sine orationis designatione, absolvitur ab operatione ministrorum, ita quod sacerdos nihil circa ipsum potest operari.

Secunda causa est: quia cum in sacramentis verbum increatum operetur operatione quæ circa elementa corporalia existit, oportet quod verbum increatum operans in aliquo corporali, congruat elemento corporali circa quod operatur: non autem congruit in aliquo quod et sibi congruat, et corporali elemento, nisi in verbo corporali: oportet ergo, quod in verbo corporaliter sonante operetur: quia dicit Augustinus, quod verbum in intellectu est sicut Verbum in Patre, et verbum sonans in verbo vocis corporeæ est sicut Verbum incarnatum, quod corporalibus se coaptavit et conformavit.

Tertia autem causa est: quia regulariter et generaliter verum est, sicut dicit Hieronymus, quod sacramenta sunt ad eruditionem principaliter instituta: non autem erudiunt quæ ad notitiam venire non possunt: res autem ista occulta est in se, et ad notitiam venire non posset, nisi verbo sonante designaretur: oportet ergo designare verbum incorporale verbo sonante vel voce.

Adhuc autem, sicut dicit Augustinus, sacramentum est sensibile signum, quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliud facit in intellectum venire. Sicut igitur materia consistit in sensibilibus signis, ita etiam in sensibili signo debet consistere forma: et sic oportuit formam sacramenti consistere in oratione sensibilem sonum habente. Hæc igitur causa est quare res in sacramento non simpliciter accepta operatur, sed potius operatur in eo res designata per vocalem orationem, cum tamen vocalis oratio virtutem operandi contrahat a re stante sub voce illa, sicut diximus in præhabitis, etc.

19. Unde forma sacramenti trahat virtutem transsubstantiandi?

Consequenter videndum est unde hæc forma transsubstantiandi trahat virtutem.

Si enim consequentias attendamus, tunc in omni re quæ substantialiter mutatur, oportet quod virtus mutationis illius sit ab eo qui motor est universalis in talibus mutationibus. Mutatio autem una est, sicut dicimus, eam quæ est generationis a sole esse in circulo obliquo accedente et recedente: ideo dicimus difformiter fieri generationem et corruptionem. A simili autem et excellentiori videmus, quod omnium talium mutationum est Verbum increatum causa et motor, sicut dicitur, Joan. I, 3: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Videtur igitur hæc mutatio transsubstantiationis etiam esse Verbi increati. Hoc idem videtur quod dicitur, Genes. I, 3: *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux.* Et quotiescumque est mutatio aliqua substantialis et supernaturalis, semper præmittitur: *Dixit Deus*, sive sit de dispositione, sive de ornatu. Similiter autem et ipsa creatio in verbo Dei consistit, quamvis ante

opus creationis non præmittatur de verbi dictione. Si ergo in Verbo increato omnis talis mutatio consistit, tunc videtur quod etiam ista consistit in virtute Verbi increati, etc.

Adhuc autem, hoc videtur ex dicto Augustini *super Genesim ad litteram*, qui hoc quod dicitur: *Dixit Deus: Fiat*, sic exponit, hoc est, Verbum genuit in quo erat ut fieret. Si autem Verbum genuit in quo erat ut fieret, cum non fuerit in eo ut fiat quoddam, sed ut fiant omnia, sicut dicitur, quod *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est*, oportet quod omnes tales rerum supernaturales mutationes sint in Verbo et a Verbo.

Adhuc autem, illius proprie agentis est facere aliquid, in cujus ratione est actu secundum formam et rationem. Ratio autem et forma talium supernaturalium transmutationum non est nisi in Verbo quod agit omnia talia, et est ars omnia talia faciendi. Igitur virtus illius transsubstantiationis tota consistit in Verbo increato. Unde, Psal. XXXII, 6, dicit: *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et super hoc dicit Ambrosius loquens de panis transsubstantiatione in corpus Domini in sacramento: « Quid miraris si Verbum Dei creaturas mutat, in quo creaturæ ut essent, primum substiterunt? » Videtur igitur, quod tota virtus istius transsubstantiationis in Verbo increato consistat.

Quod si concedatur, videbitur esse contrarium his quæ ante dicta sunt: quia omnis effectus sacramenti causatur a forma ipsius sacramenti. Forma autem non est Verbum increatum, sed verbum creatum prolatum ab ore sacerdotis. Adhuc autem, in aliis sacramentis verbum creatum est forma: videtur ergo, quod verbum creatum sit etiam forma in isto. Dicit enim Beda: « Accedit enim verbum ad elementum, et fit sacramentum. » Et intelligit de verbo creato prolato ab ore ejus qui minister est in sacramento.

Hæc autem et hujusmodi solvenda sunt, quod in Verbo increato pro certo est omnis virtus mutationum supernaturalium sicut in primo agente. Sed hoc idem Verbum dupliciter consideratur, scilicet in intellectu paterno, qui est intellectus universaliter agens, et sic agit indivisibili actione cum Patre omnes creaturarum mutationes supernaturales, sicut dicitur, Joan. v, 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Est autem quædam transmutatio supernaturalis, quam licet non operetur minister, tamen aliquid operatur ad ipsam, sicut sunt mutationes sacramentales ad characteres imprimendos, et mutationes ad gratias et ad alias res effectas in sacramentis, et has operatur Verbum increatum in verbo creato, quod est in pronuntiatione ministrorum. Quia autem aliquid ibi est operationis hominis, oportet quod ipsum Verbum increatum coaptetur ad id quod est hominis, ut in operatione hominis Verbum increatum operetur.

Omnia igitur primitus inducta sunt concedenda: quia in veritate supernaturales transmutationes ad causam supernaturalem oportet reduci, et hanc causam oportet esse talem in qua sit ratio et virtus tales transmutationes operandi: non autem sunt per rationem et virtutem nisi in verbo: et sic oportet, quod Verbum increatum vel in se, vel in aliquo creato cui coaptatur, in illas operetur.

Ad hoc autem quod in contrarium objicitur, dicendum quod licet verbum creatum sit forma sacramenti, tamen quia hæc forma processit ab institutione divina, non separatur a Verbo increato, et virtute illius agit quidquid agit: et ita est etiam in aliis sacramentis.

19. Si autem quæritur, unde sit, quod Verbum increatum sic est activum? Dicendum, quod est ab hoc quod ipsum est verbum intellectus divini, qui universaliter est activus, et nullius rei receptivus. Et ideo sicut ille est causa transmutationis rerum et constitutivus rerum omnium sicut vult, ita et verbum ejus

sic est transmutativum et constitutivum : noster autem intellectus est materialis et receptivus : et ideo non est rerum causativus, sed potius a rebus causatus : et ideo etiam verbum ipsius conceptum designat, quem præaccepit intellectus, et non est alicujus rei causativus. Verbum autem increatum nuntiat intellectum agentem et constituentem : et ideo, ut dicit Ambrosius, est rerum transsubstantiativum : et ideo cum tali verbo creaturas constituente et reparante loqueretur Christus Judæis, Joan. VIII, 43, 42, et ipsi non caperent, arguens eos, dixit : *Quare loquelam meam non cognoscitis? Ego enim ex Deo processi et veni.* Ac si dicat : In ipso verbo quo muto et reparo creaturas sicut volo, potestis scire, si vultis, quod Verbum æternum procedens ab intellectu qui universale principium est agendi et creaturas instituendi et reparandi : quia tales supernaturales operationes per seipsum non habet, nisi Deus sive intellectus divinus : quia nullus est rerum universaliter constitutivus : hæc enim operatio propria est Deo et nulli alii conveniens. Et si sancti aliqui tales leguntur fecisse operationes, has fecerunt per invocationes vel supplicationes vel per merita sanctitatis, et non per seipsos virtute propria. Istæ enim operationes supernaturales in quantum sunt supernaturales, sunt omnes unius rationis : et ideo ad unum agens supernaturale habent reduci.

20. Qualis sit modus formæ hujus sacramenti?

Ultimo tandem considerandum est de hujus formæ qualitate : non enim hæc forma est ad modum formarum aliorum sacramentorum, quæ omnes sunt per invocationem sanctæ Trinitatis, sicut in baptismo, ubi dicitur : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Hic autem nulla fit Trinitatis invocatio, cum tamen operationes gratiarum sacramentalium sint indivisa opera Trinitatis.

Adhuc autem, in omnibus aliis formis actum vel gratiam sacramentalem signat se operari minister, sicut in baptismo dicit : « Ego te baptizo. » Et in confirmatione dicit : « Ego te confirmo. » Et in unctione dicit : « Ungo hos oculos de oleo sanctificato. » Et sic de aliis. Videtur ergo, quod etiam in isto sacramento in persona ministri dici deberet : Transsubstantio hunc panem in corpus Domini nostri Jesu Christi.

Adhuc autem, cum fit transsubstantiatio panis ibi, videtur quod deberet significari per modum mutationis, quod sic diceretur : Hic panis fiat corpus Domini. Vel, hic panis mutetur in corpus Domini. Vel saltem sic : Hic panis transsubstantietur in corpus Domini. Et non sic : *Hoc est corpus meum*, quia verbum substantivum quod est *est*, nullam dicit mutationem.

Adhuc autem, cum ministris sit proprium non operari ex potestate absoluta, sed per clavem supplicationis vel exorcismi, sed Christi sit operari ex potestate, videtur quod quamvis Christus ut potestatem habens, dixerit : *Hoc est corpus meum*, quod tamen ministris sit sic non dicere, sed supplicatione uti, dicendo : Rogamus te, Domine, ut hoc fiat corpus tuum.

Ad hæc autem et omnia similia dicimus, quod non est in hoc sacramento sicut in aliis : operatio enim istius sacramenti ad Dominum omnium terminatur sacramentorum. Et ideo aliis verbis hic uti oportet quam in aliis. Nec ista operatio est ministri, sed potius, sicut diximus, Verbi increati in verbo creato : et ideo nulla est invocatio in hoc sacramento : quia certissimi sumus de operatione verbi. 21.

Alia autem est causa : quia cum contentum istius sacramenti sit Christus totus integer et perfectus, et respectu hujus rei non possit aliquis poni obex ex parte ministri, ideo non debuit hoc sacramentum formam habere per invocationem traditam sicut alia in quibus aliquando obex ponitur.

Ad aliud autem dicendum, quod in veritate iste actus transsubstantiationis nullo modo est ministri sicut operantis, vel sicut cooperantis: quia solum Verbum increatum in verbo creato hanc operatur transsubstantiationem : et ideo actus ille ad ministrum non poterat sicut ad agentem retorqueri. Sic autem non est in aliis sacramentis, quorum actus exteriores ad usum sunt ministrorum.

Ad aliud autem dicendum, sicut patet jam in ante habitis, quod non est ibi vera transmutatio, sed simplex transsubstantiatio hujus ex hoc. Et ad hoc signandum non est tradita forma per verbum pertinens ad mutationem, sed per verbum pertinens ad esse.

Ad aliud autem jam patet responsio per ante dicta : quia licet ministri sit per clavem operari, tamen quia actio illius sacramenti nullo modo est ministri, ideo non debuit ut ministri per invocationis vel supplicationis modum significari.

Et si objicitur, quod secundum hoc sacramentum istud non debuit committi operationi ministrorum, dicendum quod hoc non sequitur: quia quamvis nihil operetur minister vel cooperetur in re sacramenti, tamen operatur ad sacramentum suggerendo materiam, et dicendo orationes et supplicationes quæ antecedunt et consequuntur sacramentum, et offerendo et distribuendo sacrificium, vel sacramentum, et cætera faciendo quæ in hoc sacramento requiruntur.

CAPUT III.

De forma quæ dicitur super vinum.

1. Quæ sit forma consecrationis vini?

Post hoc dicendum est de forma quæ dicitur super vinum, de qua quædam quæruntur propria : quædam quæ utramque formam, panis scilicet et vini, consequuntur.

Propria autem quæ quæruntur, sunt tria, scilicet quæ sit forma quæ super vinum dicitur? Et, utrum divisim vel conjunctim agat transsubstantiationem cum forma quæ dicitur super panem? Et tertio, quare non eodem modo traditur sicut forma quæ dicitur super panem ?

Si autem verba Evangelistarum consideremus, forma quæ dicitur super vinum, valde diversa invenitur. Etenim, Matth. XXVI, 27 et 28, dicitur : *Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Marci autem, XIV, 23 et 24, dicitur sic : *Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ autem, XXII, 20, sic dicitur : *Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Apostolus autem Paulus, I ad Corinth. XI, 25, sic dicit : *Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Hæ

autem omnes formæ differunt ab ea quæ usitatur et tenetur a tota Ecclesia in Missæ Canone, ubi sic dicitur : « Simili « modo, postquam cœnatum est, acci- « piens et hunc præclarum calicem in « sanctas ac venerabiles manus suas : « item tibi gratias agens, benedixit, de- « ditque discipulus suis, dicens : Acci- « pite, et bibite ex eo omnes. Hic est « enim Calix Sanguinis mei, novi et « æterni testamenti : mysterium fidei : « qui pro vobis et pro multis effundetur « in remissionem peccatorum. Hæc quo- « tiescumque feceritis, in mei memoriam « facietis. » Hæ omnes forme valde a se invicem differre videntur : et, sicut dicit Hieronymus, non potest esse verum quod est diversum, etc.

2. Quæritur autem de prima istarum [1] : si enim secundum ea quæ de forma corporis determinata sunt, quædam horum verborum pertinent ad sacramenti institutionem, sicut id quod dicitur : *Accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis :* quædam autem pertinent ad formam, sicut id quod dicitur : *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum :* quædam autem pertinent ad usum, sicut id quod dicitur : *Bibite ex hoc omnes* : tunc videtur, quod istud sacramentum sanguinis aliam habet institutionem quam corporis sacramentum : et sic videntur esse duo sacramenta, et non unum sacramentum.

Adhuc autem objicitur etiam de hoc quod dicit : *Hic est sanguis meus :* quia etiam sanguis est in corpore ante confecto : et si corpus habet secum sanguinem, constat quod facit sanguinis effectum : et sic superfluit sanguis in calice consecratus, ut videtur.

Adhuc autem, quia alia forma utitur super vinum, et alia super panem, et duæ materiæ, et duæ formæ, et duæ institutiones videntur facere duo sacramenta.

Adhuc autem quæritur, ex quo Christus dixit : *Hic est sanguis meus*, quare hoc Ecclesia mutasse videtur, dicens : « Hic est enim calix sanguinis mei : » ponens sanguinem in obliquo, et calicem in recto, cum nihil ibi intendatur de calice, sed principalis intentio sit de sanguine.

Adhuc autem quæritur, utrum et hoc sit de forma quod adducitur : « Novi et æterni testamenti : mysterium fidei ? » Videtur, quod sic, quia sub una continetur confectione orationis. Præterea bene invenitur in Evangelio *sanguis novi testamenti :* sed quæritur, unde additum sit *æterni ?* hoc enim nullus posuit Evangelista.

Adhuc autem, quare dicitur *sanguis novi testamenti ?* Si enim dicitur ideo quia in novo testamento est institutus, tunc etiam corpus debuit dici novi testamenti, ut sic diceretur : Hoc est corpus meum novi et æterni testamenti.

Adhuc autem quæritur, quare dicatur *novi testamenti*, cum nihil videatur per illud testificati ? Testimonia enim vel testamenta sunt quæ testificante Deo per miracula probata sunt, sicut dicitur, ad Hebr. II, 4 : *Contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Aut sunt ultimæ voluntatis indicia certis sigillis certificata. Nihil autem talium est in calice, ut videtur. Et ideo non deberet vocari *calix novi testamenti.*

Adhuc autem, in æternitate nihil talium erit : quia ibi rerum veritate percipiemus id quod nunc sub specie sacramentali gerimus velatum. Non ergo deberet dici *novi et æterni testamenti,* sed potius novi testamenti in fine temporum finiendi.

Adhuc autem, unde trahitur id quod additur : *Mysterium fidei* ? Hoc enim in serie Evangelii nec in se, nec in suo simili invenitur.

[1] Matth. XXVI, 27 et 28.

Adhuc autem, quare potius ponitur hic de calice quam de corpore? Corpus enim Christi est hic in altari in mysterio, hoc est, in secreto sicut et sanguis.

Adhuc autem quæritur, quare potius dicitur *mysterium fidei*, quam mysterium spei vel charitatis, cum sacramentum altaris principaliter dicatur charitatis sacramentum et veritatis, sicut in ante habitis probatum est?

Ulterius autem quæritur de hoc quod additur : *Qui pro vobis et pro multis effundetur*, utrum et hoc sit de forma? Videtur, quod sic : quia universaliter observatur ab Ecclesia.

Adhuc autem, quare dicit sanguinis proprium effectum, et effectus omnis respicit ad formam agentis?

Adhuc autem, quare dicit copulatione utens : *Pro vobis et pro multis*, cum non sit alia fusionis ratio pro Apostolis quam pro multis?

Adhuc autem, quare non dicit : Qui pro omnibus effundetur, cum tamen pro omnibus sit fusus? I Joannis, II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Adhuc autem, hoc esset conforme dictis præcursoris Domini, qui, Joan. I, 29, dicit : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Et non dicit, peccata nostra et multorum de mundo.

Adhuc autem ulterius quæritur, quare addatur : *In remissionem peccatorum.* Omne enim sacramentum est in remissionem peccatorum. Et videtur, quod baptismus et pœnitentia plus sint in remissionem peccatorum, quam Eucharistia : quia illa sunt directe contra mortalis peccati species, quæ sunt originale et actuale. Eucharistia autem est contra quemdam peccati defectum, qui est inedia spiritualis vitæ, sicut patet per ante dicta. Cum enim hoc non additur formis aliorum sacramentorum, videtur quod etiam formæ istius sacramenti addi non deberet.

Hæc autem quæ possent dici de prænominis demonstratione, et partibus orationis sigillatim et conjunctim acceptis, satis intelliguntur per ea quæ de forma quæ dicitur super corpus, disputata sunt.

3. Videtur igitur sine præjudicio sententiæ melioris dicendum esse, quod hoc solum sit de forma sanguinis, quod dicitur : *Hic est calix sanguinis mei.* Præcedentia autem quæ sunt : « Accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas : » itemque, « gratias agens, benedixit, et dedit discipulis suis, dicens : Accipite, et bibite ex eo omnes, » ad institutionem et sanctionem et usum pertinent sacramenti. Quæ autem sequuntur cum additur : « Novi et æterni testamenti : mysterium fidei : qui pro vobis et pro multis effundetur, » et cætera omnia hæc pertinent ad declarationem virtutis sacramenti : medium autem quod interjacet : « Hic est enim Calix Sanguinis mei, » meo judicio solum est de forma sacramenti.

Quod enim primo dicitur de calicis acceptione, signat quod virtute tactus manuum divinarum, vis transsubstantialis collata est materiæ vini, quam non haberet nisi talem materiam Christus in intentione faciendi sacramentum tetigisset.

Quod autem additur : « In sanctas ac venerabiles manus suas, » quæ *sanctæ* dicuntur, quia sacramentum sanxerunt, et *venerabiles*, quia auctoritas divina in eis fuit ad instituendum. Quamvis ergo Christus multa dum hic in mundo viveret, tetigerit, tamen vim materialem sacramenti non contulit nisi rebus illis tantum quas tetigit intentione sanciendi sacramentum. Actio enim Dei voluntati et intentioni subjicitur, sicut dicitur, Sapient. XII, 18 : *Subest enim tibi cum volueris posse.*

Quod autem dicitur : « Item tibi gratias agens, » ostendit magnitudinem sacramenti et dignitatem : quia de parvis Filius Patri speciales non ageret gratiarum actiones.

Et quod subdit : « Et dixit : Accipite, » hoc refertur ad institutionem : et est sensus : Vos qui estis Ecclesiæ ministri futuri, accipite hoc dandum Ecclesiæ et tenendum. Et iste sensus innuitur in verbis Apostoli, I ad Corinth. xi, 23, ubi dicit : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.*

Quod autem subjungit : « Bibite ex eo omnes, » hoc pertinet ad usum et generalitatem usus, et ad sumptionem sacramentalem, qui frequentandus est in Ecclesia. Propter quod etiam dicit Hieronymus, quod una causa institutionis sacramentorum est exercitium, ut in ipsis utili exercitemur occupatione, de qua ipse idem Hieronymus dicit : « Semper aliquid operis facito, ut te diabolus occupatum inveniat. »

Quæ autem sequuntur, cum dicit : « Hic est enim Calix Sanguinis mei, » sunt de forma præter causalem quæ interponitur conjunctionem *enim*, quæ continuationem facit formæ sacramenti ad institutionem, sicut in ante habitis in forma corporis dictum est.

Quod autem objicitur, quod duæ institutiones faciunt duo sacramenta. Dicendum, quod non sequitur, nisi duæ institutiones essent de duabus materiis divisis, et duabus formis divisis, et duabus gratiis in sacramentis substantialiter effectis divisis, quæ hic non sunt : quia duæ materiæ panis et vini indicant unum perfectum nutrimentum, quod in perfectione nutriendi altera illarum materiarum indicare non sufficit. Forma etiam ad formam refertur ad perfectionem unius sacramenti. Una etiam est gratia in utroque effecta : et ideo duo esse non possunt. Hæc autem omnia in tertio superius habito tractatu per rationes efficaces probata sunt [1].

Ad hoc autem quod objicitur, quod videtur esse superfluum, quia sanguis est in corpore. Dicendum, quod hoc nihil valet. Ecclesia enim in sacramento non intendit habere Christum qui multis aliis modis habetur per gratiam inhabitantem et bona merita, sed intendit habere Christum ut cibum et perfectum nutrimentum : ut perfectum autem nutrimentum non habetur in solo sacramento panis, sed in sacramento panis et vini : unde licet corpore jam consecrato in eo non desit sanguis, et hoc sit de complemento naturali corporis, tamen non habetur hoc ex virtute sacramenti, nisi post consecrationem calicis : panis enim non nisi in corpus transsubstantiatur, et non in sanguinem : quia sanguis est in corpore propter corporis viventis perfectionem naturalem, et anima ut causa vitæ naturaliter in corpore, et deitas est propter gratiæ unionis connexionem : tamen in omnibus his non habetur ex vi sacramenti nisi corpus, et jam ostendimus, quod elementum materiæ debet perfectionem nutrimenti significare : et ideo de necessitate sacramenti et non superflue ponitur materia quæ est vinum.

Ad aliud quod objicitur de duabus materiis, et duabus formis, et duabus institutionibus, jam solutum est.

Ad id quod quæritur, quare Ecclesia vocem *sanguinis* ponit in obliquo, quam Christus in recto posuit? Dicendum, quod Christus utrumque dixit : quia, Luc. xxii, 20, dicit : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo.* Et hoc idem testatur Paulus, cujus Evangelium Lucas scripsisse legitur, qui sic dicit : *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo* [2]. Sed Ecclesia elegit illum modum in usu sacramenti, quem Lucas scripsit : quia in illo signatur et sanguis, et charitas qua fusus est sanguis, et charitas ad quam invitat sacramentum sanguinis, et charitas in qua sumendus est sanguis. Calix enim calida est potio, quæ non calorem vasis vel ejus quod est in vase signat, sed potius calorem

[1] Vide supra, Dist. III, Tract. III.

[2] I ad Corinth. xi, 25.

qui sanguinem fervere fecit, et qui vaporat in sanguine, et qui incendit bibentem. Psal. cxv, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Quia igitur hoc importatur in sanguine, ideo Ecclesia elegit potius verba Lucæ quam Matthæi vel Marci.

Sed tunc secundum hoc quæritur, si aliquis diceret sic : Hic est sanguis meus, utrum conficeret, vel non. Ad hoc videtur dicendum, quod taliter dicens conficeret. Sed si ex contemptu religionis Ecclesiasticæ id obstinato animo et temere dicere vellet, peccaret contra ritum Ecclesiæ et esset deponendus a ministerio et gradu quo fungeretur in Ecclesia.

Ad id quod ulterius quæritur, utrum et hoc sit de forma quod additur : « Novi et æterni testamenti ? » Videtur dicendum, quod non, sed est ad expressionem eorum quæ perficiunt sacramentum. Et hæc sunt tria, scilicet testamenti confirmatio quod antiquitus non confirmabatur nisi sanguine. Unde, ad Hebr. ix, 17 et 18 : *Testamentum in mortuis confirmatum est : alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.* Secundum autem est, quod in sacramento totum quod credimus, fundatum est : quia Christi passio gratia et futura beatitudo in conjunctione sanguinis significatur. Et quod objicitur, quod in Evangelio invenitur *novi testamenti*, hoc verum est : sed dicitur propter novum modum gratiam conferendi quam habent sacramenta novæ legis, quæ continent hoc quod figurant, et quod figurant et continent, conferunt ei qui recipit sacramentum : et hæc sacramenta veteris legis non fecerunt : quia totus usus illorum, ut dicit Augustinus, fuit in signando gratiam, quam sic responderunt futuram, quod eamdem non continebant nec conferebant.

Ad hoc autem quod quæritur, quomodo additum sit *æterni ?* Dicendum, quod hoc additum est auctoritate Apostolorum et Ecclesiæ, ad ostendendum, quod isti sacramento aliud non succedit : sed hoc in finem temporis durabit in sacramentali specie : in futura autem æternitate percipietur in rei aperta veritate. Et sic patet, quod æternum est et non temporale tantum, sicut Veteris Testamenti figuræ, quæ, sicut dicitur, ad Hebr. ix, 10, *usque ad tempus correctionis* ad signandum tantum sunt impositæ [1].

Ad hoc autem quod quæritur, quare ad corpus non dicitur *novi testamenti ?* Dicendum, quod non ideo dicitur *sanguis novi testamenti*, quia in Novo Testamento sit institutum, sed potius ideo quia Novum Testamentum in ipso et per ipsum confirmatum est, sicut jam ante diximus : quia hoc dixit Apostolus, ad Hebr. ix, 17 [2]. In corpore autem secundum quod est corpus, testamentum non est confirmatum : quia mortem non significat sicut sanguis, nec in eos quibus testamentum confirmatur, aspergitur secundum quod est corpus. Aspersio autem sanguinis testamentum confirmavit, ut sanguis ejus funderetur, qui testamentum non servaret.

Ad hoc quod quæritur, quid sit in sanguine testificatum ? Dicendum, quod totum Novum Testamentum, sicut dicitur, I Joannis, v, 8 : *Tres sunt qui testimonium dant in terra : spiritus, et aqua, et sanguis.* Sanguis enim testatur remissionem, sicut dicitur, ad Hebr. xii, 22 et seq. : *Accessistis... ad sanguinis aspersionem,* scilicet Jesu Christi, *melius loquentem quam Abel :* quia Abel sanguinis aspersio vindictam expostulat, sed sanguis Christi remissionem. Spiritus

[1] Ad Hebr. ix, 10 : *Usque ad tempus correctionis impositis.*

[2] Ad Hebr. ix, 17 : *Testamentum in mortuis confirmatum est : alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.* Et supra, ℣. 16 : *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.*

autem vaporans in sanguine, testatur sanctificationem, et aqua expiationem. Hinc est, quod, Zachar. IX, 11, dicitur : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Hoc igitur testificatur sanguis : quia, sicut dicitur, ad Hebr. IX, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et hoc testificabatur sanguis cum flueret multis miraculis. Propter quod etiam Centurio convictus dixit, Matth. XXVII, 54 : *Vere Filius Dei erat iste* [1]. Convicti etiam erant illi qui percutientes pectora sua reversi sunt in civitatem [2]. Nihil autem horum adjungitur corpori : quia corpus secundum se non est mortis signum vel passionis. Est etiam ultimæ voluntatis confirmatio : quia ultima voluntas Christi fuit remissio per redemptionem, et hanc sanguine testificatus est et confirmavit multis sigillis miraculorum.

Ad id autem quod objicitur, quod in æternitate nihil erit sacramentalium signorum, solutio patet per dicta paulo ante : quia ideo dicitur *æternum,* quia non habebit succedens, et in beatitudine manebit in suo proprio significato, sicut et Christus dicitur, ad Hebr. VII, 24, sempiternum habere sacerdotium secundum ordinem Melchisedech [3].

Ad id autem quod quæritur, unde addatur : *Mysterium fidei ?* Dicendum, quod auctoritate Apostolica additur et Ecclesiæ, ad determinationem sacramenti sanguinis : tota enim fides in sacramento sanguinis fundatur, secundum quod redemptio facta est per sanguinem : quia Christus propter hoc incarnatus fuit, sicut dicit Petrus, beati Gregorii diaconus, in paschalis cerei benedictione : « Nihil enim nasci profuit, nisi redimi profuisset. »

Ad hoc autem quod dicitur, nihil simile in Evangelio contineri. Dici potest, quod multa fecit et dixit Christus, sicut dicitur, Joan. XXI, 25 : *Quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Vel, si non dixerit Christus, tamen Ecclesiæ auctoritas addidit, ut diximus, ad expressionem fidei, quæ tota, sicut jam diximus, morte et sanguine Christi est completa. Et hoc quidem mysterium est : quia tota fides est de non apparentibus rationi. Unde, ad Hebr. XI, 1, dicitur, quod *fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Ad hoc quod quæritur, quare hoc non est additum formæ corporis ? jam patet solutio per ante dicta : quia scilicet corpus secundum quod corpus mortem omnia confirmantem forma sua non ostendit, quam perfecte ostendit fluxus de latere sanguinis.

Ad id quod quæritur, quare non dicatur mysterium spei et charitatis ? Dicendum, quod hoc non esset proprie loqui : quia secretum quod significat mysterium, non congruit nisi pertinentibus ad cognitionem, et ad cognitionem non pertinent spes et charitas.

Ad id autem quod ulterius quæritur de hoc quod additur : « Qui pro vobis, etc. » Dicendum, quod non est de forma.

Ad id autem quod objicitur, quod dicit proprium effectum. Dicendum, quod hoc non facit ipsum esse de forma, sed indicat sanguinis virtutem et effectum redimendi : et licet effectus a forma procedat, tamen extra formam est secundum esse, et nihil est ipsius formæ.

Ad id autem quod quæritur, quare utitur copulatione : « Pro vobis et pro multis ? » Dicendum, quod in veritate una est ratio fundendi sanguinem pro Apostolis et pro aliis, tamen apponitur : « Qui pro vobis » in persona justorum per-

[1] Cf. Marc. XV, 39 : *Vere hic homo Filius Dei erat.*

[2] Luc. XXIII, 48.

[3] Ad Hebr. VII, 24 : *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.*

fectorum, ut sciatur, quod merita sanctorum quantumcumque perfectorum, non valent, nec sunt accepta sine sanguinis intermissione. Quod autem dicitur : « Pro multis, » ideo dicitur, ut ostendatur quid sanguis habeat in valore. Unde ex primo intelligitur per Christi sanguinem perfectio meriti sanctorum, ex secundo autem valor sanguinis importatur.

Ad hoc autem quod quæritur, quare non dicit : Pro omnibus ? Respondent quidam, quod in veritate pro omnibus sufficit sanguis Christi : sed quia non efficienter salvat omnes, sed multos, ideo sicut dicunt, dicit *pro multis*, potius quam *pro omnibus*. Et hæc ratio est bona et Catholica. Si quis autem subtilius sermonem Domini inspiciat, tunc plus importatur per hoc quod dicit : *Pro multis*, quam si diceret : *Pro omnibus :* quia *multis* dicit multitudinem, quæ sui incremento procedit in infinitum, et sic *pro multis* optime dicit : quia quamvis multitudo hominum potentia materiæ, ut dicit Philosophus, procedat in infinitum, et cum valore sanguinis multitudo infinita redempta est. Si autem poneretur *pro omnibus*, poneretur quædam summa distributa sub uno communi, et non significaretur valor sanguinis extendere se ultra illam. Ad hoc quod dicit, I Joannis, II, 2, quod *pro totius mundi* peccatis sanguinem fudit. Dicendum, quod in hoc quod dicitur *mundus*, quoddam infinitum secundum potentiam materiæ importatur : propter quod idem est mundus præcedentium, præsentium, et futurorum : et sic iterum respicit multitudinem potentia infinitam.

Per hoc etiam patet solutio ad sequens de verbo Joannis Baptistæ, quo dixit : *Qui tollit peccatum mundi* [1].

Ad id autem quod ulterius quæritur de additione hujus quod dicitur : « In remissionem peccatorum. » Dicendum, quod in hoc nulli addi congruit nisi in forma sanguinis : quia in solo sanguine secundum suum nomen et effectum sanguinis significatur et causatur remissio peccatorum : in aliis autem causatur quidem, sed non per se significatur. Corpus enim secundum seipsum non dicit opus redemptionis : quia veritas corporis potest percipi etiamsi numquam fuisset redemptio per passionem, dummodo Christus sic sacramentum sui corporis instituisset. Sed sanguis directe dicit fluxum sanguinis in opere redemptionis, per quam facta est remissio peccatorum et debiti solutio.

Ad hoc autem quod objicitur de baptismo et pœnitentia. Dicendum, quod revera sunt ordinata sacramenta illa contra duas species mortalis peccati, quæ sunt originale et actuale, sed tamen ad illa delenda nihil operarentur, nisi sanguis Christi per fidem Ecclesiæ in eis operaretur : et ideo remissio primo et per se attribuitur sanguini, et per virtutem sanguinis attribuitur aliis etiam sacramentis omnibus, et non solum baptismo et pœnitentiæ, etc.

3. Utrum forma consecrationis vini agat divisim vel conjuncta tim transubstantiationem cum forma consecrationis panis ?

Deinde quæritur, Utrum hæc forma sigillatim sine forma corporis accepta, agat transsubstantiationem vini in sanguinem, aut si non agat eam nisi ut conjuncta cum forma quæ dicitur super panem ?

Et antiqui quidam sicut Stephanus Cantuariensis, et Præpositus, et Cantor Parisiensis, et alii quidam dixerunt, quod una istarum formarum exspectat aliam, hoc est, quod pronuntiata forma ista : « Hoc est corpus meum, » non statim fit transsubstantiatio panis in corpus Christi, sed forma verborum jam perfecta, stat in virtute sua non statim agens, donec etiam super vinum pronuntiatur forma sanguinis : et tunc illæ formæ simul agunt sacramenti hujus perfectionem per transsubstantiationem panis in corpus, et per transsubstantiationem vini in sanguinem. Hujus autem suæ assertionis sive

[1] Joan. I, 29.

opinionis quatuor assignant rationes : quarum prima sumitur ex unitate sacramenti, quæ jam in ante habitis probata est. Unius autem sacramenti una vel congregata ad unum est actio. Et ideo dicunt, quod simul congregatæ sunt istæ actiones formarum.

Secunda ratio sumitur ab unitate ejus quod semper in hoc sacramento continetur, sive bonus sit sacerdos conficiens, sive malus. Hæc autem res est totus et perfectus Christus. Unius enim rei sacramentalis unica vel ad minus simul unita est actio convertens et constituens.

Tertia ratio sumpta est ab inconvenienti quod istis sequi videbatur, si contrarium hujus diceretur : et hoc est, quia si diceretur, quod non sunt simul actiones formarum, esset sub forma panis corpus sine sanguine, et sub forma vini sanguis sine corpore, quod esset magna sacramenti imperfectio : quia sic aliquando in altari esset Christus secundum aliquid sui, et non esset ibi secundum aliquid sui, quod valde inconveniens est.

Quarta autem ratio sumitur a simili : quia dicunt, quod sicut Spiritus sanctus simul corpus et sanguinem formavit in utero, ita conveniens est simul et non successive corpus et sanguinem supernaturali mutatione formari in sacramento, ut una actio divina et supernaturalis alii divinæ et supernaturali respondeat secundum similitudinem et congruentiam. Hæc igitur sunt propter quæ dixerunt hoc quod dixerunt, et magnæ fuerunt isti viri temporibus suis auctoritatis inter Doctores.

In contrarium hujus objicitur : quia secundum hoc sacerdos facit populum idololatrare : constat enim, quod statim completa pronuntiatione facta de forma corporis Christi, elevatur hostia, et populo adoranda exhibetur adoratione latriæ : hoc autem fit antequam aliquid de forma vini dicatur. Si ergo tunc non est corpus Domini, sed panis, pro certo panis adoratione latriæ adoratur, quod est inconveniens. Adhuc autem confecto sacramento corporis, aliquando sacerdos vel ex errore ministri qui ministrat aquam pro vino, vel ex oblivione propria obliviscitur, quod non conficit sacramentum sanguinis usque in finem Missæ, et tunc in hoc casu præcipiunt Doctores, ut repetat Canonem ab hoc loco ubi de sacramento sanguinis incipit agi, hoc est ibi : « Simili modo, postquam cœnatum est, etc. » Oportet ergo, quod toto illo tempore exspectaret forma corporis Domini, ne ageret, quod valde ridiculum est. Adhuc autem quidam ex errore vel oblivione totum omittunt sacramentum sanguinis. Illi ergo secundum ea quæ dicta sunt, etiam de sacramento corporis nihil conficerent, quod est absurdum. Adhuc autem quæ esset causa, quod forma pronuntiata super propriam materiam, statim non ageret ad perfectionem sacramenti ? Hanc enim etiam licentiam fingendi habentibus difficile esset fingere.

Propter hoc et hujusmodi rationes dicimus, quod nihi valent illæ antiquorum opiniones, et quod falsæ sunt, et valde propinquæ ad hæresim, quinimo statim facta pronuntiatione formæ super materiam panis, fit transsubstantiatio panis in corpus Dominicum, quando adhuc non est transsubstantiatum vinum in sanguinem Domini.

Ad hoc autem quod primo inducunt, dicendum quod unitas sacramenti non impedit, quin divisas panis et vinum transsubstantiationes habeant : quia hoc non facit divisionem seu unionem sacramenti, sed potius unitas signandi perfectionem nutrimenti in materiis duabus, quæ perfectio significationis in altero non valet inveniri, et unio ultimi effectus, qui est restauratio deperditi in vita spirituali, quia etiam nutrimentum corporale non perficitur ex uno, sed ex pluribus, quæ divisas habent præparationes et sumptiones, et tamen unicum perficiunt nutrimentum, etc. 6.

Ad secundam quam inducunt ratio-

nem, dicendum quod verum est, quod unus Christus integer et perfectus sub utraque est forma sacramentali, et quamvis unius rei unica sit actio, vel ad unum congregata, hoc verum est, quando unum et idem habetur uno modo et secundum eamdem et indivisam operationem. Hoc autem non est hic : quia ad aliud in nutrimento consecratur sanguis, et ad aliud corpus, quamvis illa postea conjuncta unam perficiant nutrimenti operationem, sicut diversa fercula vel diversi potus ordinati secundum naturam, quamvis diversas habeant præparationes et sumptiones, unam tamen habent nutriendi perfectionem : et ideo propter hoc quod dicunt, non oportet quod una forma exspectet aliam in agendo.

Ad tertiam dicendum, quod ille error qui istis videbatur, non sequitur : quia licet sub forma panis ex virtute sacramenti non sit nisi corpus, tamen hoc non est sine sanguine : quia ex perfectione corporis naturalis habet venas plenas sanguine, et ex organisatione habet perfectionem animæ, et ex gratia unionis habet perfectionem deitatis : sed sicut jam ante diximus, Ecclesia intendit habere sanguinem, non ex perfectione naturalis corporis, sed potius ex vi sacramentali ad nutrimenti spiritualis perfectionem. Et ideo non contingit inconveniens quod isti timebant, accidere. Numquam enim Christus secundum aliquid sui est in altari, et secundum aliquid sui semper est in altari, sicut jam sæpius dictum est.

Ad quartam autem rationem dicendum, quod transsubstantiationes supernaturales et divinæ non sibi respondent, nisi secundum summæ sapientiæ ordinem. Et ideo cum summa sapientia ad unius perfectionem nutrimenti ordinaverit duas transsubstantiationes divisim faciendas et sumendas, duæ divisæ sunt in sacramento transsubstantiationes. Nec est simile quod pro simili inducitur : quia in formando corpus, necesse fuit quod sanguis esset materia corporis : et ideo oportuit, quod simul cum corpore sumeretur ad opus incarnationis. In sacramento autem potus sumitur ad nutrimentum, ut vehat et subtiliet cibum, et venarum vias aperiat, et membris continuet et adhærere faciat : et ideo secundum consequentiæ rationem in sacramento sanguis conficitur et sumitur post sacramenti corporis confectionem.

Hæc ergo opinio stare non poterit, etc.

7. Quare utraque forma non eodem modo traditur?

Nunc dicere restat quare non eodem modo traditur sicut forma quæ dicitur super panem, ut sic plane diceretur : Hic est sanguis meus. Videtur enim, quod similis similium esse deberet traditio. Simile autem penitus in traditione sacramentali videtur esse de sacramento panis sive corporis, sive de sacramento vini sive sanguinis.

Adhuc autem, si diceretur quod calix apponitur, eo quod fusibile est vinum, et diffluere nisi in calice teneretur et similiter sanguis, hoc penitus nihil est : quia non dicitur : Hic est calix vini, quia vinum per formam statim transsubstantiatur in sanguinem : sanguis autem Christi semper intra venas est Christi, et effundi non potest : et ideo nulla est ista responsio.

Si autem dicatur, ut prius dictum est, quia calix ibi notat charitatis calorem, hic calor non plus notatur in effusione sanguinis, quam in passione corporis, præcipue cum dicat Dominus, Joan. xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Ad hæc autem et hujusmodi jam patere potest solutio per ante dicta : quia in veritate in sanguine patet calor charitatis, et non in corpore secundum quod est corpus : quia nulla existente passione Christus verbis potuit dare, quod virtute verborum panis in corpus Christi transsubstantiaretur, sed posita effusione sanguinis jam statim ponitur passio quæ in eo qui verus Deus est, non potest procedere nisi ex calore charitatis. Unde

etiam eadem charitate coarctatus dicit, Luc. XII, 50 : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur ?* Et intelligit de baptismo sanguinis.

Ad hoc autem quod dicit Christus, Joan. XV, 13 : *Majorem charitatem nemo habet*, etc. Dicendum, quod secundum legem sedes vitæ et animæ secundum conveniens nutrimentum est in sanguine : et ideo potius per hoc dictum intelligitur sacramentum sanguinis quam corporis.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

CAPUT IV.

De consequentibus ad utramque formam.

1. Consequenter tractanda sunt quædam consequentia ad utramque formam, sicut verbi gratia de tribus, scilicet quod dicitur : « Elevatis oculis suis in cœlum, etc. »

Similiter etiam de hoc quod post utriusque sacramenti confectionem dicit sacerdos : « Unde et memores, etc. » Et post pauca : « Offerimus præclaræ majestati tuæ, etc., » cum jam totum sit Patri oblatum et sanctificatum, cum tamen sacerdos dicat : « Panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. »

Tertium est de quo quæritur, cum hoc sacramentum non sumatur nisi in commemorationem passionis, quare fit mentio de resurrectione et ascensione, cum dicitur : « Et ab inferis resurrectionis, et in cœlum gloriosæ ascensionis. »

De primo autem istorum quæritur, quare apponitur : « Et elevatis oculis in cœlum, » cum hoc nullus posuerit Evangelistarum, nec Apostolus, I ad Corinth. XI, 23 et seq., ubi formam dedit celebrandi sacramentum, de hoc nullam penitus fecit mentionem, Videtur enim, quod in tanto sacramento nihil sit addendum nisi quod auctoritas divina promulgavit. Ad hoc Dionysius dicit in libro de *Divinis nominibus* [1], quod universaliter non est audendum nobis aliquid dicere præter hoc quod in sacris libris est promulgatum. Adhuc autem, videtur esse quædam diminutio potestatis Christi : Christus enim operatur potestate excellentiæ virtute deitatis propriæ : ministri autem operantur adminiculo clavis, quæ sunt invocatio, supplicatio, exorcismus, et hujusmodi. Elevatio autem oculorum in cœlum videtur esse invocantis vel supplicantis, qui non virtute propria operatur : et sic videtur in Christo dicere potestatis diminutionem.

Ulterius etiam quæritur de hoc, quod post confectionem utriusque sacramenti dicitur : « Unde et memores, Domine, etc. » Et infra : « Necnon ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis. » Cum enim sacramentum hoc, sicut ipse dicit Christus et testatur

[1] S. Dionysius, Lib. de Divinis nominibus, cap. 1.

Apostolus, sit in commemorationem Dominicæ passionis tantum institutum, videtur quod incongrue additur de memoria resurrectionis et ascensionis.

Adhuc, quare non additur eodem modo de memoria consessus ad dexteram Dei Patris, et de reditu ad judicium, cum hæc in symbolo sicut et alia contineantur?

Adhuc autem, quid est quod inferius dicitur : « Offerimus præclaræ majestati tuæ, » cum jam ante totum per elevationem et confectionem sacramenti sit oblatum ?

Adhuc autem, quid est quod dicitur : « Offerimus majestati tuæ, » potius quam bonitati ? Videtur enim bonitati magis congruum quam majestati, cum Christus in offerendo potius humilitatem et charitatem, quam majestatem exhibuerit.

Adhuc autem ulterius quæritur, quare dicitur : « De tuis donis ac datis? » quia de alieno illius cujus est offerre, potius est redditio quam oblatio, sicut et Apostolus, ad Roman. XIII, 7 : *Reddite ergo omnibus debita.* Et Dominus, Matth. XXII, 21 : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.*

Adhuc autem quæritur, quare additur : « Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, » cum jam sacrificium confectum est, quod purius esse non potest, nec sanctius, nec magis immaculatum ?

Quæritur etiam propter quid illa tria circa hostiam cum signis tribus crucis ponantur?

Adhuc ulterius quæritur, quia non videtur esse verum quod additur : « Panem sanctum vitæ æternæ, » cum jam non sit panis, sed corpus Christi. Eodem modo non videtur verum esse quod subjungit : « Et calicem salutis perpetuæ, » cum jam non sit calix, sed sanguis Jesu Christi.

2. Ad hæc autem omnia facile est respondere, si ea quæ in præmissis habita sunt, in memoria teneantur.

Ad primum enim quod dicitur contra hoc quod est : « Et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem. » Dicendum, quod ex simili addidit Ecclesia : quia, Joan. XI, 41, cum suscitaret Lazarum, dixit Evangelista Joannes : *Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi*, etc. Si enim pro vita unius iterum morituri gratias agens elevavit in cœlum oculos, multo magis creditur hoc fecisse in confectione universaliter vivifici sacramenti. Similiter cum instruxisset discipulos post cœnam, et oraturus esset pro eis ante passionem in ipsa nocte traditionis suæ, sicut dicit Evangelista Joannes, XVII, 1 : *Hæc locutus est Jesus, et sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.* Ex quo præsumitur, quod frequenter oculos ad cœlum levavit, et forte fecit hoc in omnibus agendis suis : et ideo non est præsumptum, sed de factis Domini et verbis Evangelistarum appositum, præcipue cum hoc Romana Ecclesia credatur traditum accepisse a sanctis Apostolis Petro et Paulo, quos binos sacramentorum traditores habuit, et quorum adhuc corpora mortua custodit : quæ etiam Romana Ecclesia numquam hæresi fœdata fuit, et nullo umquam schismate divisa, cum omnes aliæ Ecclesiæ patriarchales et multis hæresibus et hæresiarchis sint fœdatæ et schismatibus divisæ : et ideo, ut creditur, Romana Ecclesia ut ab Apostolis hoc accepit, ita sincerum custodivit.

3. Ad hoc autem quod per rationem in contrarium objicitur, dicendum quod non ostendit aliquam minorationem virtutis sive potestatis : quia Christus non elevavit in cœlum oculos, ut per invocationem mutuaret potestatem quam non haberet, sicut sancti viri faciunt per invocationes et supplicationes a Deo aliquid impetrare volentes. Sed quinque causæ a sanctis Patribus assignantur, quare frequenter oculos in cœlum ad Patrem elevavit.

Septem causæ quare Christus frequenter oculos ad Patrem elevavit.

Quarum prima est, ut concordiam indissolubilem inter se et Patrem ostenderet, cum Judæi frequenter dicerent, quia Patri contrarius esset, sicut in Psalmo XXIV, 15, signanter dicitur : *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos,* hoc est, de laqueo quem sibi Judæi calumniis suis tetenderunt.

Secunda causa est, quia Patri sicut auctori omnia sua attribuebat, qui est fons et principium totius deitatis. I ad Corinth. XV, 24 : *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri.* Joan. XVII, 10 : *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis.* Et hæc elevatio oculorum fuit in suscitatione Lazari et in confectione sacramenti : quia hoc est gratiarum actionis, quando sua retulit ad Patrem. Unde, Joan. XI, 41 et 42, dicitur : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis.*

Tertia causa est, ut ostenderet idem esse boni finem et terminum, quod est omnis boni initium et principium. Pater enim innascibilis est, ut dicit Hilarius, ad quem Filius qui illuminat, dirigit, et ad quem Spiritus sanctus reducit omne quod inspirat, sicut dicit Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia* [1]. Et talis est elevatio oculorum quam fecit, Joan. XVII, 1 : et ideo dicit ibi : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum,* scilicet per effluxum bonorum quæ per me ex te fluunt. Et sequitur : *Ut Filius tuus clarificet te,* per omnium quos illuminavit et Spiritu tuo sanctificavit in te reductionem. Et hoc est quod dicitur, Jacobi, I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Quod tractans Dionysius, dicit, quod omnis processio luminis a Patre cœlesti mota sive fluens in nos optime et largiter proveniens, nos replet : et sicut virtus quædam unifica, sive omnia nostra colligens ad unam, et uniens, reducit nos et convertit ad Patris simplicitatem, ut sit idem *Alpha et Omega, principium et finis,* sicut dicitur, Apocal. XXII, 13. Et hoc est quod dicitur, Eccle. I, 7 : *Ad locum unde oriuntur flumina revertuntur ut iterum fluant.*

Quarta causa est, ut nos instruat in omnibus fiduciam debere ponere in cœlestis Patris adjutorio : quia Christi actio nostra est instructio, sicut ipse dicit, Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Sic a Domino elevare oculos in cœlum Susanna didicit, Daniel. XIII, 35 : *Quæ flens suspexit ad cœlum : erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.*

Quinta causa est, quod in omnibus faciendis doceat nos illuminationem expetere a Domino Patre, qui est Pater luminum. Et sic Josaphat didicit ad cœlum levare oculos, II Paralip. XX, 12, qui dicit : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Quamvis enim Christus nihil ignoraverit sciendorum vel agendorum, tamen nostra in se transfigurans, docet nos quid in dubiis et ignoratis agere debeamus.

His causis a Doctoribus ante signatis duæ adhuc addi possunt : quarum una est, quia Christus formam servi pro nobis assumens exemplo suo respondit quam parati ad obsequia Patris cœlestis esse debemus. Unde, Psal. CXXII, 1 : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Et statim subjungit, ℣. 2 : *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ,* ut scilicet omni nutui manus pareant, et sint parati servire ad nutum : *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.*

Alia causa est, ut doceat in omnibus implorare auxilium divinum. Psal. CXX, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 1.

Christus ergo talibus de causis elevavit oculos, et non propter defectum divinæ potestatis : maxime tamen, ut dicit Chrysostomus, elevavit, ut ostenderet omnium actuum suorum et verborum Patrem esse consortem, operatorem et testem, sicut ipse dicit, Joan. v, 36 : *Ipsa opera quæ ego facio,* scilicet in nomine Patris mei, *testimonium perhibent de me.* Unde in persona Domini et in persona Judæorum dicitur, Job, xvi, 20 et 21 : *Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. Verbosi amici mei : ad Deum stillat oculus meus.* Amici autem dicuntur Judæi, qui carne conjuncti et fœdere sive pacto legis et promissionum, quamquam inimicitias cum ipso egerint.

Per hoc enim patet solutio ad primum quæsitum.

4. Ad aliud dicendum, quod fit mentio de resurrectione : quia Eucharistiæ sacramentum habet conferre immortalitatis radicem, sicut ipse dicit Christus, Joan. vi, 55 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

De ascensione autem fit mentio propter hoc quod Eucharistia est sacramentum quod ducit ad patriam, et est signum edulii quod præstatur in cœlo : et quia ducit ad patriam, ideo dicitur *viaticum,* quia per desertum nos euntes in patriam ducit. Unde, Exod. xvi, 35 : *Filii autem Israël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem.* Hoc cibo aliti sunt usque dum tangerent fines terræ Chanaan, quæ signabat patriam promissam.

Ad hoc autem quod objicitur, quod sacramentum celebratur in commemorationem passionis, dicendum est, quod hoc est verum quantum ad oblationem quæ fit in sacramento, quæ signat oblationem qua se Christus obtulit in cruce : sed quantum ad virtutes Eucharistiæ et effectus, multorum aliorum commemoratio fit in sacramento : et hoc sancta mater Ecclesia intendit instruere fideles filios gratiæ divinæ.

Ad hoc autem quod quæritur, quare non fit mentio de consessu ad dexteram Patris? Dicendum, quod consessus in dextera Dei Patris est terminus ascensionis : ideo quoad beatitudinem nihil novorum sacrorum ostendit, quamvis quantum ad articulos fidei alius sit articulus de ascensione, et alius de consessu in dextera Patris : quia Ariani hæretici dixerunt Christum ut creaturam sanctificatam in cœlum ascendisse, sed ut Deum in æqualitate Patris non sedisse. De reditu autem ad judicium non fit mentio : quia ille Christi reditus fit in terrore et trepidatione : id autem sacramentum est donum charitatis et pacis.

Ad illud autem quod quæritur, quare dicitur : « Offerimus », cum jam sit ante oblatum? Dicendum, quod jam oblatum est in se sacrificium : sed illa facta oblatione continue offertur, prout sibi fideles incorporantur : et pro illis dicimus : « Offerimus » in præsenti : quia illa non cessat oblatio. Isa. lx, 7 : *Offerentur mihi super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo.* Domus autem illa non incongrue formæ sacramentales intelliguntur, quibus inhabitat nobiscum Deus, qui *Emmanuel* vocatur [1], quod est *Nobiscum Deus.*

Ad id autem quod objicitur de majestate, dicendum quod in veritate sacramentum in humilitate et charitate est institutum : tamen quia per incorporationem membrorum gloriæ divinæ est dilatativum quod hic oratur, ideo dicitur, quod majestati præclaræ offertur : quia sic majestas præclara Dei in corpore mystico declaratur.

Ad hoc autem quod ulterius quæritur : « De tuis donis ac datis. » Dicendum, quod ideo dicitur, quod sacerdos fideles

[1] Isa. vii, 14.

incorporatos Christo offerre non potest, nisi per dona Dei Christo incorporentur. Unde, Joan. x, 29 : *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est.* Et dicitur de *donis* propter gratuita : *data* autem propter naturalia quæ dantur creatione, et multo magis cum per gratiam reparantur, quæ per peccatum quasi perdita in corruptione fuerunt. Joan. vi, 37 : *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet : et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et hoc dixit Christus loquens de hoc sacramento, et de incorporandis sibi per sacramentum. Hic autem modus orationis præfiguratus est, I Paralip. xxix, 14, ubi sic dicit David : *Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Hæc enim oblatio Dei est ut auctoris, et sacerdotis est sicut ex liberalitate ministrantis, et fidelium est sicut oblatorum in sacrificio. Et ideo quamvis Deo nihil offeratur nisi quod suum est, et quod est ab ipso : quia aliter non esset acceptum, tamen quando libera voluntate hoc facimus, damus : quia voluntas libera est, quamvis oblatum sit redditum. Unde, I Paralip. xxix, 16 et seq., dixit David : *Domine Deus noster, omnis hæc copia quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas : unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc : et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine, Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in venerationem tui mens ista permaneat.*

Ad hoc autem quod quæritur, quare dicitur : « Hostiam puram, etc. » Dicendum, quod hoc non ponitur propter corpus Christi verum, sed propter corpus mysticum, quod incorporatum vero corpori petitur offerri. Hoc autem habet peccati originalis impuritatem, et peccati actualis immunditiam, et peccati venialis maculosam contagionem : et contra hæc tria corpus mysticum petitur per corpus Christi verum purificari, sanctificari, et immaculatum fieri : et ideo hostia *pura* dicitur purificans, hostia *sancta* dicitur sanctificans, et hostia *immaculata* dicitur ad innocentiam restituens.

Crux autem super hostiam fit in quolibet istorum, ut ostendatur quod per virtutem crucis, puritas et sanctitas et immaculatio a Christo ad corpus mysticum derivetur.

Quod autem quæritur, quare dicatur : « Panem sanctum? » Dicendum, quod non intendit de pane in vera substantia panis, sed de pane in vero actu et effectu panis, sicut dicitur, Joan. vi, 32 et 33 : *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* Ex quo enim verus actus et effectus panis est nutrire ad confortationem cordis, verissimus iste panis est, qui maxime hæc facit.

Eodem autem modo intelligendum est illud quod de calice quærebatur : et ut designetur talis nutrimenti vis et talis potus veri per crucem in Ecclesiam procedere, ideo fiunt signa crucis sigillatim super hostiam panis, et sigillatim super calicem in utraque pronuntiatione. Et attende ordinem, quia signatur primo a toto Christo Ecclesia purificanda ab impuritate maledictæ originis, et sanctificanda ab immunditia actionis, et immaculata futura a contagione veniali, et tunc demum nutrienda pane vitæ et potanda Christi sanguine. Et hoc est quod dicitur, Exod. xii, 43 et seq., quod *omnis alienigena non comedet ex eo*, scilicet de phase. *Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. Advena et mercenarius non edent ex eo.* Alienigena enim est, qui se per peccatum alienum fecit, qu nec purificatus est, nec sanctificatus, nec immaculatus effectus. Is autem qui jam servus diaboli fuit emptitius, qui nummo deceptionis emptus est a serpente, hic circumcisione spirituali circumcisus a

peccato comedet. Advena autem qui religionis Christianæ virtutem non assumit, etsi solo numero inter fideles habitat, et mercenarius qui spe terrenorum omnia facit, non comedet. Et hoc est quod dicitur, I ad Corinth. XI, 28 et 29 : *Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat : qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit*, etc.

TRACTATUS III.

QUID IN HOC SACRAMENTO SIT SACRAMENTUM OMNIUM? ET, QUID SIT RES ET SACRAMENTUM? ET, QUID RES ET NON SACRAMENTUM?

CAPUT UNICUM.

Nunc autem dicere restat quid in sacramento sit sacramentum tantum, quid sit res et sacramentum, et quid res tantum et non sacramentum. Hæc enim tria in omni sacramento novæ legis inveniuntur.

Dicitur autem communiter, quod illud quod est sacramentum tantum in hoc sacramento, est species sacramentalis quæ consistit in panis et vini accidentibus. Id autem quod est res et sacramentum, est corpus Christi sub speciebus panis et vini contentum. Id autem quod est res tantum, est gratia nutrimenti spiritualis, quæ per se et principaliter efficitur in hoc sacramento.

Sunt quidam dubitationem facientes contra primum : quia dicit Magister Hugo de sancto Victore, quod omne sacramentum est visibile et corporale elementum, ex similitudine repræsentans, et ex institutione significans, et ex sanctificatione invisibilem gratiam conferens. Species autem quæ sunt formæ accidentium panis et vini, non sunt corporale elementum : quia non sunt corpora : et sic videtur, quod male dicatur, quod species sacramentales sint sacramentum.

Adhuc Beda dicit : « Accedat verbum ad elementum, et fit sacramentum. » Ergo est sacramentum ad quod accedit verbum : *verbum* autem vocatur verborum forma quæ est forma sacramenti : hoc autem verbum in hoc sacramento non accedit nisi ad panis substantiam et non ad accidentia, quia panem transsubstantiat et non accidentia : ergo substantia panis et vini sunt sacramenta, et non accidentia.

Si autem hoc concedatur, in contrarium est, quod illud quod est sacramentum tantum, in omni sacramento manet : substantia autem panis et vini in hoc sacramento non manent.

Ulterius autem quæritur de hoc quod est sacramentum et res. Hoc enim corpus Christi verum esse dicitur : et hoc non

videtur esse verum : quia dicit Augustinus, quod sacramentum est visibilis forma speciem ingerens sensibus. Corpus autem Christi verum non videtur in sacramonto : et ideo non videtur esse sacramentum et res, sed res tantum.

Adhuc autem, cum omne sacramentum consistat ex materia et forma, si Christus vel Christi corpus est sacramentum, oportet quod habeat formam. Hæc autem forma non est illa quæ dicta est super panem : quia illa ut forma jam functa est officio suo transsubstantiando panem in corpus Christi, et in corpore Christi nihil facit ulterius : ergo oportet illud sacramentum quod est corpus Christi verum, ulterius habeat aliam formam per quam fiat sacramentum.

Adhuc autem, cum corpus Christi mysticum etiam significetur in sacramento, quod tamen non est ultima substantialis res hujus sacramenti, videtur quod corpus mysticum etiam sit res et sacramentum. Et sic in hoc sacramento duo sunt, quæ sunt res et sacramentum.

Ulterius autem etiam quæritur de eo quod est res tantum, quæ dicitur esse gratia spiritualiter nutriens ad corpus Christi incorporandum : Christo enim non incorporamur per unam gratiam, sed per multas : quia per omnes gratias gratum facientes, sicut dicit Apostolus, ad Ephes. IV, 11 et 12 : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Incorporatio igitur talis non videtur esse spiritualiter res istius sacramenti.

2. Ad hæc et similia non est difficile respondere ei qui apud se bene habet scientiam sacramentalem. Dici enim debet, quod sicut in omni sacramento, ita et in isto est quoddam sacramentum tantum, sicut formæ sacramentales : et quoddam res et sacramentum, sicut corpus Christi verum : quoddam res tantum, sicut gratia nutriens spiritualiter ad incorporationem Christo faciendam. Formæ enim sacramentales signant tantum et nihil causant. Corpus autem Christi verum signat et causat, signatur et causatur. Gratia autem nutriens spiritualiter signatur et causatur, et nihil ulterius signat, sed causat in mystico corpore incorporationem quæ fit fidelium ad Christum. Et hac de causa ista tria sunt in sacramento, ita scilicet quod primum est signans et non signatum. Tertium autem est signatum et non signans. Medium autem est signans et signatum. Quidquid autem ex institutione divina signat gratiam, *sacramenti* nomen habet et rationem : quia sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, cujus similitudinem gerat et causa existat, sicut dicit Augustinus.

Ad id ergo quod de primo objicitur, dicitur quod elementum non dicitur nisi ad similitudinem definitionis elementi corporis : quia elementum est, quod est in compositione primum, et sic id quod componit sacramentum, dicitur *elementum sacramenti*, dummodo componat id naturaliter, sicut corpora hujus mundi materialiter componuntur ex quatuor elementis, et sic dicuntur formæ sacramentales elementum : quia materialiter componunt perfectionem sacramenti, secundum quod est signans et continens : quia sic integratur ex signante gratiam, et corpore Christi vero, et gratia significata et causata.

Ad hoc quod objicitur, quod species non sint corpora, respondendum est, quod non oportet ipsa esse corpora, sed corporalia : quia etiam aqua in sacramento baptismi non est proprie sacramentum, sed potius tinctio facta in aqua, quæ, inquam, tinctio non est corpus, sed etiam corporalis quædam forma ad modum habitus aptata baptizato.

Ad id quod ex verbo Bedæ objicitur, dicendum quod *elementum* dicitur duobus modis : quia et ipsa materia unde sumitur sacramentum, vocatur *elementum*, sicut aqua in baptismo, et ipsa forma

corporalis a qua trahitur similitudo ad gratiam signandam, etiam dicitur *elementum* : et ad utrumque accedit verbum : quia sine verbo nec bene signaret, nec penitus aliquid efficeret : et ideo verbum dictum super panem facit, quod formæ sacramentales signant refectionem cibi spiritualis. Quod non facerent, si verba formæ sacramenti ad illas formas non accederent, quin potius refectionem cibi carnalis signarent : et sic verum est quod dicit Beda generaliter in omni sacramento.

Ad id autem quod ulterius quæritur de hoc quod est res et sacramentum, dicendum quod *sensibile* dicitur duobus modis, scilicet id quod sentitur per se, et id quod sensitur signi (in quo continetur veritas ejus) significatione : quia igitur corpus Christi in quantum est cibus, significatione accidentium cibi et potus sentitur, ideo dicitur sensibile per illud, et non per se, quamvis in potestate habeat sentiri quando vult, et sicut vult, sicut ad preces beati Gregorii sentiebatur in forma digiti. Hoc autem aliquando facit ad fidem plebis de sacramento firmandam.

Ad aliud dicendum, quod sacramentum non habet formam in partibus, sed in toto. Unde totum sacramentum habet unam suæ transsubstantiationis formam. Quando autem dicitur, quod tria sunt in sacramento, scilicet sacramentum tantum, et res tantum, et sacramentum et res, simul accipiuntur ea quæ in toto sacramento sunt ut partes, et non oportet ut illa particulares habeant formas vel materias sacramentales, quamvis sine forma reali. Et sic corpus Christi suam habet formam naturalem, et aliæ partes sacramenti similiter, sicut et homo totus habet unam formam quæ partibus divisis non convenit, quæ est humanitas : partes autem habent suas formas particulares.

Ad aliud dicendum, quod corpus Christi mysticum quod est Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, est signatum in hoc sacramento et non contentum : et ideo non numeratur in partibus sacramenti : quia partes essentiales sacramenti in sacramento sunt contentæ, et sine illis non est integrum et perfectum sacramentum. Quamvis enim quidam sacramentali manducatione non participant gratiam spiritualis refectionis, quæ est res tantum in hoc sacramento, tamen quantum est de se, confert eam sacramentum, sed tunc remanet in Christo et in Christi corpore, quod est in hoc sacramento res et sacramentum : sicut et in baptismo fictus non percipit gratiam, sed characterem, in quo remanet potentia ad gratiam, quando fictio ab eo qui fictus erat, recedit per pœnitentiam.

Ad id quod ulterius quæritur de eo quod est res tantum in hoc sacramento. Dicendum, quod licet per omnes virtutes et omnia bona homo disponitur ad hoc quod Christo incorporetur, tamen per unam gratiam hujus sacramenti secundum substantialem ipsius operationem fit ipsa incorporatio : quia sicut per omnem qualitatem digestivam et subtiliativam et depurativam nutrimentum disponitur, ut facilius corpori naturali incorporetur, quo fuerit ipsi corpori similius, et tamen virtus ultimæ incorporationis est in membris corporis sibi et membris inducens et uniens et ita incorporans nutrimentum, ita per omnia bona assimilatur fidelis anima et homo totus, ut facilius Christo incorporetur : et tamen in corpore Dominico in cibum sumpto remanet specialis virtus et gratia, qua homo in Christi corpus inducitur et unitur et incorporatur, et hæc gratia est res tantum in sacramento signata et contenta et causata : signata per formas cibi et potus, et contenta et significata etiam est res et sacramentum, quæ est corpus Christi, et contenta sub signis illis : corpus autem Christi signatum est et contentum a formis sacramentalibus, est etiam significans, causans et continens gratiam incorporationis quæ est ultimum in sacramento secundum Catholicam fidem.

Juxta hæc autem habent explicari quædam dubia ex præmissis exorta. Ex quo 3. Dubia ex

præmissis orta.

enim tria, ut dictum est, sunt in hoc sacramento, materia panis et vini, et corpus Christi, et gratia signata, et substantia panis et vini substantialiter transsubstantiatur in corpus Christi et sanguinem, videtur aliquid esse corpus Christi post consecrationem, quod ante non fuit corpus Christi : et acte consecrationem videtur quod aliquid erit corpus Christi, quod ante non erat corpus Christi : et in ipsa consecratione videtur quod aliquid fit corpus Christi, quod prius non erat corpus Christi. Similis autem objectio est de vino et sanguine. Hæc autem omnia hæretica sunt et absurda : quia si aliquid est corpus Christi, quod ante non erat corpus Christi, pro certo sequitur, quod corpus Christi novum fit et de novo. Hoc idem etiam sequitur ex his locutionibus inductis.

Ulterius autem quæritur, ex quo istius transsubstantiationis causa est forma sacramentalis, utrum si forma forte mutetur in alia verba, vel addatur ei aliquid vel minuatur aliquid ab ea, utrum tunc operetur eamdem transsubstantiationem? Posset enim mutari sic ut diceretur : Hæc est caro mea. Posset addi sic : Hæc est compages corporis mei. Posset enim minui sic : Hoc est corpus, vel hoc est meum.

Ad hæc et similia dicendum videtur, quod in veritate omnes illæ locutiones quæ inductæ sunt, falsæ sunt et hæreticæ : quia ex quo Christus accepit corpus de Virgine, et perfecta quantitate corporis pependit in cruce, et ascendit in cœlum, nihil umquam factum est corpus Domini, quod non erat prius corpus Domini. Panis igitur transsubstantiatur in corpus Christi, quod prius erat sine omni additione : et ideo nihil erit corpus Domini, et nihil fit corpus Domini, quod non erat prius corpus Domini. Et quia de hoc satis in ante habitis dictum est, ideo hic sufficiat, quod substantia panis et vini sine mutatione vel additione vel innovatione corporis Domini transsubstantiatur in corpus quod prius erat, et panis per istam transsubstantiationem desinit esse panis, cum prius esset panis, non tamen simpliciter transit in non esse vel in nihil, quia in corpus Domini transsubstantiatur. Et hoc idem tenendum est de vino ad sanguinem. Mutatio enim supernaturalis, quæ vocatur *transsubstantiatio*, tota est in subtantia panis et vini, et secundum nullum modum alterationis vel augmenti vel generatis attingit corpus Domini.

Ad id autem quod ulterius quæritur de forma faciente hanc transsubstantiationem, dicendum quod in nullo debet mutari : quia si mutetur in alia verba, pro certo non conficitur, etiamsi illa verba eumdem sensum habere videantur. Similiter dicendum de diminutione : quia si ita dicatur : Hoc est meum, remanet indeterminatum quid meum sit. Et si dicatur : Hoc est corpus, non signatur proprium Christi corpus. De additione autem dicendum videtur, quod si addatur, quod significationem non mutet vel errorem inducat, quod tunc nihilominus fit confectio, ut si dicatur : Hoc est corpus meum dilectum, vel sanctum, vel aliquid hujusmodi : tamen hoc non est faciendum, et qui facit, est increpandus : quia ita dicitur, Job, XXIX, 22 : *Verbis meis nihil addere audebant, sed stillabat super eos eloquium meum.* Et hoc maxime de formis sacramentorum est intelligendum.

Advertere igitur poteris in hoc sacramento mirabilem et divinam convenientiam : quia sicut in trinitate divinarum personarum sunt tres personæ in una essentia, sic in persona Christi tres substantiæ sive naturæ sive essentiæ sunt in una persona, et tres substantiæ in uno sacramento, scilicet panis, vinum, et aqua. Et sicut sunt personæ omnes æternæ et incommutabiles, ita substantiæ in Christo sunt : æterna quidem deitas, antiqua caro de primo statu assumpta, et nova anima de novo creata. Tres autem substantiæ sacramenti sunt omnes de

antiquo significatæ, panis in corpore, et sanguis et aqua quæ fluxerunt de Christi latere : et sic Christus est ubique in loco secundum deitatem : localiter autem in loco contentus in cœlo. Ita secundum continentiam cibi non localiter, sed tamen vere secundum corporis et animæ et deitatis præsentiam est simul in multis locis in sacramento, sicut de sacramento Clatholice determinatur.

TRACTATUS IV.

IN QUO AGITUR DE RITU HUJUS SACRAMENTI.

CAPUT I.

De ritu hujus sacramenti ex parte Christi.

1. Tandem de ritu sacramenti dicendum esse videtur : de quo tria sunt notanda, scilicet de ritu ex parte Christi, de ritu ex parte ministri, et de ritu ex parte sumentis.

De ritu ex parte Christi tria quæremus : in quo sicut in materia Christus hoc sacramentum primo tradiderit, utrum scilicet vel in azymo, vel fermentato corpus suum tradiderit, et qua forma in conficiendo usus sit, et quando, et quibus dederit.

Utrum Christus in azymo corpus suum tradiderit?

Utrum autem Christus in azymo vel fermentato corpus suum tradiderit, magna est diversitas inter Doctores Græcos et Latinos. Græci enim qui sacramenta a Joanne Evangelista dicuntur accepisse, dicunt quod consecrandum est in fermentato : quia in fermentato Christus corpus suum, ut dicunt, tradidit. Hoc autem probant auctoritatibus et rationibus.

Auctoritates præcipue inducunt quatuor ex quibus arguunt probationem suæ assertionis.

Prima est, Joan. xviii, 28, ubi dicitur : *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Sed cum comedebatur pascha, ut dicunt, erat luna decima quarta, sicut dicitur, Exod. xii, 18 : *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma*, quia Pascha Domini est. Et idem dicitur, Levit. xxiii, 5 et 6 : *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est : et quintadecima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est.* Decimaquarta ergo erat luna in Parasceve, et ante Parasceven præcedenti nocte Dominus cœnavit cum discipulis, et corpus suum dedit eis. Ergo dedit corpus suum luna existente tredecima : tunc autem non erat nisi fermentatum in domibus Judæorum : ergo ipse dedit in fermentato : quia alium panem in domibus Judæorum non invenit nisi fermentatum. Quod autem in domibus Judæorum non fuerit nisi fermentatum, probant ex hoc quod dicitur, Levit. xxiii, 6 : *Septem*

diebus azyma comedetis [1]. Et, Exod. XII, 18 : *Quartadecima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma.* Ante hoc igitur azyma in domibus non habuerunt : et sic sequitur, quod tredecima luna fermentatum comedebant : et sic tunc, ut probant, Dominus dedit corpus suum, dicunt, quod oportuit ut daret in fermentato.

Secunda autem auctoritas est Joannis, XIII, 1, ubi dicitur : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Et post pauca, ℣. 4 : *Surgit a cœna, et ponit vestimenta sua.* Ergo cœnam fecit ante diem festum Paschæ. Cum autem festum duraret septem diebus, et primus dies esset celeberrimus, et ultimus æquali solemnitate venerabilis, et medii quinque non adeo solemnes, sicut dicitur, Levit. XXIII, 7 et seq., si cœnavit ante diem festum Paschæ, tunc oportuit quod cœnaret ante primum diem Paschæ. Sicut autem dicitur, Levit. XXIII, 5 : *Quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est* [2]. Ergo decimaquarta die mensis lunaris fuit prima dies Paschæ. Et ante illam diem cœnavit ut dicitur, Joan. XIII, 5, in prædicta auctoritate : ergo cœnavit cum discipulis luna existente tredecima die mensis lunaris : tunc autem non erat nisi fermentatum in domibus Judæorum : et Christus non confecit nisi de pane quem in domibus Judæorum invenit : ergo confecit in fermentato.

Tertia auctoritas est, Luc. XXIII, 55 et 56, ubi sic dicitur : *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus. Et revertentes paraverunt aromata et unguenta.* Ex quo accipitur, quod in Parasceve paraverunt aromata. Hoc autem non licuisset si in Parasceve luna decima quinta fuisset : quia, Levit. XXIII, 6 et 7, dicitur : *Quintadecima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est :... omne opus servile non facietis in eo.* Et ideo illa die non parassent, si luna quintadecima fuisset.

Et si dicatur, quod mulieres illæ non erant sub littera, sed sub spiritu : et ideo legis mandatum non curaverunt, hoc non potest stare : quia etiam illæ mulieres si voluissent unguenta præparare in tanto festo, nemo eis tunc aromata vendidisset, et pro certo a populo lapidatæ fuissent. Adhuc autem, quia ritus cucurrit Veteris Testamenti, donec mater synagoga cum honore deferreretur ad tumulum.

Patet igitur, quod in Parasceve, ut dicunt, non fuit luna decima quinta : fuit igitur decima quarta : ante autem præcedenti die Christus dedit corpus suum discipulis : ergo dedit quando luna fuit tredecima. Tredecima autem luna non erat azyma in domibus Judæorum, sed fermentatum tantum : et Christus dedit corpus suum in pane quem in domibus Judæorum invenit : ergo, ut videtur, dedit in fermentato.

Quarta auctoritas est Joannis, XIX, 31, ubi dicitur : *Erat enim magnus dies ille sabbati.* Et, ibidem : *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sabbati, rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur.* Magnus autem dies sabbati secundum consuetudinem Scripturæ non dicitur, nisi cum sabbato concurrat solemnitas alia. Ergo cum sabbato tunc concurrit solemnitas Paschæ : solemnitas autem Paschæ fuit luna decima quinta : ergo in sabbato præcedenti luna fuit decima quinta : ergo Parasceve fuit luna decima quarta. Et ante Parasceven Christus cœnavit cum discipulis, et corpus suum dedit eis : ergo cœnavit cum discipulis et corpus suum tradidit illis luna existente tredecima : tunc autem non erat nisi fermentatum in domibus

[1] Cf. Exod. XII, 15.

[2] Ibid., ℣. 18.

Judæorum : et non dedit corpus suum nisi in pane quem invenit in domibus Judæorum : ergo dedit in fermentato.

Hæc sunt fortiora quæ Græci pro se possunt inducere.

3. Inducunt etiam rationes quibus persuadere nituntur quia dicunt, et illæ sunt quinque, quas potissime inducunt.

Quarum prima est, quia dicunt, quod veritas debet umbræ quantum possibile est respondere : umbra autem et figura immolationis Christi in cruce fuit agnus, cujus sanguis linitus in postibus liberavit ab Angelo exterminatore : ille autem immolabatur luna decima quarta, ad vesperam, ut dicitur, Exod, XII, 18 : ergo eodem die Christus veritas immolabatur in cruce : ergo luna decima quarta ad vesperam, Christus pependit in cruce : propter quod etiam in vespera depositus est de cruce, sicut dicitur, Joan. XIX, 38. Antequam autem immolatus esset in cruce, pridie dedit corpus suum discipulis suis, sicut dicitur in Canone Missæ : « Qui pridie quam pateretur, accepit pa-« nem in sanctas ac venerabiles manus « suas, et elevatis oculis in cœlum ad te « Deum Patrem suum omnipotentem, « tibi gratias agens, benedixit, fregit, « deditque discipulis suis. » Ergo cœnavit cum discipulis luna existente tredecima : tunc autem non fuit nisi fermentatum in domibus Judæorum : ergo confecit in fermentato.

Secunda ratio est, quia dicunt, quod præceptum est, Levit. XXVI, 10 : *Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis.* Hoc autem, ut Apostolus probat, ad Hebr. VII, VIII et IX, maxime dicitur de ritu sacerdotii et sacramenti. Sicut ergo ritus veteris sacerdotii cessavit in sacerdotio Christi, ita ritus veteris sacramenti cessare debuit in sacramento Christi : ritus autem veteris sacramenti fuit cum agnus typicus comedebatur cum azymis : ergo ritus novi sacramenti non debet esse cum azymis : ergo oportet, quod sit cum panibus fermentatis.

Tertia ratio sumpta est ex hoc quod dicunt, quod mulier Evangelica [1] figuram hujus sacramenti præfiguravit, quæ mulier, ut dicunt, figura est Ecclesiæ. Hæc est autem de qua dicit Dominus, quod *simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*. Si ergo hoc mulier Evangelica præfiguravit, videtur quod in fermentato debet sumi : et ideo non in azymo, ut dicunt. Mulier enim Evangelica nullo modo sata tria, hoc est, corporis et sanguinis et animæ Christi abscondisset fermento commixta, nisi signare vellet, quod in fermentato conficeretur, et non in azymo : ergo in fermentato, ut dicunt, est conficiendum.

Quarta ratio est, quia dicunt, quod fermentum signat spiritum : quia sicut fermentum spiritualiter diffusum ingreditur in pastam, et levat eam, et quasi animat eam : ita spiritus elevat et animat cor hominis ad divina intelligenda, et vivificat ad vitam virtutis. Cum ergo sacramentum istud sit sacramentum spiritus, potius est sumendum in fermentato quam in azymo. Quod autem fermentum inspiret et quasi vivificet pastæ conspersionem, patet per hoc quod dicit Philosophus, qui in libro XVI de *Animalibus* dicit, quod fermentum ingreditur in pastam sicut spiritus in corpus : et ideo dicit, quod semen masculi habet naturam fermenti, quod sic ingreditur in guttam fœminæ sicut spiritus in corpus. Et hoc est quod dicunt in quarta ratione.

Quinta autem ratio est quam adducunt : quia dicunt, quod panis conveniens est ad perfectionem nutrimenti, est panis fermentatus, et non azymus panis. Cum igitur perfectio nutrimenti significetur in pane Eucharistiæ, potius consecrandus est in pane fermentato, quam in pane azymo.

[1] Cf. Matth. XIII, 33.

Hæc igitur sunt potissima, quæ ego ipse legi in Græcorum assertionibus.

3. E CONTRA autem objiciunt Latini. Inducunt autem et ipsi auctoritates et rationes.

Auctoritates inducunt quatuor valde cogentes. Quarum una est, Marc. XIV, 12, ubi dicit : *Et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei*, scilicet Domino, *discipuli : Quo vis eamus et paremus tibi ut manduces pascha* ? Hoc autem dicebant ipso die quando in vespera Christus in cœna corpus suum dedit discipulis suis. Ergo corpus suum dedit discipulis primo die azymorum. Hæc autem dies fuit quando luna fuit quartadecima : ergo decima quarta luna dedit corpus suum discipulis : sed tunc non inveniebatur fermentatum in domibus Judæorum : ergo non dedit corpus suum in fermentato, sed in azymo.

Secunda autem auctoritas est, Luc. XXII, 7, ubi dicitur : *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Pascha autem non erat necesse occidi nisi luna decima quarta : et ipsa die dixit discipulis, ut pararent sibi Pascha : et in cœna dedit discipulis corpus suum : ergo dedit illud discipulis suis luna quartadecima : et tunc non inveniebatur fermentatum in domibus Judæorum : ergo non dedit in fermentato, sed in azymo. Et hæc sunt fortissima quæ Latini pro se habent : quia illa expresse continent, quod luna decima quarta Dominus cœnavit cum discipulis suis, et dedit corpus suum.

Adhuc autem, inducunt quod dicitur, Exod. XII, 18 : *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma.* Ergo in vespera, die decima quarta, comedebantur azyma : et tunc non inveniebatur fermentatum in domibus Judæorum.

Adhuc autem dicitur, Matth. XXVI, 17, sic : *Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ?* Ergo primo die azymorum cœnavit cum discipulis : in primo autem die azymorum fermentatum non inveniebatur in domibus Judæorum : ergo in primo die azymorum cœnans non potuit dare corpus suum in fermentato, sed in azymo.

Rationes autem multas valde cogentes inducunt Latini : quarum prima cui innituntur, fundatur super Apostoli auctoritatem, I ad Corinth. V, 7 et 8, ubi Apostolus mysterium scribit qualiter veritas continetur in figura, dicens : *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Ex qua auctoritate accipitur, quod figura fermenti excluditur a veritate : figura autem secundum mysterium et similitudinem in veritate debet salvari : cum igitur hic excludatur fermentum ut contrarium figuræ et veritati, fermentum nec figura fuit nec in veritate : ergo Christus non confecit in fermentato, sed in azymo.

Adhuc autem, per auctoritatem aliam objiciunt, qua dicitur, Levit. II, 11 : *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet : nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.* Constat autem, quod omnia antiqua figura fuerunt novorum : et quod non habet figuram ad novum, id non debet salvari in novo sacrificio : patet autem, quod fermentum quod signat corruptionem, et mel quod dulce est, removetur a sacrificio Domini, quod sine corruptione exstitit, et in amaritudine passionis est immolatum : ergo non competit alterutrum istorum : ergo non obtulit corpus suum in fermentato, sicut nec passus est in mellis dulcedine, sed in amaritudine absynthii et fellis. Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, et absynthii et fellis.*

Adhuc autem, quod in figura ab omnibus electis expurgandum est, id in sacrificio pro omnibus offerri non debet : fermentum autem in omnibus electis in fi-

gura expurgandum est, sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. v, 7 et 8 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non* scilicet *in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

Adhuc autem quæramus a Græcis, quid Dominum induxerit ad hoc quod ipse tempus prævenit, et sicut dicunt, luna quartadecima Pascha celebravit, cum Pascha secundum legem non nisi decima quarta luna sit celebrandum, vel in mense Aprili, vel in sequenti mense? Si autem in mense Aprili celebrari non potuit, et dicunt, quod necessitas captivitatis instantis quæ in nocte eadem erat futura. SED CONTRA hoc objicitur : quia tunc legem venit solvere et non implere, ex quo tunc tempus legis non observavit.

Adhuc autem, secundum hoc malum exemplum Judæis dedit, et cum Judæi tam diligenter accusationes contra ipsum confinxerunt, si verum esset quod dicunt Græci, Judæi pro certo accusationem istam de legis translatione contra Christum in judicio proposuissent.

Adhuc autem, si concedatur quod tempus prævenit, quæramus, quæ causa sit, quod ritum dimisit, et non in azymis, sed in fermentato dedit? Et non poterunt aliquam rationabilem causam assignare.

Adhuc autem, cum, Exod. XII, 19, dicatur, quod *qui comederit fermentatum*, scilicet in Pascha, *peribit anima ejus de cœtu Israël*, si Dominus in Pascha fermentatum comedit, et discipulis dedit, quare non fuit de hoc accusatus in judicio, quia tunc secundum legem mori statim fuisset condemnatus : nihil autem horum umquam objectum fuit : et ideo constat nihil esse quod Græci dicunt.

Adhuc autem, beatus Dionysius in epistola ad Apollophanem de ætate lunæ scribit in Parasceve, quando Dominus in cruce pependit, et eclipsis apparuit, sic dicens : « Cum luna deesset, et non esset coitus tempus. » Ergo in Parasceve luna defuit : non autem luna defuit propter novitatem lunæ : quia statim dicit : « Et non esset tempus coitus, » hoc est, conjunctionis cum sole sicut est in novilunio, sed luna defuit, quia ceciderat ab angulo plenilunii. Secundum computum autem lunarium mensium qui est computus Judæorum, et de quo Scriptura loquitur, non est defectio lunæ a plenilunio, nisi quando est decima quinta. Ergo in Parasceve luna fuit decima quinta. Si autem in die cœnæ fuit quartadecima, quando cœnavit cum discipulis, et tunc nullus utebatur fermentato : ergo Christus in cœna non habuit fermentatum, sed azymum. Et hæc ratio firma est contra Græcos : quia sumitur ex dicto illustrissimi Doctorum eorum, qui ista oculis se testatur vidisse, et per canones astronomicæ scientiæ examinasse.

Juxta hoc etiam quæritur, ex quo constat, quod Christus dedit corpus suum in azymo, utrum possit confici in fermentato ? Videtur, quod non : quia sacramentum non fit nisi in sua propria materia, sicut baptismus in aqua, et confirmatio in chrismate, et sic de aliis. Jam autem ostensum est, quod fermentatum non est propria materia sacramenti.

Responsio ad inducta, est quod pro certo Christus dedit corpus suum in azymo, et propria materia sacramenti est azymum, sicut ostensum est in auctoritatibus et rationibus, quæ pro Latinis sunt inductæ. 4.

Hoc nomen Paschæ septem modis sumitur.

Ad auctoritates autem quas Græci inducunt, respondendum est per distinctionem æquivocationis hujus nominis, *Pascha*. Hoc enim dicitur septem modis.

Primo enim modo dicitur *Pascha* totum tempus septem dierum quod fuit a luna decima quarta usque ad diem vigesimam primam mensis Aprilis. Act. XII, 4 : *Quem*, scilicet Petrum, *cum comprehendisset*, scilicet Herodes, *misit in carcerem,... volens post Pascha producere*

eum populo, hoc est, finito tempore septem dierum quo Pascha celebrabatur.

Secundo, dicitur hora vel articulus unius diei, scilicet vesperæ decimæ quartæ lunæ mensis Aprilis. Levit. XXIII, 5 : *Quartadecima die mensis ad vesperum, Phase*, scilicet Pascha, *Domini est* [1] : et sic accipitur, Joan. XIII, 1 : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

Tertio modo, dicitur Pascha prima dies azymorum, quæ fuit luna decima quinta : et hoc modo dicitur, Luc. XXII, 1 : *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.*

Quarto modo, dicitur Pascha panes azymi qui fiebant in Pascha. Joan. XVIII, 28 : *Ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut comederent pascha.*

Quinto modo, dicitur Pascha agnus paschalis. Luc. XXII, 7 : *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.*

Sexto modo, dicitur Pascha festivitas epularum paschalium. II Paralip. XXX, 26 : *Facta est grandis celebritas*, scilicet Pascha, *in Jerusalem, qualis a diebus Salomonis, filii David, regis Israel, in ea urbe non fuerat.*

Septimo, dicitur Pascha Christus immolatus in sacramento. I ad Corinth. V, 7 : *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Unde versus colligens membra istius distinctionis a Doctoribus est factus :

Hebdomas, hora, dies, epulæ, potus, azyma, [Christus.

Ad hoc ergo quod inducunt, Joan. XVIII, 28 : *Ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Dicendum, quod Pascha ibi *azyma* vocantur, quæ septem diebus comedebantur : et ideo luna decima quinta fuit prima dies in qua comedebatur : et ideo ante hoc in quartadecima luna Christus dedit corpus, quando fermentatum ejectum erat jam de domibus Judæorum.

Simili modo respondendum est ad secundam quam inducunt auctoritatem, Joan. XIII, 1 : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus*, etc. Quod ibi dicitur Pascha prima dies quæ solemnior erat aliis, et illa fuit decima quinta, cujus vigilia fuit quartadecima, quando agnus in vespera immolabatur.

Ad id quod tertio inducunt de Luca, quod *mulieres paraverunt aromata*, dupliciter potest responderi. Uno quidem modo, quod feria sexta dies fuit solemnitatis, et ideo dicitur *Parasceve*, hoc est, præparatio : quia præparabantur necessaria ad sequens sabbatum, quod *magnum sabbatum* dicebatur : quia in eo paschalis solemnitas cum solemnitate sabbati concurrebat : et sic feria sexta præcedens fuit quidem prima dies festivitatis, et tamen præparatio ad sabbatum. Et quod dicitur : *Omne opus servile non facietis in eo* [2], hoc intelligitur de servilibus, exceptis his quæ fuerunt opera necessitatis, sicut ciborum præparatio, et vestimentorum induitio, et hujusmodi. Opera autem pietatis et sacrificiorum non prohibebantur : et ideo licuit emere et parare unguenta ad pietatem defunctorum. Aliter autem respondetur et melius : quia, Luc. XXIII, 56, dicitur, quod *mulieres sabbato quidem siluerunt secundum mandatum* : et ideo mulieres non præparaverunt aromata nisi sabbato ad noctem, quando jam licuit talia facere : quia festum sabbati, ad vesperam sabbati erat finitum, et vespera sabbati jam cum sequenti die computabatur : et ideo tunc paraverunt : quia tunc licuit talia operari. Unde, Matth. XXVIII, 1 : *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.* Quod non diceretur nisi vespera sabbati cum sequenti die computaretur.

Ad id autem quod quarto inducunt de Joanne, XIX, 31, dicendum quod parum

[1] Cf. Exod. XII, 18 ; Numer. XXVIII, 16.

[2] Levit. XXIII, 7.

illud valet : quia *magnus dies ille sabbati* dicitur, non ideo quod fuerit prima dies solemnitatis, sed potius quia ex se fuit festivus, et ex communi Pascha aliam accepit solemnitatem.

5. Ad id autem quod objiciunt per rationem : quia veritas umbræ debet respondere, contra seipsos pro Latinis est inductum : quia optime respondet, quando et horam et ritum cœnæ Christus observavit, et in hoc etiam congruit, quod Christus verus agnus jam luna decima quarta immolari incepit, quando et captivatus fuit, et traditus : quia festum Paschæ incepit a vespera decimæ quartæ diei, quæ cum decima quinta die est computanda, sicut jam patuit in præmissis.

Ad id autem quod ulterius objiciunt de Levitico, XXVI, 10 : *Vetera novis supervenientibus*, etc. Dicendum, quod hoc est verum postquam nova per institutionem et notificationem supervenerunt : sed antequam superveniant nova, non projiciuntur vetera : nova autem tunc primo supervenire cœperunt : et ideo Christus de veteribus nova produxit, ut vetera quantum ad ritum projicerentur a nobis : non autem oportet, quod propter hoc nullam cum veteribus habeant convenientiam, cum sint ex illis producta.

Adhuc autem, expurgatio fermenti signat vetustatis projectionem, ut dicit Apostolus [1], et assumptio azymi signat novitatis assumptionem.

Ad id autem quod ulterius de muliere Evangelica objicitur [2], nihil facit ad propositum : quia hoc intelligitur de spiritu abscondito in littera : fermentum enim, ut dicitur in libro XVI de *Animalibus*, et corruptionem habet et spiritualitatem : quia vaporabiliter et spiritualiter per massam pastæ diffunditur : et ideo quoad corruptionem a sacramento abjicitur, et quoad spiritualitatem in littera absconditur, quæ littera sata habet tria, scilicet tropologiam, allegoriam, et anagogiam, quæ per spiritum in littera inveniuntur.

Ad id autem quod ulterius objicitur, dicendum quod non quoad hoc abjicitur : sed quia etiam habet vim corruptivam, ut dicit Apostolus.

Ad id quod ultimo objicitur, dicendum quod panis fermentatus facilior est ad digerendum quam azymus, sed ad confortandum minus est efficax quam azymus : et cum sacramentum sit confortationis, potius assumitur azymum in sacramento quam fermentatum. Christi enim cibus non est cibus qui digeratur, sed potius qui nos sibi incorporet.

6. Utrum corpus Christi possit confici in fermentato

Ad id quod ulterius quæritur, utrum possit confici in fermentato ? Dicimus quod debet quidem confici in azymo, et non in fermentato, sed potest confici in fermentato : et si consecratur in fermentato, confectum est et verum corpus Christi, sed arguendus est qui facit : quia non tenet ritum Apostolicum et sacramento debitum.

Ad id autem quod contra hoc objicitur, dicendum quod debita materia sacramenti dicitur dupliciter, scilicet debita ex specie, et debita ex accidentali proprietate. Debita quidem ex specie est panis de frumento, et hæc debita materia sufficit confectioni sacramenti. Debita autem ex accidentali convenienti proprietate est panis de frumento azymus : quia ille cum hoc quod de ipso confici potest, ulterius exprimit sacramenti sinceritatem et incorruptionem.

Alia autem ex dictis facile solvuntur.

7. Qua forma Christus usus est in consecratione ?

Consequenter autem quæritur, qua forma verborum Christus usus sit in confectione ? Et hoc ideo quod dicitur, quod *accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis*, scilicet discipulis

[1] I ad Corinth. v, 7.

[2] Cf. Matth. XIII, 33.

suis, *et ait : Sumite, hoc est corpus meum* [1]. Non enim vere diceret : *Hoc est corpus meum*, nec fregisset et dedisset, nisi jam transsubstantiatum esset : ergo alia forma usus est Christus quam nos utamur.

Hoc autem quidam concedunt dicentes, quod virtute suæ deitatis Christus primo panem in corpus suum convertit, et vinum in sanguinem : et hoc quod ipse virtute deitatis propriæ fecit, nobis sub certa verborum forma faciendum tradidit, ut ostenderet esse in se potestatem excellentiæ, in nobis autem potestatem clavium per operationem sacramentorum : et hoc Catholice dicere poterit quicumque voluerit. Nobis tamen probabilius videtur, quod eadem forma usus sit, sicut in ante habitis satis dictum est.

8. Quandonam corpus suum dedit?

Tertio etiam quæritur, quando corpus suum dedit? Et constat, quod post cœnam agni typici, sicut dicitur, Joan. XIII, 2. Et quamvis Christus jam cœnatus et cœnatis dederit corpus suum, tamen reverenter et salubriter ab Ecclesia postea provisum est, ut excepto infirmitatis et necessitatis articulo, non nisi a jejunis corpus Domini accipiatur.

Quod autem Christus post alios cibos corpus suum dedit, quatuor a Doctoribus assignantur rationes. Quarum prima est : quia in memoriale dedit : et ideo ultimo dedit, ut arctius memoriæ commendaretur. Secunda est : ut novum ex veteri, sicut poscebat ratio, produceretur, quod non fieret nisi prius agnus typicus sumptus fuisset. Tertia ratio est : quia jam crepitantibus discipulis istud post omnia datur in firmamentum cordis, et hæc confirmatio ultima danda fuit in signum amoris confirmantis membra cum capite. Quarta ratio fuit : ut significaretur, quod iste cibus non est corporis, sed animæ : et ideo sumptus est omnibus aliis cibis ad necessitatem corporis pertinentibus jam ante sumptis.

CAPUT II.

De ritu hujus sacramenti ex parte ministri.

Nunc dicendum est de ritu hujus sacramenti qui sumitur ex parte ministri.

De quo tria sunt quærenda, scilicet si non sacerdos possit conficere? Et si sacerdos conficiens in conficiendo moriatur, qualiter faciendum sit in confectione? Tertio, utrum plures sacerdotes unam hostiam consecrare valeant, vel non?

1. Utrum non sacerdos possit consecrare?

Primo igitur quæramus, si non sacerdos possit conficere, vel non?

Videtur autem, quod non : quia nullus actus competit alicui nisi sibi prius insit facultas ad actum : non enim videt qui non habet videndi facultatem, nec audit nisi qui audiendi habet facultatem, et sic de aliis : in ordine autem sacerdotali potestas datur conficiendi cor-

[1] Marc. XIV, 22. Cf. Matth. XXVI, 26 ; Luc. XXII, 19 ; I ad Corinth. XI, 24.

pus Christi : ergo qui non habet ordinem sacerdotalem, nullam habet conficiendi potestatem, et ita conficere non potest.

Adhuc autem, confirmare non potest nisi Episcopus : quia in ordine Episcopali facultas datur ad confirmandum : ergo a simili etiam non potest conficere, nisi sacerdos, cum ultima potestas ordinis sit ad conficiendum : videtur igitur, quod non conficiat qui hanc potestatem ex ordine non suscepit.

Quod si concedatur, videtur in contrarium esse quod dicit Beda : « Accedat verbum ad elementum, et fit sacramentum. » Ergo a quocumque dicatur verbum super debitum elementum, ille conficit sacramentum.

Adhuc autem, hoc idem arguitur ab eo quod dicit Magister Hugo de sancto Victore : « Sacramentum est visibile et corporale elementum ex institutione signans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione invisibilem gratiam conferens. » Hæc tria sunt in sacramento etiam absque ordine sacerdotali. Ergo videtur, quod sacerdotium non exigatur ad perfectionem sacramenti.

2. De loco in quo sacramentum conficitur.

Juxta illud quæritur utrum locus debitus sicut est altare exigatur ad confectionem sacramenti, ita quod sacerdos non celebrans in altari, non conficiat?

Videtur autem, quod altare consecratum ad hoc exigatur : quia sanctiora sunt sacrificia Novi Testamenti quam Veteris : Veteris autem Testamenti sacrificia non poterant offerri, nisi in altari : ergo multo minus Novi Testamenti sacrificia sine altari offerri non possunt : et si præsumptum fuerit, irritum fit sacrificium.

Adhuc, Psal. LXXXIII, 4 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus, et Deus meus.* Ibi dicit Augustinus, quod extra Ecclesiam oblatum sacrificium non est acceptum. Ergo etiam extra altare oblatum sacrificium reputatur irritum.

IN CONTRARIUM hujus objicitur : quia in nullo aliorum sacramentorum locus in quo fit sacramentum, est de necessariis ad sacramentum, ita quod extra illum locum perfectum sacramentum fiat irritum et inane : ergo a simili etiam in isto sacramento locus templi vel altaris non videtur esse de necessariis ad sacramentum.

3. De hostiis quæ ex oblivione in altari remanent, dum sacerdos conficit sacramentum.

Ulterius iterum quæritur circa locum confectionis sacramenti, si forte ex oblivione aliquæ hostiæ in altari remaneant dum sacerdos conficit, utrum et illæ consecrentur, vel non?

Videtur autem, quod sic : quia altare mensa est in qua quidquid proponitur, benedictioni et consecrationi subjicitur : ergo quidquid in altari est de materia sacramenti, totum in corpus Christi transsubstantiatur. Eadem objectio de gutta una vini vel pluribus, quæ forte pedi calicis adhærent, cum sacerdos conficit de vino calicis : illa enim gutta secundum hoc in sanginem Christi convertitur.

Si autem hoc concedatur, videtur esse contrarium : quia, sicut dicit beatus Augustinus, intentio exigitur ad omne sacramentum, et sine intentione faciendi nihil fit in sacramento. Sacerdos autem de his quæ ignorat, sive de hostiis in altari, sive de guttis vini in pede calicis manentibus nihil intendit. Ergo nihil ex talibus conficit.

4. De altari non consecrato.

Ulterius iterum quæritur de altari non consecrato, utrum super illud confici possit?

Videtur autem, quod sic : quia Dominus mensam super quam comedit in altare non consecravit, et tamen confecit : cum ergo Christi actio nostra sit instructio, etiam sacerdos in altari non consecrato potest conficere. Eadem est objectio de calice non consecrato.

IN CONTRARIUM hujus est, quod ad hoc

consecrantur altaria et calices, ut in illis Eucharistia confici possit : cum ergo nihil sit vanum et frustra in consecrationibus Ecclesiæ, videtur quod in altari non consecrato et calice non consecrato confici non possit sacramentum.

5. De vestibus sacris.

Ulterius quæritur de vestibus sacris, utrum non indutus vestibus sacris, conficere possit sacramentum ?

Videtur, quod non : quia si sine illis posset confici sacramentum, frustra ab Episcopo consecrarentur vestes sacerdotales : non autem frustra consecrantur : ergo sine eis sacramentum non conficitur.

Adhuc autem, quia in veteri lege vestes fuerunt necessariæ ad sacrificium offerendum, sicut patet, Levit. VIII, 13. Ergo multo magis necessariæ sunt ad sacrificium Novi Testamenti : quia istud est sanctius quam illud.

Hujus autem contrarium videtur : quia cum Christi actio nostra sit instructio, in nullo legitur Evangelistarum, quod vel Christus vestes sacerdotales in confectione sacramenti induerit, vel etiam quod Apostolos induere fecerit : ergo Christus et Apostoli sine talibus sacramentum confecerunt : ergo et adhuc sacerdotes absque talibus possunt conficere.

6. De his qui ordinati sunt ab hæreticis, vel schismaticis.

Ulterius quæritur de his qui ordinati sunt ab hæreticis et schismaticis, utrum et illi possunt conficere ?

Videtur, quod non : quia dicitur, Malach. II, 2 : *Maledicam benedictionibus vestris*. Ergo quidquid illi benedixerint, maledicitur. Benedicunt autem in sacramento. Ergo sacramentum ipsum convertitur in maledictionem.

In contrarium autem hujus est, quod illi in forma Ecclesiæ quamvis ab indignis receperunt ordinem sacerdotalem, tamen in conficiendo intendunt facere quod facit Ecclesia : ergo conficiunt sasacramenta.

7. De altari non cooperto pallis lineis.

Ulterius quæritur, utrum in altari non cooperto pallis lineis possit confici sacramentum ?

Videtur, quod non : quia Joseph ab Arimathæa corpus Domini involvit in sindone munda[1], et ad hoc consecrantur pallæ, tam lineæ pallæ quam aliæ : frustra autem ad hæc consecrarentur, si sine his sacramentum posset celebrari : ergo sine talibus non potest confici sacramentum.

Responsio ad objectiones.

Ad hæc omnia sine præjudicio dicendum videtur, quod in veritate hujus sacramenti minister proprius est sacerdos.

Ad primum autem dicendum, quod, ut mihi videtur, non sacerdos non potest conficere sacramentum, sicut probant satis bene primæ inductæ rationes.

Ad dictum autem Bedæ dicendum, quod Beda non loquitur nisi de essentialibus partibus sacramenti.

Similiter dicendum de definitione magistri Hugonis de sancto Victore. Quamvis autem illa sint essentialia, non tamen conveniunt ad constitutionem sacramenti, nisi per propriam causam efficientem ipsius sacramenti : et hæc est meo judicio sacerdos. Unde Plato in *Timæo* dicit, quod nihil est ortum sub sole, cujus legitima causa non processerit in tempore. Et ideo causam propriam oportet habere sacramentum. Secus autem est in sacramento baptismi et pœnitentiæ : quia illa sunt sacramenta necessitatis : et ideo tempore necessitatis quicumque etiam laicus vel laica supplet vicem ministri.

Sunt tamen quidam qui aliter dicunt, et concedunt, quod quilibet conficit qui verba cum intentione profert super debitam materiam : et illi dicunt, quod ordo confert ad hoc ut debitus sit minister, et non ideo quod sacerdos sit ad sacramentum necessarius minister : et hoc est valde ridiculum : quia si quilibet conficere potest, trahitur potius sacramenti confectio in ridiculum, quam in veneratio-

[1] Matth. XXVII, 59. Cf. Marc. XV, 42 et seq. ; Luc. XXIII, 50 et seq. ; Joan. XIX, 38 et seq.

nem: et ideo dictum illorum reputo absurdum.

8. Ad id quod ulterius quæritur de altari et templo, dicendum videtur, quod altare consecratum est de idoneitate sacrificii, sed non de necessitate: et ideo qui celebraret in loco communi, deponendus et degradandus est: sed tamen ipse conficit sacramentum.

Ad id quod contra objicitur, dicendum quod sanctiora sunt sacrificia Novi Testamenti quam Veteris: sed tamen etiam sacrificia Veteris Testamenti alibi quam in templo vel in altari frequenter a prioribus sunt oblata: sed postquam elegit Dominus locum in quo offerri deberent, peccavit quidem contra mandatum Domini, qui alibi obtulit: sed tamen id quod obtulit, oblatio fuit: et sic est etiam in isto sacrificio.

Ad id quod dicunt, quod *passer invenit sibi domum* [1], etc., dicendum quod locus debitus sacrificio est altare; sed non est necessarius, ita quod si alibi offeratur, non conficiatur: et ideo oblatio accepta in altari fit: extra autem altare et templum si præsumatur offerri, tunc quidem oblatum factum est et bonum et divinum corpus Domini, sed oblatio quæ est actio offerentis, non est accepta, sed potius maledicta.

9. Ad id quod ulterius quæritur de hostiis ex ignorantia in altari remanentibus ex oblivione, vel guttis vini pedi vel lateri calicis adhærentibus, dicendum videtur, quod illæ non consecrantur: quia de eis nihil intenditur, sicut probat in contrarium adducta objectio.

Ad id autem quod objicitur, dicendum quod ignorata et non intenta non subjiciuntur benedictioni et actioni formæ sacramentalis: quia confectio actus est utentis ratione: et ideo non fertur nisi super intentum.

10. Ad id quod ulterius de altari non consecrato quæritur, dicendum videtur, quod non debet confici super altare non consecratum: si autem præsumptum fuerit, tunc videtur, quod ille conficiat: sed si hoc facit in contemptum ritus Ecclesiæ, deponendus est et degradandus.

Ad hoc autem quod de Domino objicitur, dicendum quod in veritate per solum tactum Domini mensa in qua benedixit, consecrabatur.

Quod autem in contrarium objicitur, dicendum quod propter hoc consecratio altaris non est frustra, quia sine ea confici potest sacramentum: sed consecratio confertur altari, ut sit idonea mensa tanto sacramento.

Idem etiam intelligendum est de calicis consecratione.

11. Ad id quod ulterius quæritur de vestibus, similiter videtur, quod vestes sunt de bene esse, ut ostendant munditiam et virtutes quæ in ministerio tanti sacramenti esse debent, et ad hoc etiam fuerunt in Veteri Testamento, et quoad hoc benedictio vestium non est superflua: si tamen sacerdos sine his celebraret, sacramentum pro certo ipse conficit, sed graviter peccat contra Ecclesiasticam institutionem et sacramenti reverentiam, et ideo deponendus est et graviter puniendus.

12. Ad id quod ulterius quæritur de schismaticis et hæreticis, dixit Cyprianus martyr, quod illi ordinem non habent: et ideo nihil conficiunt, sed maledicit Deus benedictionibus eorum. Hoc tamen corrigit beatus Augustinus, et dicit, quod Cyprianus hoc dixit nimio zelo fidei, quem habuit contra hæreticam pravitatem. Sed non oportet nos aliquod falsum dicere propter odium hæreticorum. Et ideo dixit, quod illi qui ab hæretico in forma Ecclesiæ ordinantur, recipiunt in veritate ordinem, sed sunt suspensi ab

[1] Psal. LXXXIII, 4.

exsecutione, et ideo si illi consecrant in forma et intentione Ecclesiæ, pro certo conficiunt ; sed hoc faciunt ad animæ suæ perpetuam damnationem.

Et quod objicitur : *Maledicam benedictionibus vestris* [1], ideo dicit, quod tales non maledicunt nisi his qui a Deo maledicti sunt, neque benedicunt nisi his qui a Deo sunt benedicti. Non ergo sacrificium maledictum est, sed potius illi quibus benedicunt, ita quod formalis locutio in materialem convertatur, sic : *Maledicam benedictionibus vestris*, hoc est, maledicam illis quibus vos benedicitis. Psal. CVIII, 28 : *Maledicent illi, et tu benedices.*

Idem dicendum videtur de suspensis et degradatis : illi enim pro certo conficiunt, quamvis graviter peccent contra statuta Ecclesiastica, et sint graviter puniendi.

Ad id autem quod ulterius de pallis objicitur, dicendum quod sine pallis conficitur si præsumptum fuerit : sed peccatum fit contra ritum Ecclesiæ et reverentiam sacramenti. Joseph enim mercatus sindonem et involvens corpus Domini, ostendit quid in sacramento fieri debeat, quamvis fiat sine illa, si præsumptum fuerit ab impiis.

13. Casus qui in ritu confectionis accidere possunt.

Casus quidam qui possunt accidere in ritu confectionis, hic secundo sunt tractandi.

Ponamus enim, quod sacerdos Missa in parte dicta deficiat, et quæramus, quid sit in tali casu faciendum ? Dicit enim Augustinus, quod numquam super eamdem materiam iteranda est forma sacramenti : ex quo igitur deficiente sacerdote non est iterandum ab initio, videtur tunc quod id quod de Missa remanet, imperfectum relinquitur.

Adhuc autem, ponamus ulterius, quod sacerdos deficiat quando dixit : *Hoc est corpus meum,* antequam dicat calicis consecrationem : tunc enim non est completum sacramentum, nisi etiam calix benedicatur : et quæritur, quid in tali casu sit faciendum ?

Adhuc autem, quid erit faciendum si ex oblivione vel negligentia forte vinum in calicem non fundatur, et hoc usque ad finem Missæ a sacerdote non deprehendatur ?

Adhuc autem, ponamus quod in aliquibus terris vinum nullo modo haberi possit, et quæramus quid illis sit faciendum ? Si enim illi non consecrabunt corpus sine vino, oportet quod semper careant sacramento et viatico, et hoc in maximum damnum cedit animarum et fidei periculum. Si autem dicatur conficiendum esse sacramentum corporis sine calice, videtur imperfectum esse sacramentum : quia in tertio hujus operis tractatu ostensum est [2], quod panis solus imperfectum signum est cibi spiritualis. Imperfecto autem uti sacramento non convenit : quia Novum Testamentum quod in sanguine confirmatum est, perfectæ gratiæ statum ostendit et facit.

14. Responsiones ad objecta ultima.

Ad hæc autem et hujusmodi dicendum quod si sacerdos ante Canonem in Missa deficiat aliquo casu, tunc pro certo alius sacerdos Missam debet reincipere et totum rite peragere : quia ea quæ ante Canonem in Missa sunt, non sunt de sacramenti confectione, sed potius de populi instructione. Si autem sub Canone deficiat, factis jam aliquibus signis super hostias oblatas, ante tamen transsubstantiationem, videtur mihi, quod alius sacerdos non ab initio Missam debet reincipere, sed potius ubi iste omisit, vel dimisit, debet supplere quod est omissum : et hoc propter duas causas. Quarum una est ex parte sacramenti, et alia ex parte adstantis populi. Ex parte sacramenti quidem : quia quamvis ex istis signis substantia panis et vini non transsubstantietur, tamen ipsa materia ex

[1] Malach. II, 2.

[2] Vide supra, Dist. III, tract. III.

verbis et signis recipit sanctitatem, ex qua efficitur magis idonea ad hoc quod in corpus Christi transsubstantietur. Propter hoc non est repetendum super illam hostiam, ne injuria fiat virtuti verborum, quæ tamquam nihil habetur, quando iterum verba super eamdem hostiam iterantur, tamquam priora verba a priore sacerdote dicta nullam virtutem habuissent. Causa autem ex parte populi est, quia populus ex hoc minus verba et signa Canonis appretiaretur, si videret ea tam facile repeti : quia prius dicta videntur esse annihilata. Signa autem illa licet non transsubstantient, tamen passionem Christi in mysterio repræsentant, et passio Christi numquam irrita debet reputari.

Si autem sacerdos in ipsa prolatione verborum quæ sunt forma sacramenti, deficiat, verbis jam in parte pronuntiatis, salvo judicio sententiæ melioris consulerem, quod illa hostia pro reliquiis in altari reservaretur, et Missa alia super aliam hostiam ab alio sacerdote celebraretur. Si autem deficit quando jam corpus consecratum est, et non calix, vel etiam si usque in finem Missæ de præparando calicem cum vino oblitus fuerit, vel aliqua de causa neglexit, jam ab antiquo consilium est Doctorum, quod hostia corporis si sumpta non est, in corporalibus munde reponatur, et calix rite præparetur : et ab illo loco : « Simili modo, postquam cœnatum est, » Canon super calicem peragatur : quia tunc non iteratur, eo quod nihil anteriorum dictum est super calicem, et tunc in fine Missæ corpus et sanguis accipiantur.

Si autem sacerdos pronuntiando verba formæ calicis deficiat ante perfectionem, tunc ad hoc dicendum videtur sicut de hostia corporis, quod scilicet in vase mundo reponatur cum reliquiis, et cum alio vino calix rite præparetur, et ab illo loco : « Simili modo, postquam cœnatum est, etc., » ab alio sacerdote sacramentum sanguinis cum Missa perficiatur.

Ad hoc autem quod quæritur de terriu quibus nullo modo vinum possit haberi. Dicendum videtur, quod de hoc consultatio ad Curiam haberi debeat quid sit agendum, tamen propter intolerabile damnum animarum quod incurritur ex sacramenti defectu, videtur mihi esse cum talibus dispensandum, ut corpus Christi sine calice haberent, et conficerent sacramentum : quia, sicut patet per ante dicta, corpus non est sine sanguine, et anima et deitate, quamvis non sit ibi sanguis ex virtute consecrationis et sacramenti.

Et per hoc patet solutio ad totum.

15. Utrum plures sacerdotes unam possint consecrare hostiam ?

De ritu ex parte ministri remanet adhuc inquirendum, si plures sacerdotes unam possint consecrare hostiam ?

Videtur autem, quod sic : quia secundum antiquam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, quando Papa celebrat, Cardinales sacerdotes assistunt ei ad altare stantes, et signa quæ ipse facit facientes : et sicut quidam dicunt, etiam verba Canonis submisse pronuntiantes. Cum ergo verba sacerdotum non in vacuum proferantur, videtur quod omnium illorum verba sacerdotum ad eamdem hostiam consecrandam referantur, et ad eumdem calicem benedicendum : et sic videtur, quod plures sacerdotes unicam consecrent hostiam.

Adhuc autem, cum Episcopus celebrat ordines, omnes sacerdotes de novo ordinati circa altare in quo celebrat Episcopus, disponuntur, et omnes simul cum eo signa faciunt ad corporis Dominici confectionem : et sic videtur, quod eadem hostia a pluribus simul in una et eadem Missa consecretur.

Adhuc, in consecratione chrismatis plures sunt consecratores tam Episcopi si sint præsentes, quam etiam presbyteri si plures Episcopi non habentur : et hoc fit propter chrismatis excellentiam. Cum ergo multo excellentius in omni gratia sit corpus Christi, videtur quod non sit incongruum in una et eadem Missa plures esse simul corpus Domini conficientes.

Adhuc, in ordinatione et consecratione Episcopi, plures sunt cum uno Episcopo consecrantes : nihil autem excellentius est quam corpus Domini : ergo videtur, quod non tantum possunt plures simul unam hostiam consecrare : quinimo in omni Missa videtur, quod plures debeant esse simul consecrantes.

Si autem hoc forte concedatur, tunc constat, quod non omnes simul in uno et eodem momento verba confectionis possunt enuntiare. Si autem unus ante alium verba profert, et statim prolatis ab unoquocumque verbis, hostia est transsubstantiata, tunc videtur, quod pro nihilo sit quod alii pronuntiant.

Adhuc autem, secundum hoc accidit, quod eadem verba multoties dicuntur super unam et eamdem hostiam : hoc autem quotiescumque fit, injuria fit sacramento, ut dicit Augustinus : ergo in talibus celebrationibus injuria fit sacramento, et omnino hoc est evitandum : quia injuriam facere sacramento non est catholicum.

Juxta hæc iterum quæritur de quodam verbo quod dicitur, I ad Corinth. x, 27 : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Ibi dicit Glossa, quod indigne manducat et bibit indevotus : indevotus autem est, qui aliter celebrat sacramentum quam institutum est. Quæratur quis est ille qui aliter celebrat ? Quia hoc Glossa non determinat.

16. Responsio ad objecta.

Ad hæc et similia sine præjudicio sententiæ melioris dicendum, quod plures sacerdotes simul nec debent nec possunt simul unam consecrare hostiam : quia pro certo secundum Augustinum, injuria fit sacramento.

Adhuc autem, vanum est facere a pluribus quod melius uno potest fieri : vanum autem non est in operibus naturæ, et multo minus debet esse in operibus gratiæ.

Ad id autem quod objicitur de cardinalibus presbyteris, qui Domino Papæ assistunt, dicendum quod propter obsequium assistunt, et non propter consecrationem quæ a pluribus fieri debeat.

Ad id autem quod objicitur, quod faciunt signa et pronuntiant verba, dicendum, quod hoc meo judicio fieri non debet, nec etiam fit : quia injuria fieret sacramento,

Ad id quod objicitur de Episcopo ordines celebrante, cui assistunt sacerdotes de novo ordinandi. Dicendum, quod illa verba non pronuntiant, sed assistunt propter reverentiam sacramenti, et propter doctrinam : et ideo signa quæ faciunt, sunt ad imitationem signorum quæ facit Episcopus, ut illi sacerdotes addiscant signare, et sint docibiles in exercitio officii quod susceperunt.

Ad id autem quod objicitur de consecratione chrismatis. Dicendum, quod non est simile : quia ibi nulla substantia transmutatur, sed tantum sanctificatur : et quia sanctitas illa universaliter omnia sanctificans est altaria, et Ecclesias, et confirmandos, et manus impositionem ad Episcopatum recepturos, ideo conveniens est, quod Episcopus in impetratione istius sanctitatis plures habeat coadjutores. Hac etiam de causa in impositione manus, quando ordinatur Episcopus, quia officium magnum suscipit potius quam ordinem, plures habet coadjutores, ut gratia largior impetretur ad regimen quod ibi suscipit animarum. Sic autem non est de corpore Christi : ibi enim Verbum increatum operatur in verbo creato ad transsubstantiationem substantiarum, et hoc non plus valet in uno quam in pluribus : et ideo ab uno tantum debet confici sacramentum. Sunt tamen quidam antiqui qui dixerunt, quod una hostia a pluribus consecratur in casibus inductis in objectione, et dicunt, quod primus inter sacerdotes pronuntians et perficiens formam sacramenti operatur transsubstantiationem, et nullus alius : nec tamen, ut dicunt, aliorum fraudatur intentio : quia factum est

jam quod intendunt : sed hoc nihil videtur esse : quia non fit propter hoc, quia fraudatur intentio, sed potius ideo quia sacramento fit injuria, sicut diximus.

Ad hoc autem quod ulterius quæritur, dicendum sicut dicit Glossa : « Indevotus est, qui aliter celebrat sacramentum quam a Christo et a sanctis patribus est institutum. » Et est hoc si forte non jejunus vellet celebrare, aut sine sacris vestibus, aut in loco non consecrato, aut etiam indignus ex ordine vel ex vita immunda. Ex ordine quidem, sicut si ordinem excommunicatus, vel simoniacus, vel per simoniam esset adeptus. Indignus autem vita est sicut adhuc peccatorum recentia cruentatus et scandalum faciens in celebrando sacrosancta mysteria, quamvis talis conficiat, tamen incurrit reatum traditoris ex celebratione : quia simoniacus Christum vendit, et immundus recipiens corpus Domini, Christum quantum in se est, inimicis tradit sicut fecit Judas. Judas enim de corpore et sanguine Christi cupiditatem satiavit, et recipiendo buccellam a Domino diabolus eum possedit. Unde, Joan. XIII, 27, dicitur : *Post buccellam, introivit in eum Satanas*, et amplioris ex tunc malitiæ est effectus.

CAPUT III.

De ritu hujus sacramenti ex parte sumentis.

1. Nunc tandem est dicendum de ritu istius sacramenti ex parte sumentis.

De quo tria quæremus : quis debeat communicare, et quoties debeat communicare, et qualiter sumere ?

De primo quæritur, Utrum aliquis in mortali peccato existens debeat sacramenti communionem edere ?

Videtur autem, quod sic : quia dicitur, Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Et hoc dixit Dominus intrans ad peccatores, et manducans et bibens cum eis. Ergo ex quo male habet qui est in peccato mortali, magis ipse debet simul sumere medicum et medicinam quam alius.

Adhuc, Christus ipsum corpus assumpsit, et a peccatoribus patribus, et pro peccatoribus : ergo etiam peccatoribus videtur esse communicandum.

Adhuc, Quamvis sit fictus, tamen non dicimus male facere qui sumit baptismum : quia licet non tunc in eo baptismus operetur gratiam, tamen recedente fictione operabitur : ergo a simili quamvis aliquis sit in peccato mortali, non debet dici male facere sumendo corpus Domini : quia cum pœnitentiam aget de peccato, operabitur in eo gratiam sumptum corpus Domini.

Adhuc, Christus dedit Judæ corpus suum cum aliis Apostolis. Et dicunt sancti, quod hoc fecit ut animum suum tanto beneficio a traditionis revocaret proposito. Ergo a simili hoc sacramentum etiam dandum est peccatoribus, ut a proposito peccati revocentur, ut videtur.

Quod si concedatur, in contrarium est quod beatus Augustinus dicit, quod non debet sumere corpus Domini,

nisi qui confortatur bona conscientia.

Adhuc, Magister Hugo de sancto Victore dicit : « Audacter dico, quod etiam si contritus sit aliquis, et non confessus, et pœnitentiæ satisfactionem non exsolvit, non audeat Eucharistiam recipere. »

Adhuc autem, quod idem videtur dicere Apostolus qui dicit : *Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat* [1]. Dicit autem Augustinus, quod homo se probat experimentum de seipso accipiendo. Ergo communicare non debet, qui de seipso experimentum bonæ conscientiæ non accepit.

2. Quæstio obiecta?

Ad hæc et similia dicendum, quod absque omni dubio homo existens in mortali peccato Eucharistiam accipere non debet. Arca enim Domini figura corporis Domini est : et quia illam Bethsamitæ indigne receperunt, ideo percussi sunt [2]. Oza etiam quia manum indigne extendit ut exciperet, cum boves trahentes eam calcitrassent, divisus est et mortuus [3]. Si autem hoc fuit in figura corporis Domini, multo magis spiritualiter moritur, qui indignus accipit corpus Domini : et ideo os suum peccator ad corpus Domini non porrigat.

Ad hoc autem quod contra objicitur, dicendum quod in veritate Dominus publicanis et peccatoribus se exhibuit pro quibus venerat : sed hæc fuit exterior receptio per quam aliquis præparabatur ad interiorem. Exteriori enim reverentia potest Dominus etiam a peccatoribus recipi, sicut fuit a Zachæo [4] : sed interius nemo Dominum recipit, nisi digne ad hoc paratus sit. I ad Corinth. x, 20 et 21 : *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.*

Ad aliud autem dicendum, quod corpus a peccatoribus sicut ab Achaz, et Manasse, et Rahab meretrice, et aliis peccatoribus, et pro peccatoribus recepit, sed peccato illud corpus numquam subdidit, nec in vase immundo umquam collocavit : et ideo non est simile de exteriori receptione et interiori.

Ad aliud dicendum, quod Christus Judæ corpus suum cum Apostolis tradidit : quia eum prodere non debuit, nec voluit, sed revocare intendit : sed tamen Judas ad damnationem suam corpus Domini accepit. Similiter et sacerdos, si aliquis peccator, cujus peccatum occultum est, publice inter alios os porrigit, debet sacerdos illi corpus Domini dare, ne eum prodat : ipse tamen ad suam hoc accipit damnationem, sicut et Judas. Et sacerdos in hoc casu facit quod Dominus fecit : quia illa benignitate qua ei cum aliis porrigit, peccatorem, quantum in se est, revocat a proposito peccandi. Ad Roman. II, 4 et 5 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.*

Ad hoc autem quod objicitur in contrarium, dicunt Doctores, quod sufficienter confortatus est bono conscientiæ testimonio, qui contritus est de omnibus peccatis cum proposito de cætero non peccandi, quamvis nec sit confessus, nec satisfecerit : quia in compunctione Deus peccatum dimittit, et dimisso peccato est homo in communione sanctorum, et tunc communicare poterit. Confessionem autem, ut dicunt, differre poterit tribus de causis. Quarum una est : quia forte confessorem proprium non statim habere poterit, vel tunc tempus confessionis secundum statum concilii non adhuc venit, vel infirmitatis necessitatis articulus confessionem non exposcit.

Ad hoc quod dicitur de magistro Hugone, dicendum quod loquitur in quo casu vel tempus constitutionis, vel articulus necessitatis confessionem ex-

[1] I ad Corinth. XI, 28.
[2] Cf. I Regum, VI, 13 et seq.
[3] Cf. II Regum, VI, 3 et seq.
[4] Luc. XIX, 6.

poscit, et præsentia habetur confessoris.

Ad hoc quod de Apostolo objicitur, dicendum, quod satis se probavit, qui per viam contritionis iniquitatem in se non invènit. Psal. xxv, 2 : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum.* Et, Psal. cxxxviii, 23 et 24 : *Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas meas : et vide si via iniquitatis in me est.*

3. Secundo, tractandum est quoties aliquis debeat communicare.

De hoc autem dicit Canon antiquus, quod ad minus ter in anno : in Natali Domini, Pascha, et Pentecoste est communicandum, et ad illa festa debet se homo præparare : quia etiam ter in anno tribus Israel convenerunt in Jerusalem ut epularentur coram Domino.

Concilium Lateranense dicit, quod semel in anno ad minus est confitendum et communicandum.

Augustinus autem dicit, quod omni die communicantem non reprehendit, si ex devotione facit : raro etiam communicantem non reprehendit, si ex humilitate dimittit.

Beatus autem Gregorius in *Dialogo*, quemdam sacerdotem laudat, qui omni die ex devotione celebravit.

Beatus autem Hieronymus in *Vitis Patrum*, laudat abbatem, qui post susceptum ordinem numquam ex reverentia sacramenti celebrare ausus fuit.

Et in his omnibus videtur mihi esse dicendum, quod medium tenere est beatum : quia in medio tutissimus ibis, aliquando celebrando, et aliquando intermittendo, nisi officium exigat, ut omni die celebretur.

De his autem qui mulieres omni die communicant, videtur mihi quod acriter reprehendendi sunt : quia nimio usu vilescere faciunt sacramentum, vel potius ex levitate mulierum putatur esse desiderium quam ex devotione causatum.

Ultimo autem quærendum est de hujus sacramenti duplici manducatione, sacramentali scilicet, et spirituali. 1.

Sacramentalis quidem est, quando sumitur usque ad perceptionem sacramenti, hoc est, usque ad perceptionem veri corporis Christi. Et hoc quidem modo sæpe sumitur etiam ab indignis, sicut a Juda sumptum fuit : et hæc quidem sacramentalis sumptio fit secundum confessionem Berengarii, quando ore sumitur et dentibus atteritur corpus Domini, quamvis hæc attritio et masticatio ad formas tantum sacramentales referatur, sicut in ante habitis in tertio hujus summæ tractatu est ostensum [1].

Spiritualis autem sumptio sive manducatio fit, quando percipitur sacramentum usque ad gratiæ spiritualis perceptionem. Et hoc fit dupliciter : aliquando enim spiritualis est cum sacramentali : aliquàndo autem est sine illa, quando sacramentum articulus necessitatis, et non contemptus religionis excludit. Quæ autem sit gratia in hoc sacramento percepta, multum in præmissis determinatum est. Hoc autem modo omni die percipere sacramentum spirituali manducatione est laudabile : quia de illa scriptum est, Eccli. xxiv, 29 : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient.* Nec umquam de illa dulcedine satiabitur anima in hac vita, sed dicit Psalmista, Psal. xvi, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Hæc de Eucharistia propter honorem Jesu Christi a nobis scripta sunt, ex quibus multa alia intelligi possunt. Et quidquid lectori in dictis displicet, parcat simplicitati : quia si non subtiliter, tamen utiliter multa in eis dicta inveniet. Amen.

[1] Vide supra, Dist. III.

ORATIO DIVI ALBERTI MAGNI

De sacrosancto Eucharistiæ sacramento saluberrima.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, Fili Dei unigenite, qui ex nostro et a nobis et propter nos corpus et sanguinem, et animam humanam, et spiritum assumpsisti, et per sanctum Jeremiam Prophetam quem in utero sanctificasti, pronuntiare dignatus es, dicens quod animas sacerdotum impleturus esses pinguedine, et populus tuus abundaturus bonis [1], imple sacramento corporis tui animas nostras, et reple in bonis desiderium nostrum, et præsta ut tui corporis et sanguinis admirabile sacramentum, omnem sui in nobis veritatis, virtutis, unitatis, charitatis, puritatis, pietatis, devotionis, et sanctitatis operetur effectum, ut sicut tu in Patre et Pater in te est [2], et tu in nobis per incorruptam tuæ susceptionis naturam, ita in te per corporis et animæ maneamus et spiritus integritatem, incorporati tibi sacrosancto corpore tuo, ad sacramentorum salutarem communionem, et tui dulcem participationem, infusi sacrosancto sanguine tuo, ad omnem intimorum nostrorum aspersionem et emundationem : redempti sacrosancta anima tua salutis pretio, ad veram reorum cum Patre et Spiritu sancto reconciliationem : et redemptionem vivificati sacrosancto Spiritu tuo, ad omnem spiritualis vitæ in nobis deperditæ restaurationem, et sensuum nostrorum illuminationem : gratificati tibi sacrosancta divinitate tua, ad omnem virtutis perfectionem, et de Eucharistia, quæ vas omnis gratiæ est, de plenitudine tua gratiam pro gratia accipientes, fac nos communicare gratiis quibus sancti Apostoli tui et discipuli de manu tua hoc sacramentum accipientes communicaverunt. Operare in nobis sensum et experimentum spiritualis refectionis intercessione omnium eorum qui a te spiritualiter refecti sunt : operare in nobis fidem, dilectionem, pietatem, devotionem, sacrosanctæ unctionis spiritua-

[1] Jerem. XXXI, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus.*

[2] Joan. x, 30 et 38.

lem perfectionem, quæ tibi in cœna beata Maria Magdalena exhibuit, sollicitudinem, frequentiam, operositatem, diligentiam obsequendi membris tuis, ut experimentalem sensum spiritualis refectionis a te capite mereamur accipere. Operare in nobis sensum Lazari et omnium tecum quiescentium in bonis tuis, quibus disposuisti regnum, sicut illud tibi Pater disposuit, ut edant et bibant super mensam tuam in regno tuo [1]: quia vere beati qui manducabunt panem, qui tu es, in regno Dei [2]. Operare in nobis zelum Petri ignoscentem, et omnia destruentem quæ tuæ sunt contraria voluntati, quem in cœna tua Petrus contra traditorem concepit. Operare in nobis quietem, resolutionem, a mundi delectabilibus perfectam sopitationem, felicitatem, gustum sancti Joannis, quibus ad pectus tuum inclinati et haustum sapientiæ et gustum tuæ felicissimæ accipiamus dulcedinis et bonitatis. Operare in nobis fidem rectam, spem firmam, charitatem perfectam, intercessione omnium Apostolorum et discipulorum tuorum de manu tua hoc sacramentum suscipientium, et fac nos semper aspernari Judæ proditionem, et in mentem sæpe nobis veniat illa salutaris influentia, quam hoc sacramentum designat, qua te beatis in cœlo secundum deitatem influens, operaris in eis omnem suæ beatitudinis perfectionem, qui cum Deo Patre, etc.

[1] Luc. xxii, 29 et 30 : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*

[2] Luc. xiv, 15.

INDEX

Distinctionum, Tractatuum, et Capitum contentorum in libro de sacramento Eucharistiæ.

PROLOGUS 191

DISTINCTIO I.

QUOMODO HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE GRATIÆ ?

CAP. I. *Hoc sacramentum non est nisi gratia* 192
II. *Hoc sacramentum non datur nobis nisi a gratissimo.* 194
III. *Hoc sacramentum non datur nisi gratissimis amicis.* 202
IV. *Hoc sacramentum Eucharistiæ non nisi bonam gratiam operatur.* 205
V. *Hoc sacramentum est gratia supra gratiam, quasi cumulum continens gratiarum.* 208
VI. *Hoc sacramentum est omnis gratiæ contentivum.* 212

DISTINCTIO II.

QUOMODO HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE DONI ?

TRACTATUS I.

DE PROPRIETATE DONANTIS.

CAP. I. *De magnificentia in donantis largitione.* 216
II. *De hilaritate donantis in donatione.* 216
III. *De affectu donantis in charitate et intimo amore.* 218

TRACTATUS II.

DE PROPRIETATE DONI.

CAP. I. *De doni nobilitate.* 220
II. *De doni copiositate.* 221
III. *De doni hujus sacramentalis utilitate.* 222
IV. *De doni hujus ad donantem conformitate.* 223

TRACTATUS III.

DE PROPRIETATE ACCEPTANTIS.

CAP. I. *Quod donum debeat esse effectuosum ex parte accipientis.* 226
II. *Donum hoc est conveniens et proportionatum suscipienti.* 228
III. *Donum debet perseverare et permanere cum eo qui accepit.* Ibid.

DISTINCTIO III.

QUOMODO HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE CIBI?

TRACTATUS I.

CUJUSMODI SIT HIC SACRAMENTALIS CIBUS?

CAP. I. *De nobilitate hujus cibi ex genere.* 231
II. *De cibi hujus suavitate et sapore.* 239
III. *De cibi hujus laucitate ex præparatione.* 244
IV. *De cibi hujus suavitate ex operatione.* 247

V. *De cibi hujus nutrivitate ex virtute.* 251
VI. *De cibi hujus ad cibatum congruitate ex similitudine.* 259
VII. *De cibi hujus ad cibatum penetrabilitate ex subtilitate.* 264
VIII. *De cibi hujus ad cibatum unibilitate quam habet ex connaturalitate.* 271
IX. *De cibi hujus ad cibatum firma hæsibilitate, ex cibati per cibum apprehensione.* 275

TRACTATUS II.

DE QUALITATE POTUS.

CAP. I. *Qualis debeat esse potus sacramentalis in genere et specie?* 280
II. *Qualis debeat este hic potus in saporis qualitate?* 287
III. *Qualis debeat esse hic potus in mixtione.* 290
IV. *Qualis sit hic potus in usu gratiæ istius?* 293
V. *Qualis debeat esse hic potus in proprii effectus operatione?* 297

TRACTATUS III.

IN QUO AGITUR QUALITER TOTUS CHRISTUS TAM SUB FORMA PANIS QUAM SUB FORMA VINI CONTINEATUR.

CAP. I. *Opiniones quorumdam recitat, qualiter Christus sub speciebus sacramentalibus contineatur.* 305
II. *Veritatem determinatam ex propriis illustrat.* 316

TRACTATUS IV.

QUALITER SIT SUMENDUS HIC CIBUS?

CAP. I. *Quod sumendus sit hic cibus in fidei veritate.* 322
II. *Quod sumendus sit hic cibus in certa spe divinæ largitatis.* 323

III. *Quod sumendus sit hic cibus in Ecclesiasticæ unitatis charitate.* 325
IV. *Quod sumendus sit hic cibus in amaritudine.* 327
V. *Quod sumendus sit hic cibus in deliciis æternæ fruitionis.* 328

DISTINCTIO IV.

QUALITER HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE COMMUNIONIS?

CAP. I. *Quod hoc sacramentum faciat communicare fonti omnis gratiæ.* 330
II. *Quod hoc sacramentum faciat communicare Angelorum gloriæ.* 332
III. *Quod hoc sacramentum faciat communicare sanctis.* 333
IV. *Quod hoc sacramentum faciat communicare passionibus mystici corporis.* 334
V. *Quod hoc sacramentum faciat subventionem facultatum in eleemosynis.* 335
VI. *Quod hoc sacramentum faciat omnia nostra communia tam in spiritualibus quam in corporalibus.* 337
VII. *Quod hoc sacramentum faciat divinorum et humanorum verissimam communionem.* 339

DISTINCTIO V.

QUOMODO HOC SACRAMENTUM SIT IN GENERE SACRIFICII?

CAP. I. *De hujus sacrificii auctoritate et antiquitate.* 340
II. *De hujus sacrificii sanctitate.* 341
III. *De hujus sacrificii acceptabilitate.* 347
IV. *De hujus sacrificii veritate.* 349

DISTINCTIO VI.

QUOMODO HOC DONUM SIT IN GENERE SACRAMENTI?

TRACTATUS I.

DE INSTITUTIONE HUJUS SACRAMENTI.

CAP. I. *De causa institutionis hujus sacramenti.* 352
II. *De necessitate hujus institutionis sacramenti.* 355
III. *De tempore institutionis hujus sacramenti.* 359
IV. *De modo institutionis hujus sacramenti.* 361

TRACTATUS II.

DE MATERIA ET FORMA HUJUS SACRAMENTI.

CAP. I. *De materia sacramenti.* 364
II. *De forma sacramenti supra panem.* 385
III. *De forma quæ dicitur super vinum.* 396
IV. *De consequentibus ad utramque formam.* 405

TRACTATUS III.

QUID IN HOC SACRAMENTO SIT SACRAMENTUM TANTUM? ET, QUID SIT RES ET SACRAMENTUM? ET, QUID RES ET NON SACRAMENTUM?

Caput unicum. 411

TRACTATUS IV.

IN QUO AGITUR DE RITU HUJUS SACRAMENTI.

CAP. I.	*De ritu hujus sacramenti ex parte Christi.*	416
II.	*De ritu hujus sacramenti ex parte ministri.*	423
III.	*De ritu hujus sacramenti ex parte sumentis.*	430

INDEX

Rerum Notabilium, quæ continentur in libro de Eucharistia.

N.-B. — Numerus primus romanus signat distinctionem, secundus etiam romanus, sed minor, tractatum. Tertius vero et quartus arabici indicant tum caput, tum numerum capitis. Verbi gratia : *Quare* ACETUM *non potest fieri vinum?* III-II, 2, n. 1. Expositio hujus quæstionis invenitur in distinctione III, tractatu II, capite 2 ad numerum 1.

A

Quare ACETUM non potest fieri vinum? III-II, 2, n. 1.

ACETUM signat acerbitatem passionis Christi, et aversionem synagogæ. III-II, 4, n. 2.

ACCIDENTIA qualiter existunt post transsubstantiationem? VI-II, 1, n. 16.

ACHOR, fratris lumen, vel fratris altitudo. III-IV, 2.

AGNO cur Christus voluit præsignari? III-I, 1, n. 6.

ALIMENTUM spirituale datur sub specie panis et vini. III-II, 5, n. 2.

ALIMENTUM animæ quomodo masticatur, subtiliatur, sugitur, membris spiritualibus defertur, ultimo depuratur et membris infunditur? III-I, 7.

AMARITUDINE compunctionis sumenda est Eucharistia. III-IV, 4.

AMOR exstasim facit. I, 2, n. 7. Item, III-I, 9, n. 3.

AMOR omnia vincit. I, 2, n. 7.

AMOR est vitta vinciens amantem et amatum. Ibid.

Sedes ANIMÆ in sanguine est. III-II, 4, n. 2.

ANGELORUM gloriæ Eucharistia nobis præstat communicationem. IV, 2.

Angeli quomodo flere et tristari dicantur? IV, 2.

Angeli assistunt in omni Christi corporis confectione. I, 2, n. 4.

Anna, gratia. III-I, 1, n. 5.

Aquæ fluentis quatuor commoditates. IV, 1.

Aqua non desideratur in potu, nisi a natura corrupta et nimis incensa. III-II, 1, n. 2.

Cur aqua vino misceatur in sacramento? III-II, 3.

Archites, suscitans fratrem captivum. I, 2, n. 7.

Aser, beatus. III-I, 1, n. 1.

B

Benignitas, bona ignitas. I, 2, n. 3.

Benignitatem suam quomodo Deus nobis ostendat? Ibid.

Boni est bona et optimi optima adducere. I, 2, n. 7.

Omnia bonitatem Dei participant, et ideo bona sunt, quia a bono sunt. I, 2, n. 2.

Bonitatis cum oleo convenientia. Ibid.

Booz, in quo est virtus. I, 4, n. 2.

C

Casus qui in ritu confectionis sacramenti Eucharistiæ accidere possunt. VI-IV, 2, n. 14.

Charitate unitatis ecclesiasticæ sacramentum Eucharistiæ est sumendum. III-IV, 3.

Charitas qua Deus dilexit nos, quæ sit? I, 2, n. 6.

Chermel, agnus tener. III-I, 1, n. 10.

Chusai, arcanum. I, 2, n. 7.

Cibus sanus, ab infirmitate præservat, causam infirmitatis expellit, sanitatem perditam reparat, reparatam conservat. III-I, 4.

Cibus nutriens virtute divina. III-I, 5, n. 1.

Cibus verus quis sit? III-I, 5, n. 2.

Cibus nutriens ad vitam. III-I, 5, n. 3.

Cibus conferens immortalitatis radicem. III-I, 5, n. 4.

Cibus uniens nutritum et convertens in se. III-I, 5, n. 5.

Cibus nutriens universali virtute corpus et animam. III-I, 5, n. 6.

Post occasum solis a meridie sumendus est cibus secundum naturam motus cœlestis. VI-II, 3, n. 3.

Quomodo adhæret cibus membris quæ nutrit? III-I, 9, n. 1.

Cibus sacramentalis sumendus est in fidei veritate, in spe largitatis, in charitate ecclesiasticæ unitatis, in compunctione amaritudinis, et in delectatione et deliciis beatæ perfruitionis. III-IV, 1.

Cibi sacramentalis congruitas consistit in similitudine nostri ad cibum ex digestione, in imagine similitudinis, in naturæ conformitate, in conversationis pulchritudine, et in nostræ miseriæ secundum pœnas indetractabiles assumptione. III-I, 6.

Nihil CLARITATIS habere possumus nisi claritas filii Dei clareat in nobis. I, 5, n. 6.

Mane COMEDENTES reprehenduntur. VI-I, 3, n. 3.

Per Eucharistiam COMMUNICAMUS fonti omnis gratiæ. IV, 1.

Quoties sit COMMUNICANDUM? VI-IV, 3, n. 3.

Omnia nostra COMMUNIA fiunt tam in spiritualibus quam in corporalibus per Eucharistiam, IV, 6.

An CONSECRARE possit non indutus vestibus sacris? VI-IV, 2, n. 5.

Quinque faciunt nos unibiles CHRISTO: generatio divina, vita munda, dilectio ad Deum sincera et pulchra, illustratio contemplativa, et unio devota. III-I, 8.

CHRISTUS omnis necessitatis nostræ fidejussor. II-II, 2.

CHRISTUS Josias. II-II, 4.

CHRISTI dilectio nulla umquam oblivione delebilis. VI-I, 1, n. 2.

CHRISTI passio semper debet esse nobis præ oculis. VI-I, 1, n. 3.

Quare CHRISTUS vitulo, agno, hœdo, mannate et frumento fuit præsignatus? III-I, 1, n. 4.

CHRISTUS dedit corpus in communionem sui et membrorum, sanguinem autem in redemptionem. III-I, 5, n. 3.

Qualiter corpus CHRISTI sub speciebus sacramentalibus contineatur triplex opinio? III-III, 1, n. 1. Item, VI-II, 1, n. 6.

Corpus CHRISTI vere est in Eucharistia. III-III, 1, n. 2.

Cum corpore CHRISTI non remanet substantia panis et vini. III-III, 1, n. 6.

Qualiter totum corpus CHRISTI sub tantilla forma contineatur? III-III, 1, n. 10.

CHRISTUS continetur in sacramentalibus formis ut in loco suæ gloriosissimæ habitationis, ut in aula dulcissimæ refectionis, ut in mysterio spiritualis mactationis et immolationis, et ut in nexu amicissimæ nostri cum eo connexionis. III-III, 2.

CHRISTUS, Darius. III-I, 3, n. 4.

In quascumque partes forma sacramentalis dividatur, totus et integer CHRISTUS manet. III-I, 7, n. 2.

CHRISTUS, Ozias. I, 2, n. 2.

Utrum CHRISTUS in sacramento sit passibilis? III-I, 6, n. 6.

CHRISTO conveniunt quædam secundum deitatem, quædam secundum humanitatem, et quædam secundum formam sacramenti. Ibid.

CHRISTI magnificentia in Eucharistia. II-I, 1.

CHRISTUS, Booz. II-I, 2.

Quanto affectu CHRISTUS suum corpus donavit? II-I, 2, n. 1.

Totum quod est sanctitatis et gratiæ, in agro humanitatis CHRISTI nobis germinavit. I, 6, n. 2.

Totum quod salutis nostræ est, a CHRISTO processit. I, 6, n. 3.

Plenitudo gratiæ in CHRISTO. I, 6, n. 4.

Ecclesia corpus CHRISTI. III-I, 5, n. 5.

CHRISTO adhæremus fortitudine apprehensionis, glutino amoris, mansione stabilitatis, et perseverantia continuitatis. III-I, 9, n. 2.

Nihil in CHRISTO nisi gratum. I, 4, n. 4.

Corpus CHRISTI plenum gratia. Ibid.

CHRISTUS se cibat ipse cibus. I, 3, n. 1.

CHRISTUS, Samson. I, 2. n. 5.

Septem causæ quare CHRISTUS frequenter oculos ad Patrem elevavit. VI-II, 4, n. 3.

Utrum CHRISTUS in azymo corpus suum tradidit? VI-IV, 1 per totum.

Utrum corpus Christi possit confici in fermentato? VI-IV, 1, n. 6.
Christus merces qua redempti sumus. I, 5, n. 3.
Christus, Assuerus. I, 3, n. 2.

Crocus subtilis ad penetrandum, et flagrans ad odorandum, et virtutem habet ad splendorem pulchritudinis conferendum. I, 3, n. 4.

D

Decretistæ arguuntur ignorantiæ. III-III, 1, n. 2.

In deliciis paradisi sumitur corpus Christi. III-IV, 5.

Dei esse bonitas, natura dulcedo, proprium misereri et parcere. I, 2, n. 2.
In Deo oportet affirmare omnium positiones, et omnes potentius negare. VI-II, 1, n. 12.
Solus Deus potest peccata dimittere. VI-I, 1, n. 1.
Deus in homine et homo in Deo per Eucharistiam. IV, 6.

Dilectio sincera et pulchra. III-I, 8, n. 4.

Donum debet esse utile accipienti, proportionatum, et permanens. II-III, 1, n. 1.

Dulcedo qua Deus pauperi paravit Eucharistiam. I, 2, n. 5.

E

Engaddum, fons hœdi. II-II, 4, n. 1.

Eucharistia non est nisi gratia. I, 1.
Eucharistia non datur nobis nisi a gratissimo. I, 2.
Eucharistia magnum pietatis sacramentum. I, 2, n. 4.
Nihil dulcius Eucharistia. I, 2, n. 5.
Eucharistia fructus suavissimus. I, 2, n. 6.
Eucharistia placationis sacrificium. I, 2, n. 8.
Eucharistia gratissimis præparatur. I, 3.
Eucharistia crocus. I, 3, n. 4.
Eucharistia non nisi gratiam operatur. I, 4.
Eucharistia cumulum continet gratiarum. I, 5.
Eucharistia simul complectitur quod omnia sacramenta significant et continent divisim et particulariter. I, 6, n. 1.
Eucharistia donum Dei electum. II-II, 1.
Eucharistia munus sufficientissimum. II-II, 2.
Eucharistia omnem in se habens utilitatem. II-II, 3.
Eucharistia memoriale dulcissimæ charitatis, amarissimæ passionis, et transitus Christi ex hoc mundo ad Patrem. II-II, 4.
Eucharistia habet unum effectum substantialem, et plures adjunctos. II-III, 1, n. 2.
Eucharistia naturalem nostri ad Christum perficit unionem. Ibid.
Eucharistia dat unicuique a se consideratam gratiam et delectationem. II-III, 2. Item, III-I, 1, n. 9.
Eucharistia cibus regius, quia regibus præ-

paratus, quia filiis regis debitus, quia ex promptuariis summi regis assumptus. III-I, 1.

EUCHARISTIA multiplicem habet saporem. III-I, 2.

EUCHARISTIA cibus potentia Patris præparatus, sapientia Filii inventus, bonitate Spiritus sancti conditus, ex abundantia totius Trinitatis administratus. III-I, 3.

EUCHARISTIA cur dicitur *cœna?* III-I, 3, n. 4.

EUCHARISTIA cibus nutritivus. III-I, 5.

EUCHARISTIA cur dicitur *viaticum?* III-I, 5, n. 4.

EUCHARISTIA sacramentum charitatis et unitatis. III-IV, 3.

EUCHARISTIA in genere communionis, propter septem quas facit in nobis communiones. IV.

EUCHARISTIA fons vitæ. IV, 1.

EUCHARISTIA in genere sacrificii. V.

EUCHARISTIA in genere sacramenti. VI.

EUCHARISTIA est signum futuræ beatitudinis. VI, 1, causa quarta.

Res et sacramentum EUCHARISTIÆ est corpus Christi verum, res tantum est corpus Christi mysticum, sacramentum vero tantum est species panis et vini. VI-III, cap. unicum.

Ritus sacramenti EUCHARISTIÆ. VI-IV, per totum.

EUCHARISTIAM non licet sumere existenti in peccato mortali. VI-IV, 3, n. 2.

F

FAMES est appetitus calidi et sicci. III-II, 1, n. 2.

FIDES est lumen collocans in credentibus veritatem, et credentes in veritate. III-IV, 1.

FIDE veritatis sumendus est cibus sacramentalis. Ibid.

FILIUS Dei in omnibus splendoribus in Eucharistia continetur. I, 6, n. 1.

FORMA consecrationis panis est hæc : « *Hoc est enim corpus meum.* » VI-II, 2, n. 1.

Quid pronomen, *Hoc*, in FORMA designet? VI-II, 2, n. 11.

Christus FORMA verborum qua nos utimur, usus est in sacramento. VI-II, 2, n. 3.

Enim non est de substantia FORMÆ. VI-II, 2, n. 17.

Nihil est de FORMA consecrationis panis nisi quod Christus quatuor testibus probatur dixisse, scilicet, *Hoc est corpus meum.* VI-II, 2, n. 11.

FORMA sacramenti operatur virtute indivisibili. VI-II, 2, n. 18.

FORMA sacramenti habet virtutem transsubstantiandi a Verbo increato. VI-II, 2, n. 19.

FORMA consecrationis vini est hæc : « *Hic est enim calix sanguinis mei.* » VI-II, 3, n. 1.

FORMÆ consecrationis panis et vini agunt divisim transsubstantiationem. VI-II, 3, n. 5.

Quare utraque FORMA non eodem modo traditur? VI-II, 3, n. 6.

FRUMENTO Eucharistia comparatur. III-I, 1, n. 13.

G

GENERATIO divina qua homo in corpus et membrum Christi generatur. III-I, 8, n. 2.

Gratia communionis, expiationis, redemptionis, vivificationis, refectionis, et æternæ beatitudinis. I, 5.

Quidquid gratiæ in omnibus sacramentis sparsum invenitur, colligitur in sacramento Eucharistiæ. I, 1, n. 1.

H

Hilaritas quantum bonum sit, et quanta hilaritate Christus se nobis dedit. II-I, 2.

Holocausta, quid? I, 2, n. 5.

Honestum est, quod sua vi nos trahit, et sua propria dignitate hominem allicit. III-II, 4, n. 1.

Hostia, quid? V, 2, n. 5.

Quare hostia dividitur in tres partes? III-I, 7, n. 1.

Hyssopus est herba sanguinis et pulmonis purificativa. I, 5, n. 5.

I

Immolatio, quid? V, 2, n. 6.

J

Jonathas, columbæ donum. I, 2, n. 5.

Jordanis, humilis descensus. III-II, 5, n. 9.

L

Lac non potest esse verus et communis hominum potus. III-II, 1, n. 3.

M

Magnifici quæ sit proprietas? II-I, 1.

Manducatio sacramentalis et spiritualis. VI-IV, 3, n. 4.

Manere in Christo quomodo dicamur, non evagantes extra tabernacula? III-I, 9, n. 4.

Manna quinque de causis figura Eucharistiæ. III-I, 1, n. 8.

Medi, mensurantes et adæquantes. I, 3, n. 2.

Missa ubi celebranda? VI-IV, 2, n. 2.

Missa quare sic dicitur? V, 2, n. 5. Item, VI-I, 2, n. 4.

Mixtio est miscibilium alteratorum unio. III-II, 3, n. 5.

Miscibilia remanent in mixto secundum substantiam suæ formæ, sed non secundum excellentias suarum qualitatum. Ibid.

Modus quo Christus continetur sub formis sacramentalibus. III-III, 1, n. 14.

In natura non sunt in genere nisi duæ MUTATIONES : quarum una vocatur de *subjecto in subjectum*, altera vera vocatur de *non subjecto ad subjectum*, aut de *subjecto ad non subjectum*. VI-II, 1, n. 5.

MUTATIONES supernaturales non sunt in nunc temporis, nec in tempore de quo Philosophi loquuntur. VI-II, 1, n. 11.

N

NATURA humana in Christo non est materialis ad divinam, nec divina formalis ad humanam. VI-II, 1, n. 9.

Non invenitur adeo NATURALE et commune nutrimentum sicut triticum et vinum. VI-II, 1, n. 4.

O

OBLATIONUM modi quinque, scilicet holocausta, pacifica, hostia, victima, et immolatio. V, 2, n. 5.

Pluribus OBLATIONIBUS non indigenus sicut antiqui. V, 3.

ODOR est judicium saporis. III-I, 2, n. 2.

OZIAS, sacratus Domino. I, 2, n. 3.

P

PACIFICA, quid ? V, 2, n. 5.

Non possumus dicere : Iste PANIS est, vel erit, vel fuit corpus Christi. VI-II, 1, n. 5.

Utrum istæ propositiones sint concedendæ : De PANE vel ex pane fit corpus Christi ? VI-II, 1, n. 8.

Quare Ecclesia nulli intinctum porrigit PANEM ? III-II, 4, n. 2.

Hoc nomen, PASCHA, septem modis sumitur. VI-IV, 1, n. 4.

PASSERES duo quibus lepra curabatur, duæ naturæ in Christo. III-II, 3, n. 3.

PASSER et turtur quid significent ? III-IV, 3.

PASSIONIS Christi memoria recolenda. II-II, 4, n. 2. Item, III-I, 4, n. 2.

PASSIONIBUS mystici corporis communicamus per Eucharistiam. IV, 4.

PECCATUM veniale non est peccatum simpliciter, sed quædam ad peccatum dispositio. VI-I, 2 n. 2.

Habet multa remedia. Ibid.

PERSÆ, tentati, vel latera sua deserentes. I, 3, n. 2.

PERSEVERANTIA nobis necessaria. III-I, 9, n. 5.

PHYSICI volentes omnia ratione naturali discutere, acriter reprehenduntur. VI-II, 1, n. 12.

Pietas Christum induxit ut nobis Eucharistiæ sacramentum daret. I, 2, n. 4.

Potus sacramentalis qualis sit in genere et specie? III-II, 1.

Potus naturalis est naturæ juvativus et influxivus, cibi lativus, subtiliativus et unitivus membris. III-II, 1, n.7.

Potus sacramentalis habet unam operationem essentialem, et quinque adjunctas. III-II, 5, n. 5.

Ptisana non competit sanis. III-II, 1, n. 4.

R

Raguel, ægrotans Deo. VI-I, 1, n. 1.

Raphael, medicina Dei. VI-I, 1, n. 1.

Ritus sacramenti Eucharistiæ ex parte Christi. VI-IV, 1.

Ritus ex parte ministri. VI-IV, 2.

Ritus ex parte sumentis. VI-IV, 3.

S

Plures sacerdotes nec debent nec possunt unam et eamdem hostiam consecrare. VI-IV, 2, n. 16.

Sacerdotes ordinati ab hæreticis vel schismaticis an consecrare possunt? VI-IV, 2, n. 6.

Causa institutionis sacramenti Eucharistiæ quadruplex. VI-I, 1.

Omne sacramentum contra peccatum in medicinam institutum est. VI-I, 1, n. 1. Item, VI-I, 2.

Sacramentum Eucharistiæ est principalis dignitatis inter sacramenta. VI-I, 2, n. 2.

Triplex causa cur sacramentum Eucharistiæ in lege gratiæ debuit institui. VI-I, 3.

Modus institutionis sacramenti Eucharistiæ. VI-I, 4.

Potestas collata conficiendi sacramentum Eucharistiæ. Ibid.

In sacramento est corporalis materia propter tres causas. VI-II, 1, n. 1.

Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum. Ibid.

Sacramentum est visibile et corporale elementum ex institutione divina signans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione invisibilem gratiam conferens. Ibidem.

Quæ sit materia sacramenti Eucharistiæ? VI-II, n. 4.

Deus sacramentis gratiam non alligavit. Ibidem.

Causa institutionis sacramentorum triplex, scilicet eruditio, humilitas et exercitium. VI-II, 1, n. 13.

Sacrificia nostra antiquiora sunt quam sacrificia Veteris Testamenti. V, 1.

Sacrificium Missæ antiquitate veneratum, auctoritate divina sancitum, juramento confirmatum, et sua perfectione perpetuatum. Ibid.

Sacrificium Missæ in omnibus aliis præsignatum. V, 2.

Sacrificium Missæ acceptissimum. V, 3.

Sacrificium Missæ verius omni sacrificio. V, 4.

Sanctorum communio per Eucharistiam. IV, 3.

Nihil ita humectat et rigat ad fructum et virorem sicut SANGUIS humanus. III-II, 5, n. 10.

SANGUIS Christi vino comparatus. III-II, 2, n. 2.

SANGUINIS Christi operationes: redimere a peccato et reliquiis peccati, lavare, rigare arida et infundere, tingere, et signare. III-II, 5, n. 8.

SANGUIS Christi coccus quo vestes sacræ tingi debent. III-II, 5, n. 10.

SANGUIS Christi, hyssopus. I, 5, n. 2.

SANGUIS Christi non potest confici nisi ex vino. III-II, 1.

SAPOR puritatis ex corpore Christi. III-I, 2, n. 1.

SAPOR dulcedinis valde amabilis ex sanguine. III-I, 2, n. 2.

SAPOR aromaticus omni virtute fragrans ex anima. III-I, 2, n. 3.

SAPOR subtilitatis ex spiritu humano. III-I, 2, n. 4.

SAPOR omnis gratiæ ex deitate. III-I, 2, n. 5.

SAPOR cœlestium gaudiorum ex unione humanorum cum deitate. III-I, 2, n. 6.

SAPORES naturales novem, scilicet dulcis, pinguis, ponticus, stipticus, acutus, acetosus, salsus, amarus, aquosus. III-I, 2, n. 1.

SARA, princeps, vel carbo, vel velamen, vel angustia. VI-I, 1, n. 1.

SITIS est appetitus frigidi et humidi. III-II, 1, n. 2.

Quadruplex causa SITIS. III-II, 1, n. 6.

SPECIES sacramentales ad quid remanent post transsubstantiationem? VI-II, 1, n. 13.

SPE divinæ largitatis sumenda est Eucharistia. III-IV, 2.

SUBJECTUM vocatur ens in actu secundum formam substantialem salvatum, sed mutatum secundum formam accidentalem. VI-II, 1, n. 5.

T

TOBIAS, ductus ad luctum. VI-I, 1, n. 1.

TRANSSUBSTANTIATIO est mutatio supernaturalis, cui nulla mutatio in natura invenitur similis. VI-II. 1, n. 9.

TYRUS, angustia. VI-II, 1, n. 4.

U

URIAS, lux mea Deus. III-I, 1, n. 1.

V

VERITAS opponitur falso, impuro, et apparenti. V, 4.

VICTIMA, quid? V, 2, n. 5.

Utrum aqua et VINUM quæ miscentur in calice, possunt separari? III-II, 3, n. 5

Bonum et electum VINUM debet esse in sacramento. III-II, 4, n. 1.

Quare VINUM et panis seorsum ponuntur in sacramento? III-II, 4, n. 2.

VINUM naturam juvat et influit, cibum defert, subtiliat et unit membris. III-I, 1, n. 7.

Qualis sapor requiritur in VINO ex quo Christi sanguis conficitur? III-II, 2, n. 1.

VINUM aliud dulce, aliud acre, aliud ponticum, aliud stipticum, aliud aromaticum. Ibidem.

Effectus VINI corporaliter bibiti, et quomodo vinum sacramentale eosdem habeat? III-II, 2, n. 2.

VINUM bonæ spei facit hominem. III-I, 2, n. 8.

VINUM solum est conveniens potus hominis. III-II, 1, n. 2.

Christus se comparat VITI, et corpus suum mysticum vineæ. III-II, 1, n. 1.

VITULUS figura Eucharistiæ. III-I, 1, n. 5.

INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ,

Qui in libro

DE EUCHARISTIA EXPLICANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Cap.		
VI, 15.	*Mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus.*	III-1, 9, n. 4.
VI, 16.	*Cœnacula et tristega facies in ea,* scilicet in arca.	III-III, 2, n. 2.
XVIII, 6.	*Accelera, tria sata similæ commisce,* etc.	I, 4, n. 4. Item, III-1, 3, n. 2.
XVIII, 8.	*Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum quem coxerat, et posuit coram eis,* scilicet coram Angelis.	III-1, 1, n. 5.
XXVII, 37.	*Frumento et vino stabilivi eum.*	III-1, 1, n. 13.
XLVII, 12.	*Alebat eos, omnemque domum patris sui,* etc.	II-1, 4, n. 3.

EXODI.

III, 5. *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis.* III-III, 2, n. 1.

XII, 5. *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.* III-I, 1, n. 6.

NUMERORUM.

XII, 13. *Erit sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis*, etc. III-II, 5, n. 10.

XII, 43. *Omnis alienigena non comedet ex eo.* VI-II, 4, n. 4.

XXIV, 5. *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob*, etc.! III-II, 5, n. 10.

XXIV, 7. *Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas.* I, 6, n. 3.

DEUTERONOMII.

XXVIII, 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum.* III-I, 5, n. 1.

XXIX, 5. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum.* III-I, 5, n. 4.

XXXII, 13. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum*, etc. III-I, 7, n. 4.

RUTH.

II, 10. *Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos?* I, 4, n. 2.
II, 14. *Intinge bucellam tuam in aceto.* III-II, 4, n. 2.

III REGUM.

XVII, 14. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur*, etc. I, 2, n. 2.

III ESDRÆ.

III, 1. *Rex Darius fecit cœnam magnam*, etc. III-I, 3, n. 4.

TOBIÆ.

VI, 5. *Exentera hunc piscem.* VI-I, 1, n. 1.
VI, 8. *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* III I, 4, n. 1.

ESTHER.

I, 3. *Assuerus, tertio anno imperii sui, fecit grande convivium*, etc. — I, 3, n. 2.
XV, 17. *Facies tua plena est gratiarum.* — I, 6, n. 4.

JOB.

III, 24. *Antequam comedam, suspiro.* — III-IV, 4.
V, 19. *In sex tribulationibus liberabit te : et in septima non tanget te malum.* — III-I, 4, n. 1.
IX, 30. *Si lotus fuero quasi aquis nivis*, etc. — I, 5, n. 2.
XXXIX, 30. *Pulli ejus lambent sanguinem.* — III-IV, 2.

PSALMORUM.

XXII, 5. *Parasti in conspectu meo mensam.* — II-III, 1, n. 2.
XXIV, 8. *Dulcis et rectus Dominus.* — I, 1, n. 6.
XXXII, 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* — VI-II, 2, n. 18.
XXXIII, 9. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* — I, 2, n. 6.
XXXIX, 7. *Sacrificium et oblationem noluisti.* — V, 4.
L, 9. *Asperges me*, Domine, *hyssopo.* — I, 5, n. 2.
L, 20. *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.* — I, 2, n. 3.
L, 21. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.* — I, 2, n. 9. Item. I, 4, n. 3.

LXIV, 5. *Beatus quem elegisti et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.* I, 6, n. 1.
LXXXIII, 4. *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* III-IV, 3.
CIII, 15. *Vinum lætificat cor hominis.* III-II, 1, n. 7.
CIX, 3. *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.* I, 6, n. 1.
CIX, 4. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* V, 1.
CXVIII, 63. *Particeps ego sum omnium timentium te.* IV, 3.
CXXI, 3. *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas.* III-IV, 3.
CXXVII, 3. *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* III-IV, 1.

PROVERBIORUM.

XIII, 23. *Multi cibi in novalibus patrum.* I, 4, n. 2.
XXX, 18. *Tria sunt difficilia mihi*, etc. III-I, 3, n. 2.
XXXI, 14. *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* IV, 1.

ECCLESIASTÆ.

XII, 6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea.* III-I, 7, n. 6.

CANTICORUM.

I, 13. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* II-II, 4, n. 1.

II.	3. *Fructus ejus dulcis gutturi meo.*	I, 2, n. 6.
II,	9. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras*, etc.	III-III, 2, n. 1.
III,	4. *Tenui eum, nec dimittam.*	III-I, 9, n. 2.
IV,	2. *Dentes tui sicut greges tonsarum.*	III-I, 7, n. 3.
IV,	11. *Mel et lac sub lingua tua.*	I, 2, n. 5.
V,	1. *Comedi favum cum melle meo.*	I, 2, n. 6.
V,	1. *Comedite, amici, et bibite : et inebriamini, charissimi.*	I, 3, n. 1.
VI,	2. *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.*	I, 2, n. 7.
VII,	2. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.*	VI-I, 4.
VIII,	2. *Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ.*	III-I, 9, n. 2.

SAPIENTIÆ.

XVI,	21. *Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat.*	I, 2, n. 5.
XVI,	26. *Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus*, etc.	III-I, 4, n. 3.

ECCLESIASTICI.

IV,	12. *Sapientia filiis suis vitam inspirat.*	I, 5, n. 4.
XXIX,	20. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris.*	II-II, 2.
XXIX,	28. *Initium vitæ hominis aqua et panis.*	III-II, 1, n. 5.
XXXI,	35. *Vinum in jucunditatem creatum est.*	III-I, 2, n. 8.
XXXVIII,	1. *Honora medicum propter necessitatem.*	III-I, 4, n. 4.

XXXVIII, 4. *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.* III-1, 4, n. 1. Item, VI-1, 1, n. 1.
XXXVIII, 11. *Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem.* III-1, 7, n. 7.
XLIII, 24. *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* I, 6, n. 1. Item, III-1, 4, n. 1.

ISAIÆ.

I, 3. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* III-III, 2, n. 2.
XI, 10. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum,* etc. VI-1, 1, n. 3.
XXV, 6. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ,* etc. I, 3, n. 3.
XXXIII, 7. *Angeli pacis amare flebunt.* IV, 2.
XLI, 7. *Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis.* III-1, 9, n. 3.
LV, 2. *Audite, audientes me : et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* I, 1, n. 1.
LV, 11. *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* III-1, 5, n. 1.
LVIII, 14. *Cibabo te hæreditate Jacob.* I, 5, n. 5.

JEREMIÆ.

VI, 26. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* III-1, 4.
XXX, 3. *In charitate perpetua dilexi te.* I, 2, n. 7.

THRENORUM.

I, 13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* I, 2, n. 8.
III, 19. *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii et fellis.* III-1, 4, n. 2.
IV, 5. *Nutriebantur in croceis.* I, 2, n. 4.

EZECHIELIS.

XVI, 13. *Similam, et mel, et oleum comedisti.* III-1, 7, n. 7.

DANIELIS.

I, 3. *Ait rex Asphenez,... ut introduceret de filiis Israel pueros,* etc. I, 3, n. 2.

OSEE.

II, 15. *Dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem.* III-IV, 2.
XI, 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* I, 2, n. 7.

JOEL.

III, 18. *In illa die stillabunt montes dulcedinem*, etc. III-IV, n. 5.

AMOS.

II, 1. *Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum.* VI-II, 1, n. 12.

SOPHONIÆ.

III, 10. *Filii dispersorum meorum deferent munus mihi.* II-II, 1.

ZACHARIÆ.

IX, 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* III-II, 5, n. 8.

MALACHIÆ.

II, 2. *Maledicam benedictionibus vestris.* VI-IV, 2, n. 6 et 13.
III, 3. *Sedebit conflans et emundans argentum : et purgabit filios Levi.* III-I, 7, n. 4

EX NOVO TESTAMENTO.

LUCÆ.

XXII, 29. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum*, etc. — I, 3, n. 4.

JOANNIS.

III, 31. *Qui de cœlo venit, super omnes est.* — I, 4, n. 4.
X, 9. *Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* — III-I, 5, n. 5.
X, 28. *Ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum.* — I, 5, n. 4.
XVII, 1. *Sublevatis oculis.* — VI-II, 4, n. 2 et 3.

ACTUU

IV, 32. *Erant illis omnia communia.* — I, 5, n. 1.
XVII, 28. *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.* — III-I, 8, n. 3.

AD ROMANOS.

VIII, 11. *Vivificabit mortalia corpora vestra.* XI, 5, n. 4.
XII, 5. *Multi unum corpus sumus in Christo.* I, 5, n. 1.

I AD CORINTHIOS.

XI, 20. *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cænam manducare.* I, 4, n. 1.
XII, 26. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* IV, 4.

AD EPHESIOS.

III, 19. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* I, 6, n. 1.
III, 18. *Quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* I, 2, n. 8.

I AD TIMOTHEUM.

III, 16. *Manifeste magnum est pietatis sacramentum.* I, 2, n. 4.

AD TITUM.

I, 9. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* VI-II, 1, n. 16.

AD HEBRÆOS.

XIII, 9. *Optimum est gratia stabilire cor.* I, 3, n. 3. Item, I, 5, n. 1.

JACOBI.

I, 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* VI-II, 1, n. 11.

APOCALYPSIS.

II, 7. *Vincenti dado edere de ligno vitæ.* III-I, 5, n. 4.
VII, 3. *Quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* III-II, 5, n. 10.
VII, 14. *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* III-II, 5, n. 9.
X, 10. *Accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum.* VI-I, 1, n. 2.